

fl. 195.

Junius, Franc.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-193341115-12/fragment/page=0002

HADRIANI IVNII

Jc 195

HORNANI, MEDICI,

BATAVIA.

In qua præter gentis & insulæ antiquitatem, originem, decora, mores, aliaque ad eam historiam pertinentia, declaratur quæ fuerit vetus Batauia, quæ Plinio, Tacito, & Ptolemæo cognita: quæ item genuina inclytæ Francorum nationis fuerit sedes.



LEHNS-BÜCHEREI
ERKLEBEN

Ex officina Plantiniana
Apud Franciscum Raphelengium.
cIↃ. IↃ. LXXXVIII.



AD ILLVSTRES,

GENEROSOS, ET PRVDENTES REIPVB. HOLLANDIÆ ORDINES,

Administratores ac Consules, Dominos suos,

HADRIANVS IVNIVS MED.



NNI auspicium elargiendis strenis destinauit consecrauitq. antiquitas, iam tum ab ipsis nascentis Æternæ Vrbis incunabulis, Viri ampliss. & cordatiss., auctore Tatio Sabino Romuli in administrãdo regno socio, qui verbenas felicis arboris olim è luco Streniæ Deæ decerptas primus accepisse legitur, indubitato argumento meriti præmij, quod strenuorum virorum virtuti debeatur. Quod factum religio vetus in omen auspicatum & felix conuertit, & exemplum quod sequeretur posteritati commendauit, vnde quasi in decursu de manu in manum traditus mos longè lateq. in omnes nationes diffusus ad nos quo-

que manauit. Itaque nolens & ego deesse exemplo, cum nouantis anni exordio, strenæ loco, vobis illustribus, clarisque nominibus, hos primos historiæ fœtus offero ac dedico, quanquam & aliunde suppetere poterat exẽplum, à grata nimirum vetustate, quæ primitias suas Dijs offerre solita fuit: vtroque igitur nomine ad vestras manus proficiscitur opus, in quo Herculeus quidam labor mihi exantlatus est in conquirendis vndecunque ex vasto illo & immenso, veterum, recentiorum, mediæque ætatis scriptorum oceano, quæ cognitionem nostram instruerent; quam ad rem quanto opus fuerit tempore, æqua animorum bilance iudicabunt, qui simili in labore desudarint. Negat Cicero eloquentiæ fons, suffragante etiam Seneca, suffecturam sibi quamuis longissimam vitam & quidem duplicatam, legendis solùm Lyricorum carminibus, quorum tamen quum breuitas in sententijs concisa sit, & magna verborum parsimonia, mirum videri potest tot fuisse eorum scripta, quæ geminatam hominis vitam exigerent. Quod si ita est, vt certè, nisi præuaricando auctorum illorum testimonia eleuare velim, tenendum est,

est,quid existimandũ erit ac censendum iam de infinitate historicorũ percurrenda & euoluenda, qui fermè Asiatica affluentia exuberant? Quæ res quum dubia non sit, admirationem deposituros illos spero, qui existimaturi fortè sunt, vno aut altero anno posse confici & condi historiam; quam opinionem conuellere illa Ciceronis verba facilè possunt; *Historia institui nisi præparato otio non potest, nec exiguo tempore absolui*. Cogitent illi mustea omnia & properata, amittere atque exuere citam gratiam, ad modum pomorum quæ fundit æstas præcocia, ea namque mox vieta redduntur & putrilaginosa: vina immatura quæ ætatem non ferunt, mox acescere & vappæ ingenium induere nouum non est. Cogitent illi secumque ruminent quod in prouerbij ludicrum abijt, Canem festinantem cæcos fœtus edere. Quid, quòd Fabius cum Flacco in nonum premi annum voluit, quod publici iuris & omnium in manus sit venturum? Certè æquus laboris æstimator mecum sentiet opinor, quòd vomentibus illi (vt Aristides conuenientissimè olim dixit) persimiles videantur, qui desultoria loquentia vsi quic-

quid in buccam venit, paginis breui morituris illinunt. Ab his diuersus ingenio atque alienus inprimis, tutius consultiusque duxi lentè incedendo curriculum conficere, quàm malè cursum obeundo pedem in acutos ignominiæ murices impingere. Itaque beneficio omnigenæ lectionis, quæ mihi deuoranda fuit & exhaurienda molestia, omnia vndique subsidia cõparanda, vindemiolæ omnes in vnum penum congerendæ fuerunt, vt ne quid omissum vltro reliquisse viderer, quod ad Batauiæ, cuius describendæ historiæ cupidine flagrabat animus, ornamenta facere posse putarem. Quo colligendi peracto labore, initio statim operis, difficultas illa animum prima perculit, quo pacto possem lectores ex vmbra in claram lucem producere, hoc est, non imbutos modò, sed planè omnibus ijs copijs instructos reddere, quas vt rerum à memoria nostra remotarum & altissimis in tenebris sepultarum ignorantia tegit & ceu spissa quædam caligo, quo minus cognoscantur, impedit, ita priùs nosci interest, quàm ad historiæ lectionem vacuos animos adferant, ne idem ipsis accidat, quod Socrati, quum librum Heracleti perlegisset

gisset ab Euripede porrectum, vrinatore Delio sibi opus fore in eo intelligendo dictitanti. Multa enim in tam varia, tamque multiplici antiquitatis obseruatione offerunt se vt meridiana luce mihi clariora, ita alijs quàm sint Cimmeriæ tenebræ obscuriora, quibus ignoratis tanquã luminibus orbos errare atq. impingere necesse est; cuiusmodi sunt, natalium nostrorum ortus & initia controuersa, Aboriginum nostrorum virtutes & decora, finium litigiosorum atque herciscundorum (vt ita dicam) cognitio, Rheni metatoris nostri exitus cursusque, regionis appellatio, eiusque populorum declaratio, & quæ sunt eius generis alia; quorum tamen omnium par in historijs vsus est, qui in disciplinis grauioribus demonstrationum & linearium probationum, quas Stagirites γραμμικὰς ἀνάγκας dixit, quòd necessitatem credulitatis auditoribus adferant. Quibus cognitis atque diffusa narratione explicatis priùs opus est, quàm ad rerum gestarum narrationem cum fructu accedatur, ne quid lectores fallat postea scitu necessarium. Ea autem vt sunt abstrusa ob altissimam veteris memoriæ ignorationem, ac propterea periculosæ

losæ aleæ plena, ac doloso (liceat cum Flacco ita loqui) cineri supposita, quadruplici adiumento fermè opus habent, si fideliter explicari declarariqúe debent, nimirum testimonijs scriptorum, veterum monumentorum fide, oculi iudicis arbitrio, & traditionibus maiorum quasi per manus transeuntibus, quibus rectè constitutis ita demum venire in cognitionem, cognita literis consignari possunt. Sed quàm præcipua ad hanc rem lumina, nimirum testimonia veterum & monumenta, infarciri historico stylo respuant atque abhorreant, nemo est ita iudicij infirmus, qui nesciat, quòd multum tenebrarum lectori offundi, multum etiam ipsi scriptori impedimenti ita adferri (vt taceam decori rationem non habitum iri) contingeret, si orationis tela quæ texitur, per eiusmodi res passim occurrentes abrumperetur, si connexio dictionis hoc modo hiulca & veluti rimis quibusdam futilis diduceretur. Proinde malum istud quum fugiendum mihi, ceu Charybdin quandam, viderem, certo consilio hunc historiarum tomum primũ à perpetua quæ* sequetur rerum per Principes nostros gestarum narratione secreui,

* Morte præuentus auctor vltra nõ scripsit.

creui, auctoritatem & exemplũ illustre Corn. Taciti Augustæ historiæ scriptoris secutus, qui Germaniæ bella descripturus, origini gentis ac moribus, & variorum populorum enumerationi extra numerum librum separatim consecrauit, veluti κατὰ διέξοδον eam cognitionem scitu perneccssariam seorsim tradens, quò series historiæ continens atque indiuulsa per se consisteret. Hîc plus laboris in eruendo rerum à communi intelligentia abstrusarum cumulo, in reliquo opere plus gloriæ: hîc inuidiæ aliquanto plus ob controuersias & discrepationes inter viuos, illic cum mortuorum Manibus ea sepulta atq. obruta facesset procul. Quòd si non omnes historici absoluti numeros ac partes expleuisse hîc videar, cogitate me Logistorici magis personam in hoc opere sustinuisse. Cogitate omnibus in doctrinis ac scientijs paucos aut vix vno plures extitisse, qui earum attigerint fastigium, plures inferiora tenuisse, illis admirationem venerationemque fuisse debitam, his haud negatam meritam laudem. Nam eius qui summum culmen honestè affectat, conatus non laudandus modò, sed & applausu tanquam classico

fouendus est & adiuuandus, quando pulchrum sit etiam in secundo fastigio conspici. Porrò in scribendo Suetonium, cui familiare fuit amare breuitatem, ordine certis capitibus tradito, sequi malui, quàm Marium Maximum, quem vt verbosissimum, ita mythistoricis voluminibus sese implicantem Fl. Vopiscus prodidit. Valete feliciter patriæ communis columina. Lugduni Batauorum, postridie Non. Ianuar. An. cIↃ. IↃ. LXXV.

AD

AD EOSDEM, DE HISTORIÆ VTILITATE AC NECESSITATE.

HADRIANVS IVN.

QVANTOPERE Reipub. interſit nationum primordia, progreſſus, euenta Principum illuſtria & glorioſa domi belliq́ue facinora ab obliuionis vindicari interitu, atque immortalitati conſecrari, & quò poſteris inde exempla in vtramq. partem vel ad imitandum, vel ad cauendum periculum petantur, quaſi in ſpeculo proponi, neminem eſſe tam iudicij alienum exiſtimo, qui inficiari poſſit. Itaque erudito iſto ſæculo multa paſſim exorta ſunt varias apud nationes ingenia, quæ hanc facem cum laude ſuis præluxere, gentis gloriam interdum non ſine veritatis clade quadam euexerunt, rerum geſtarum hiſtoriam cum nominis etiam fideiq́ue periculo, in ſuos tranſcripſerunt & aſſeruêre. Quod quidem ipſum certatim non ſine ambitione factitatum eſſe, clarius eſt quàm vt nominatim recenſeri debeat, ne inuidiam in nomina quæſiuiſſe videar de induſtria. Quum verò ſtudium illud quod in illuſtrandis Principum Populorumq́ue rebus conſumitur, multo ſit laudatiſſimum, quum nec rerum geſtarum mole ac magnitudine, nec Principum claritudine, nec maiorum virtute, nec exemplorum numero Batani vel concedamus, vel inferiores ſimus; quatandem ſocordia res noſtras

præter aliarum gentium morem, altissimo silentio sepultas iacere, obliterari, interire denique patiamur? aut quæ sit inuidia illas cum immortalitate coniungi, quæ sæculi vitio, aut malignitate, aut scribentium oscitantia suppressæ negliguntur? Nostrorum certè Principum nobilia facta victoriæque quàm tenui elogio, quàm iniqua vena ad posteritatẽ transmissa sunt, vix vnius interdum pagellæ spatio comprehensa, quod non ab hostibus incommodi acceptum caussari possumus, sed sterilitati ingeniorum, sed ruditati barbari sæculi & à literis alieni imputandum est, quando in asceteris multis vix vnus inuentus est, qui tribus tantũ verbis bellum à Principe & susceptum & finitum, omissa plærunq. illati causa, describat, ratus id ad memoriam sufficere. Quanto maioribus eloquentiæ viribus, quanto vberiore verborum flumine, actum olim fuit in describenda Miltiadis victoria ad Marathonem, in Leuctrica Epaminondæ, in Salaminiaca Themistoclis, ita loquacibus omnium scriptis, vt nihil adijci vltrà potuisse videatur? Quare cùm temporibus hisce inquinatissimis, ingenijs ad praua quæq. corruptissimis, historiæ ferè peruertantur, libidini hominum ad flagitia & assentationes ijs abutentium seruiant, eaq. via honori Principum ac nationum derogetur, strategematum ratio corrumpatur, dictorum factorumq. gratia vel adulteretur, vel dissimuletur, veritas deniq. silentio obruatur (id quod scriptorum hac nostra ætate monumenta clarè loquuntur, dũ hinc odij exterarum nationum, illinc factionum, studij, & priuatorum affectuũ manifestò comperti tenentur) nullũ vtilius maiúsve operæpretium patriæ cõmuni facturus mihi sum visus, quàm si eius antiquitatem è tenebris eruerem, & quasi rediuiuam è busto illo suo restituerem, ac in ora hominum producerem. Duo autem enumerata à Josepho veritatis prodendæ impedimenta

sunt,

sunt: vnum quòd singulæ nationes per initia non sategerint res gestas publicis & Annalium monumentis tradere, qua tamen via tenebræ potissimùm sublatæ, & lubrica illa mentiendi libido fuisset intercepta; alterum quòd qui animum ad scribendum applicuerunt, in indaganda rerum veritate minus diligentem operam collocarint, quamuis id ex professo pollicîti, sed orationis nitorem potiore studio coluerint, vt perpolita, numerosa, & verborum sententiarumque quasi floscvlis conspersa, ac veluti Circæis illecebris fucata, aut mythologias spirante, aut ad gratiam magnatum conformata, sensus falleret. Priori impedimento mederi poterunt archiua vestra, secundo vt occurratur, in me non erit mora. Nam quod ad veritatem attinet, eam ego historiæ animam & vocare soleo & puto: decet enim eum qui munus suscipit historici, ad exemplum Lotophagorum gentis, voluntariam quandam obliuionem necessariorum pariter & inimicorum induere, nihil amicitiæ aut hostilitati dare, sed ab affectibus liberum, suo loco, quum res poscit, hostium consilia & laudes plena manu tollere, nonnunquam acerbiùs insectari & inuehi in amicos, vbi delictorum magnitudo id merebitur. Vt enim extinctis oculorum facibus, corporis totius vsus obsolescit atque hebetatur, haud aliter sublato ex historia veritatis lumine, reliqua omnis narratio delumbatur debilitaturque: ita vt qui ab historiæ luce recedunt, in indignam seruitij aleam vltro se coniiciant, meritoque Tacitus conqueratur, historicos sua tempestate in arcto versari & inglorium laborem sequi, quando ad gratiæ potentiorum aucupium conuersa mutataq. omni historiæ facie (vbi libero egressu antea dicta factaq. memorare licuerat) præstitutis veluti terminis cohiberetur libertas. Sic Philistus Syracusius, qui primus artem oratoriam in texenda

historia adhibuisse legitur, à patrio solo extorris, nefaria flagitia & tyrannica facta Dionysij studio suppressit, dum sperat in patriam redire, teste Pausania, artificio simulationis impendiò eruditus. Sic Hieronymus Cardianus Antigoni Regis aures permulcendo, mendacijs historias impleuit. Sic Callias Syracusanus ingentibus ab Agathocle muneribus affectus, benefactoris sui liberalitati vicem reddidit, vitia virtutum cumulo repensa admensus, atq. ita historiam veritatis eloquium (vt Suidas inquit) peruertit. Nostra quoque memoria Paulus Iouius rogatus cur vera dissimulasset, falsa etiam simulasset, indigno elogio respondit, se hoc facto gratificari amicis voluisse, quum præter mollem animum & corruptelæ munerum expositum vix quidquam viro dignum habuisse multorum iudicio credatur. Quanto dignius Palæphatus olim scripsit se ea monumentis historiæ proditurum, quæ vel adierit, vel oculis collustrarit: & Ctesias Cnidius Herodotum mendaciorum parentem nominatim perstringens, in historiam nihil relaturum se profitetur, nisi quæ aut ipse viderit αὐτόπτης, aut à natu maioribus acceperit. Eadem via incessit Artemidorus, qui vt rebus Arabicis quas describebat fidem adiungeret, Ælium Gallum legatũ in expeditione contra eam gentem susceptã prosecutus est comitatu. Polybius Historicorum speculum & lumen, vt integra & quasi obstinata fide rerum veritatem posteris traderet, Alpium inuia per quæ Hannibal irruperat, peragrauit. Superuacaneam fortassis & inanem operam sumpturus sim, si historiæ laudum corollam contexere aggrediar, rem à nemine non pertractatam: sed quum eius maxima sæculis omnibus habita fuerit vtilitas, hisce verò temporibus etiam perneccssaria sit, quibus domestica vitia exoticis corrigenda exemplis, ad eam penè deploratorum vlcerum conditionem

nem increuerunt, vt non alia ope persanari posse videantur; Penelopes more telam retextam ordiri tribus (quod dicitur) verbis volui, quum præsertim nulla procliuior sit ad emendandum arte quod inueterauit malum, rectéque instituendam Rempub. pariter & singulorum vitam, quàm rerum anteactarum cognitio. Illa incorrupta temporum testis & index est, cuius singulari beneficio rerum series & memoria ab interitu vindicatur, & in perpetuitatem conseruatur, propterea vita & lux veritatis à Cicerone dicta. Illa sola vitæ magistra est, cuius præscriptis docemur fortunæ reciprocos æstus forti animo tolerare, dum fortuitos aliorum casus & inopinatos euentus expendimus ac recordamur. Illa antiquitatis nuncia est, quòd prisca sæcula nobis repræsentet, & res à memoria omni remotas in animorum thesaurum reuehat. Illa denique gymnasij vicem obtinet, vbi non ad palum vmbratili pugnæ ratione, sed disciplina & vsu exercitatus animus commodis & vtilitati publicæ seruit. Hanc itaque & quidem communem vtilitatem ob oculos positam intuens (ad exemplum melioris scribentium partis) id præcipuè spectaui & deinceps sequar, vt res quas sciri cognoscíque publicè interest, ab ignoratione & obliuione qua sepultæ iacent, vindicem atq. asseram: quò me Hollandiæ, quæ mihi parens est antiquissima, studium atque amor impellit ac commouet, vt genuinam gloriam è mangonum illorum manibus extorqueam, styliq. lumine illustrem. Quod meum studium, voluntatis honestæ declarationem & industriam, qua possum maxima deuotione & intentissima cura, vobis, Clariss. ornatissimíque Viri, offero, & commendo: quos Deus Opt. Max. Reipub. nobis ac Musis diutissimè salutares patronos conseruet. Delphis ad annum salutis 1575.

ELEN-

ELENCHVS RERVM, QVÆ IN BATAVIA CONTINENTVR, IN CAPITA DIGESTÆ.

CAP. I. Præfatio cum origine Batauiæ è Cattis. *Pag.* 1

CAP. II. De Gigantibus, quos fabulantur Annales Batauiam tenuisse. 2

CAP. III. Batauiæ Plinianæ & Populorum eius descriptio, & nominum enodatio. 13

CAP. IV. Batauia Germaniæne portio sit an Belgicæ. 31

CAP. V. Batauos magno in honore fuisse, & formidabiles quoque Romanis. 33

CAP. VI. Batauos arte natandi excelluisse & equitatu. 43

CAP. VII. Batauos cur auricomos Poëtæ vocent, & de Batauo smegmate. 46

CAP. VIII. De Rheno fluuio, eiusque brachijs & ostijs Batauiam finientibus. 47

CAP. IX. Quòd Batauiam Franci inuaserint & possederint. Qui fuerint Franci, deque eorum sedibus. Idem de Francis Ansuarijs & Salijs, deque lege Salica. 66

CAP. X. De Armamentario Pop. Rom. maritimo, quam Britannicam arcem hodie nominamus. 107

CAP. XI. De Batauiæ peculio in partes plures distracto, deque oppidis ab Hollandia alienatis. 123

CAP. XII. De Cl. Ciuili regiâ Batauorum stirpe nato. 137

CAP. XIII. De Hollandiæ appellatione, deq. Zelandia nõnihil. 167

CAP. XIV. De Hollandiæ Comitatu in plures partes & segmenta diuiso. 187

CAP. XV. De Hollandiæ natiuis bonis & dotibus. 194

CAP. XVI. De Hollandiæ ingenijs, studijs & moribus. 218

CAP. XVII. De Hollandiæ primarijs vrbibus, deque oppidis & municipijs. 240

CAP. XIIX. De Arcibus Hollandiæ & castellis. 309

CAP. XIX. De nobilitate Batauica. 317

CAP. XX. De cœnobijs nobilitati Hollandicæ destinatis. 342

CAP. XXI. De Germanorum origine & populis, quibus olim nominibus appellati fuerint, & quibus hodie. 348

CAP. XXII. Celtas eosdem fuisse & Germanos, non Gallos, vnde confusis nominibus nati fuere errores. 375

CAP. XXIII. De significatione nominum & impositione veteribus vsitata, tam gentium, quàm Principum & personarum. 381

AVCTO-

AVCTORVM PER QVOS PROFECIMVS, ET QVORVM VSI SVMVS TESTIMONIIS, CATALOGVS.

ANTIQVI.

Ælianvs.
Aëtius.
Agathias Smyrnæus.
Ammian. Marcellinus.
Apollodorus.
Apollonius Rhodius.
Appianus.
Archilochus.
Aristides.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnobius.
Arrianus.
Asinius Quadratus.
Athenagoras Athenienſis.
Athenæus.
Auſonius.

Bedas.
Beroſus.
Bibliographi.

Catullus.
Claudianus.
Chryſermus Corinthius.
Cornel. Celſus.
Corn. Tacitus.
Cornutus.
Cteſias.
Cyrillus Alexandrinus.

Damaſcius Syrus.
Demoſthenes.
Dion Nicæus.
Dionyſius Halicarnaſſæus.
Dionyſius Periegetes.
Dioſcorides.
Epigrammatarij.
Epiphanius.
Eratoſthenes.
Erotianus.
Etymologici auctor.
Eumenius Rhetor.
Euripides.
Euripidis ſcholiaſtes.
Euſtathius.
Eutropius.
Fabius Quinctilianus.
Feſtus Pompeius.
Fl. Soſipater.
Fl. Vegetius.
Fl. Vopiſcus.
Fulgentius.

Galenus.
Gratius Cyneget.
Gregorius Nazanzenus.
Hecatæus.
Hegeſippus.
Hellanicus.
Heraclides Lycius.
Heſychius Alexandrinus.
Heſychius Mileſius.
Heſiodus.
Herodotus.

Herodianus.
Hieronymus Stridonensis.
Homerus.
Horatius.
Hyginus.

Iamblichus.
Ioannes Damascenus.
Iornandes Gothus.
Iosephus Iudæus.
Isidorus Hispalensis.
Iulius Cæsar.
Iulius Capitolinus.
Iulius Firmicus.
Iulius Frontinus.
Iulius Solinus.
Iunius Columella.
Iustinus martyr.
Latinus Pacatus Drepanus.
Lactantius Firmianus.
Lucanus.
Lucius Florus.

Mamertinus.
Marcianus Itinerarij auctor.
M. Cicero.
Martialis.
Martianus Felix.
Maximus Tyrius.
Messala Coruinus.
Minutius Felix.
Moschopulus.
Myrsilus.

Nazarius.
Nicander.
Nicomachus Gerasinus.
Nonnus Panopolita.

Olympius Nemesianus.
Olympiodorus.
Oppianus.
Origenes.
Ouidius.
Panegyristæ.
Parmenon Byzantius.
Paulus Ægineta.
Paulus Diaconus.
Paulus Orosius.
Pausanias.
Petronius Arbiter.
Philostratus.
Pherecydes.
Phylarchus.
Pindarus.
Plato.
Plautus.
Plinius Secundus.
Plutarchus.
Polyarchus Cyrenæus.
Polybius.
Pomponius Mela.
Porphyrius.
Priscianus.
Probus Grammat.
Propertius.
Procopius.
Ptolemæus.

Rutilius Numatianus.

Sallustius.
Saluianus Massilienſis.
Sextus Empiricus.
Sidonius Apollinaris.
Sillius Italicus.
Simocatus.
Simonides.
Staphylus.
Stephanus Ethnographus.
Stesichorus.
Strabo Geographus.

Suetonius

Suetonius Tranquillus.
Sulpitius Seuerus.

Tatianus Assyrius.
Telesarchus.
Theophrastus.
Thucydides.
Timæus.
Titus Liuius.
Trebellius Pollio.

Varro.
Velleius Paterculus.
Vibius Sequester.
Virgilius.

Xiphilinus Dionis epitomiastes.

RECENTIORES.

ABBAS Vrspergensis.
Achilles Gassarus.
Adonis Viennensis.
Adrianus Barlandus.
Æneas Pius.
Albertus Crantzius.
Altamerus.
Amandus Zyricæus.
Annales Brunsuicenses.

Beatus Rhenanus.
Bellaius.
Bilibaldus.
Blondus.
Bodinus.

Calius Antiquarius.
Carolus Molinæus.
Conradus Gesnerus.
Conradus Peutingerus.

Dominicus Marius Venetus.

Einhartus Caroli Magni scriba. non autem Eginhardus.
Erasmus Roterodamus.
Ernestus Brotolfus.
Eugippus Herulorum historiæ scriptor.
Franciscus Connanus.
Franciscus Massarius.
Fuluius Vrsinus.
Gerardus Neomagus.
Georgius Merula.
Gregorius Turonensis.
Guilelmus Rondiletius.

Hector Boëthus Scotus.
Henricus Glareanus.
Hermannus Contractus.
Hermannus Nuenarius.
Hermolaus Barbarus.
Hieronymus Cardanus.
Hubertus Thomas.
Hunibaldus.

Iacobus Meyerus.
Iacobus Spiegelius.
Ioannes Auentinus.
Ioannes Cuspinianus.
Ioannes Ferrarius.
Ioannes Goropius Becanus.
Ioannes Heroldus.
Ioannes Marius.
Ioannes Poldus.
Ioannes Stella Hispanus.
Ioannes Stoslerinus.
Ioannes Tritemius.
Irenicus.
Iulius Cæs. Scaliger.
Iudocus Willichius.

Lambertus

Lambertus Hortensius.

Otho Frisingensis.

Paulus Æmilius.
Paulus Iouius.
Paulus Volzius.
Petrus Dinæus.
Petrus Naunius.
Petrus Ronsardus.
Peucerus.
Platina.

Raimundus Marlianus.
Raphael Volaterranus.

Regino.
Riccius.
Robertus Gaguinus.
Rosinianus.

Sabellicus.
Sabinus.
Saxo Grammaticus.
Sconerus.
Sebastianus Munsterus.
Sigibertus Geminiacensis.

Wolphangus Lazius.

PRÆFATIO, CVM ORIGINE BATAVIÆ E CATTIS.

CAP. I.

DEscripturus Batauiam lectissimorum olim equitum genitricem, militiæ magistram, populo Romano non tributariam, sed sociam & amicam, consulto facturus mihi videor, si à primis cùm gentis, tum nominis incunabulis atque origine orsus, fontes rerum à nostra memoria propter nimiam vetustatem remotarum aperiam, pristinæque gloriæ possessionem ab obliuionis iniuria pro virili parte asseram, reuocaturus rationem ad veritatem, tametsi (vt voluit Democritus) in profundum demersam atque abstrusam: quam vt nusquam (quo ad eius in tantis tenebris fieri potest) mendacij fuco contaminem, operam dabo. Itaque dum verum inquirere atque inuestigare, id quod historici maximè proprium est, satago, dabũt veniam mihi lectores, si minus gentis nostræ magnificentiam fabulosis Deorum Titanúmue natalibus augeam, veteri antiquitatis exemplo, quæ vt augustiora sua faceret initia, non sine quadam religione certos Deos aut Heroãs nobilitatis suæ originisque auctores nuncupabat: quod ipsum vt in Græca vanitate tolerabile; ita populi terrarum domini supercilio indignum, quoties cum animo reputo, toties dignitatem domesticam, & natiuum grauitatis decus tueri ac sustinere non posse mihi videtur. Quare vti fictis ac commenticijs fabulis legentium animos trahere atque inescare, à grauitate operis absonum crediderim, ita derogare fidem vulgatis ac quasi per manus vetustatis traditis non temerè ausim. Scio legentium plæroſque auidiùs & maiore desiderio præ-

sentium temporum conditionem exspectare, nouitatis gratia magis excitatos, quàm vetustatis, cuius splendor & gloria penè obsoleuit, cognitione: sed patiantur illi æquo animo nos maiorum nostrorum laudibus, quas bellica virtute nobis immortales, ac longè lateque diffusas, reliquerunt, hac via parentare, dum præsentis tempestatis, quam aut fatalis hominum libido socordiaque, aut opum fortunarumque impotens sui insolentia inuexit, voluntaria quadam obliuione recordationem obruo.

Batani è Cattis oriundi.

IAM primum omnium satis constat Batauos progeniem esse Cattorum. is Germaniæ populus est, qui ob intestinam discordiam vernaculo solo exacti, transito Rheno nouas sedes quæsiuerunt, & occupata extremi Belgij ora colonis vacua, insulam quoque Rheno amne circum fluam vsurparunt. Docent hoc expresse Taciti verba libro quem De Germanorum moribus edidit, quæ sic habent. *Omnium harum gentium virtute præcipui Batani, non multum ex ripa sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperij fierent, manet honos & antiquæ societatis insigne.* Idem historiæ lib. vicesimo altiùs expedit his verbis: *Batani, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulq; insulam inter Vada sitam occupauere, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit.* Hîc clarè discimus originem Batauos debere atque acceptam referre Cattis. At verò quem Germaniæ tractum habitarint Catti, in dubium vocari video; nam Ioannes Stella peregrinationis Philippicæ scriptor, eos habitasse Heidelbergam, Heilbrunnam, & Othonianam syluam censet; Schonerus Mathematicus Saxones tradit; Marlianus ad Hungarorum viciniam eos relegat; Irenicus Thuringos facit; qui omnes perplexo errore intricati tenentur. At Stella altiùs euectus Icarium in modum, dum errorem nectit trahitque, Vsipios Cattorum finitimos, esse

Tacitus.

Catti populi qui, & quam Germaniæ partem olim tenuerint.

siue Vsipetes.

Franco-

Francofortenſes ad Confluentes vſque Obrinci ſiue Moſellæ in Rhenum præcipitantis definit. Rurſus Tencteros Cattis vicinos Heſſiæ nunc dictæ partem incolere ad Lanum & Lippiam amnes ait, in quibus refellendis alibi per occaſionem quæretur materia. Ego Heſſos fuiſſe nihil ambigo, imò cum meliore doctorum parte aſſero, quando eos Cheruſcis, hodie Luneburgenſibus, & Hermunduris, qui nunc Miſeni eſſe creduntur, finitimos & ab Hercinio ſaltu ſedium initia inchoare ſcribat Tacitus. Teſtis eſt Sala fluuius, de cuius poſſeſſione diſcordia perpetua in luctuoſum cum Hermunduris prælium Cattis deſijt, qui in Turingia Naumburgum & Merſpurgenſem diœceſin diuidens in Albin ſe effundit, olim Cattorũ ditionis terminus. Teſtis eſt & Adrana fluuius qui Cattos interfluit, quem nando tranſmiſiſſe iuuentutem Cattorum oppreſſam ſubita incurſione à Germanico Cæs. in eos facta, idem auctor commemorat, qui hodie Eder vocatur & in Fuldam amnem exit, auratarum piſcium fœcundus ſi quis alius, amnis, è rupe cui à rubeo crine, Rodelhar/ nomen eſt, ortum habens, in Comitum, qui à Witichindo Saxone conditum oppidum habent, ditione. Vnde duorum milliarium interuallo diſſidet Batobergum edito in colle poſitum, Adranæ alluenti adſidens, à quo veniſſe olim Batonem noſtrum, aut Bateburgos ſaltem, vero non videtur abſimile. Teſtantur & Catti Meliboci qui ad Rheni ripam arcem habent in caute ſedentem, veſtigia priſci nominis teſtantem, Catzenelboge quæ in Heſſorum ditione cenſetur. Ab hac gente manſerunt nobis reliquiæ ſuperſtites, Cattorum vici duo, ad mare vnus, & alter Rhenoburgo vicinior, intra Batauiæ limites: & Cattium oppidum Zelandiæ, quod ante annos aliquot inundatione maris hauſtum perijt, editiore turre medijs in aquis oppidi memoriam tuente. Sunt qui emigrationem Cattorum è genitali ſolo referunt ad prælium quo cum Hermunduris inter ipſos decertatum fuit, ob fœcundum gignendo ſale amnem cõterminum, quem paulo

Catti ſunt Heßi.

Sala fl.

Adrana fl. hodiè Eder.

Eder.

Catti Meliboci.

Catwijck op zee. Catwijc opdē Rhijn.

Catz.

Emigrationis Cattorum cauſſa.

Hermunduri. ante Salam dixi vocari; quo res Hermundurorum superior fuit, quos ego non auctores, sed gloriæ Batauorum cotes quasdam nominare non reformidem, quippe qui felici prælio & Romanis opibus adiuti Cattos solum vertere Rhenique insulam penetrare compulerint. Itaque Catti aborigines nostri & primigenij parentes meritò appellandi, clarus militiæ pacisque artibus populus, quippe cui multum rationis ac solertiæ præ cæteris Germanis tribuat Corn. Tacitus elogij minimè parcus, in disponenda acie, in obtemperando ducibus, in capessenda vel differenda pugnæ occasione, datque illis ingentem animi vigorem, dura & compacta corpora, strictos artus, vultus minaces, & promissæ barbæ horrore formidabiles, quem oris habitum, virtuti debitum atque votiuum nefas ait fuisse deponere, ante reportatam de cæso hoste laudem, manente imbellibus squallore. Ab his arbitror vernacula lingua & quidem prouerbialiter dici solere Catten/ id est, Cattos, proceres & viros insignes. Batonem regio Cattorum sanguine ortum mutare veteres sedes cum nouis suasisse putatur, non vberioris melioriscque soli inueniendi amor, aut incolarum prægrauis multitudo (quæ duæ caussæ solebant populos excire ad versuram soli faciendam) sed nouercales doli atque insidiæ, & veneno latente imbuti poculi metus (quando cum nouerca pessimè illi conueniebat) conniuente patre, vel saltem non abnuente. Itaque ob eximiam heroïcæ formæ dignitatem, mores amabiles, & virtutes verè regias apud omnes ordines gratiosus, bonam nobilitatis partem, & ingens popularium agmen, haud inuitos omnes in spem meliorum secum attraxit, & consilio soceri sui Tungrorum Regis acquiescens, Belgicæ oræ extrema à colonis vidua occupauit, atque inde transmisso Rheno non procul à Vahalis Mosæq. confluentibus arcis Batenburgi prima fundamenta auspicatò iecisse dicitur, ad Vahalis ripam, quo transito omnem à Rheni bifido tractu (vbi in diuersum vnus continensque antea alueus discedit) regionem ad vsque mare Oceanum insedit,

Catti aborigines nostri. Cattorum industria laudata.

Catten prouerbialiter qui? Bato colonorum dux.

Batenburgi conditor Bato.

inter

inter nobilitatem & populares distributis agris, eamque à suo nomine Batauiam dixit, quod aliud non sonat, quàm Batonis peculium, quasi dicas Batons Haue / est autem Haue/Peculium vetere lingua. Itaque à regio filio principe regni titulum hæc sumpsit & quidem iustè: Huic verò rei attestantur auctores, quos inter præcipuæ fidei Tacitus, Eques Romanus, Augustæ historiæ inclytus scriptor, & Belgicæ Gallicæ rationum procurator, qui Cl. Ciuilem ex posteris Batonis, Regia Batauorum stirpe editum commemorat, vnde non temerè hanc insulam nobilissimam Plinius appellat. Batonis autem nomen inter Germanos & Dalmatas celebre olim fuit, nominatim duorum meminit Dion, Batonis Brucorum (gens ea est Pannoniæ) ducis, & Batonis Disidiati, qui Dalmatas grauioribus iusto tributis & vectigalibus, pecuniarumque exactionibus exercitos, ad arma contra Romanos concitauit, magnisque cladibus & incommodis affecit, cuius etiam memorabile responsum ad Tiberium Cæs. nõ dubitauit duobus in libris LV. & LVI. iteratò repetere, qui interroganti Tiberio cur solicitatis ad defectionem popularium animis ad bellum diuturnum eos traxisset, respondit, Romanos eius rei esse auctores, qui gregibus immitterent lupos custodes, non autem canes aut pastores. At Batonis nostri posteros & nepotes, vt in alijs plærisque nationibus barbaris vsu veniisse video, tradere omisit incuria & negligentia gentis, vel literarum ignorantia, vt nihil inde sperandum sit auxilij in prodendis successoribus aut eorum institutis, nisi si qua obiter recenseat Tacitus, quæ suo loco inserere non supersedebo: volunt illum etiam vlteriore in ripa Neomagij editiore in colle arcem ruinosam collapsamque restituisse, vrbemque triplici muro cinxisse, quod mihi à vero dissilire videtur. quid enim triplicis inter initia muri lorica, & addita triplicia propugnacula voluerunt? anne ita vilem habuit popularium suorum operam? an vt opum profusionem ostentaret? qui talia tradunt, parum rectè famam & existimationē viri tuentur.

Batauiæ etymon.

Haue quid?

Ciuilis regia stirpe editus.

Batonis nomen apud Germanos vulgare in nobilitate.

Bato Brucorum dux.

Bato Disidiatus.

Batonis memorabile dictum.

Neomagum.

faciunt enim inconsultum metatorem & improbum architectum, qui ante inchoatum opus animo non præceperit iustam pro suæ gentis copijs vrbis ac murorum amplitudinem. Mihi probatur magis singulari muro vrbem illum circundedisse, sed gliscente populi multitudine, auctaque progenie, posteros reges addidisse ea ornamenta vrbis & munimenta necessaria. Nam Batone vita functo filius Hesus ædificijs eam augustiorem redditam exornasse traditur, inferioremque eius partem vel excoluisse vel adiecisse, quem in hæc vsque tempora Hesi montem nuncupant: quam secuti Reges caput & regiam Batauiæ esse iusserunt, vti Gerardus Neomagus prodidit commentarijs Principum, vt scribit, adiutus. Meminit Strabo Geographus & Veromyri Regis Batauorum, cuius filia Rhamis nomine matrimonio iuncta fuerit filio Segimeri Cheruscorum ductoris, postea per triumphum à Germanico Cæsare ducta. Quàm verò latè patuerit, quibus circumscriptum finibus istud Batonis peculium fuerit, nemo quod equidem sciam, prodidit, aut certos ei præstituit terminos; nonnulli contractioribus eidem assignatis, potissima parte mutilarunt, & quodammodo deartuarunt. Quare propitiato Termino fines illi perpetuos, stabiles, neque ipsi Ioui cessuros, ex veterum scriptis monumentis, pangam, quos qui transtulisse aut exarasse, nisi Dei consensu, tentarit, is sacer & religione obstrictus esto: confido namque diuina quadam virgula contactos me designaturum. Batauia itaque, quæ à me vetus dicetur, initium olim trahebat à Rheni diuortio, quod arce Lobeco siue Lopeco (quod cursus flexum ἀγκῶνα significat) insigne est, includebaturque hinc Rheno propriè dicto, quod medium Cl. Ptolemæus ostium appellat, apud Cattorum vicum maritimum in Oceani Britannici sinum defluere solitum, nunc obturatum, vti posteriùs dicetur: illinc Vahali, qui deinde Merua, & postea Mosa appellatus in Helium desinebat, siue Vielium: quo Rheni circuitu continentur numerosa hoc sæculo oppida

Neomagij cõditor Bato.

Hesus Batonis filius.

Hoeselberch.

Veromyrus rex Batauorũ.

Rhamis filia Veromyri.

Batauiæ initium.

Lobecum arx.

ista.

ista, vt à capite ordiar, Huessenum, Tiela, Bura, Batauodurum, Traiectum, Viana, Culeburgum, Aspera, Hueclomum, Leerdamum, Iselsteinium, Monfortium, Woerdenum, Oudewatera, Goricomium, Scoenhouia, Durdrechtum, Gouda, Lugdunum, Delphi, Roterodamum, Sciedamum, & Briela; nam Neoportus, & Haestrechtum, quòd ex eorum ruinis alia oppida creuerint, silentio præterco. Quod si quis contraueniat, & litem de finibus controuersis constituere velit, qui eam solùm Gelricæ nunc ditionis partem, voce vulgari Betuam, à Reginone Prumiensi Batuam (non autem Baduam, vt impressos codices manuscriptus facilè redarguit) nuncupatam, Batauiæ nomine censeat (noui enim vecordis arrogantiæ plenos qui id dicturi sint, quasi macula aspergeretur Batauia, si quid cum Hollandia commune habeat) illum ego cito ad iudicem & eausſæ vindicem præcipuum Ptolemæum Alexandrinum, qui M. Antonini principatu vixit, qui Lugodunum, quæ nunc Leyda vocatur, in Batauis ponit, cuius verba, ne aliò quis torqueat, sunt hæc, Λυγόδουνον βαταβῶν, Lugodunum Batauorum, quod oppidum ad quaterna millia passuum ab Oceano tantum dissidet: cuius vel solius auctoritas istum errorem à lata culpa non alienum coarguere possit ac conuincere. Quid idem dicturus est ad Cæsaris dimensionem qui octoginta passuum millia à diuortio ad exitum Rheni (cuius insulam esse Batauiam non inficiabitur) in mare? quid ad alteram Plinij, qui centum prope passuum millia in longitudine habere insulam disertè ait? Quin & Tacitus eam finit Mosæ, ita sub exitum Rhenus audit, in mare decursu. Quibus peramplis & locupletibus testimonijs qui fidem derogare volet, is lucem simul de rebus tollere & artium fundamenta atque principia conetur euertere. Atque istud Batonis Peculium Batauiam veterem nominauerim libenter eam ob causam, quòd multis pòst eius interitum annis Drusus è duobus tres alueos fecerit, & Batauiæ porrectiora pomœria extenderit. Itaque vetus illa Rheni circumfluentis,

Batauiæ oppida.

Betua. Reginonis exemplar corruptum.

Ptolemæus. Lugdunum Batauorum, hodie Leyden fol. 195.

Batauia vetus.

fluentis, propriè ita dicti, ambitu cum Vahali inclusa tenebatur, eoque tempore Rhenus ferè bicornis erat. Cæterùm postquam Drusus continentes terras dissociando rerum faciem mutauit, addito flumini tertio ostio per fossas deductas exercitus sui manibus, nimirum Herculis exemplum æmulari conatus, qui perfossis montibus hærentem Africæ Hispaniam reuulsit, si vera canunt, admisso, quod antea exclusum erat, mari Oceano; videtur ille nobis aliam & quidem ampliorem Rheni amnis insulam, hoc est, nouam Batauiam dedisse, vt eo nomine censeatur, quicquid tribus Rheni ostijs, Fleuo, Rheno vetere, & Mosa hoc sæculo nuncupatis limitatur & continetur, meritoque hanc appellationem sustineat illud quantum est, his temporibus, quibus propter obstructum medium Rheni ostium terræ propè continentes sunt, & pontibus longis, hoc est, aggeribus coniunctæ vsq. ad fretum illud quod nos à Frisijs diuidit (quem liceat hac in parte ingentem lacum vocare cum Pomponio Mela geographo) quando & propter faciles vndecunq. appulsus, & opportunitatem ad transmittēda bella, & nauium infinitarum receptum, cum descripta à Tacito Batauorum insula maximè conueniat. Quare quum placuisse antiquis videam, & frequenti in vsu fuisse, quoties periclitari fidem in vocibus ambiguis cernerent, ne error crearetur, néue redderentur perplexi non sublato discrimine lectores, vt dubitationem diorismo siue enucleata distinctaque explicatione eximerent: huius ergô, bona legentium venia & pace, liceat istam contractè & simpliciter Batauiam, vel cum appendice, si res ita poscat, Plinianam vocare, quòd is cum Mela primus Fleui ostij meminerit, ad quod per Drusianas fossas, quæ Tacito memorantur, aditus patefactus fuit, vt à vetere, quam antea dixi, vt terminis, ita & appellationis discrimine internoscatur.

Drusus tertiū Bat. ostium addidit.

Batauia Holland. cum insulis cōplexa, Pliniana.

Batauia duplex.

DE

CAP. II.

De Gigantibus, quos fabulantur Annales Batauiam tenuisse.

ANnalium nostrorum fidem non possum non eleuare, qui fabulatores exteros scriptores secuti, fabulis origines quoque nostras inuoluerunt: aiunt enim Britanniam insulam gigantum fœcundam fuisse altricem & genitricem quoque, eos genitalibus sedibus eiectos à Bruto Ascanij pronepote, classem conscendisse, & eam Batauiæ partem, quâ Mosa marinis aquis miscetur, tenuisse, vbi vetus Vlaerdinga stetit, ibique arcem condidisse, maris & amnis coniunctis viribus olim subrutam, à se Sclauoburgum nuncupatam, à quibus potentia prævalentibus omnes in occidua plaga Batauiæ incolas Sclauos cœpisse vocari, vt Wiltos, australiores, à feræ & immanis vitæ genere, aut ab hirsutie corporum dictos. Vbi non animaduertêre nostrorum Annalium concinnatores & architecti, adagij veteris, quod loquitur, memorem debere esse mendacem, ac nihilo oculatiores, quàm lumine orbatus Cyclops ille, non viderunt Sclauos à se euestigio nominari, quos modò gigantes fecerant. non absimiles illis qui ab elephanto orsi, in culicem desinunt. Neque verò consentaneam in ipso quasi lare & vestibulo historiæ narrationem incœptantes, non inspexere fidei periculum à se adiri. Quis enim credat ab homuncionibus Troianis fame nauseaque afflictatis, gigantes vasta corporum proceritate immanes, cælo capita alta ferentes expelli tanta facilitate potuisse? aut quis omnino non dubitet, gigantes omnino non extitisse Alöadum similes, quos è medio mari Ægæo insulas reuulsas in cælum euibrasse nugantur cum Nonno Poëtæ? quos δηγαπήχεις & anguipedes fingunt, quum ne Homerus quidem in Iliade (quæ fortium & bellica virtute illustrium virorum catalogus quidam est) vsquam gigantis inter Heroas illos meminerit. Siquidem quæ de gigantibus memorantur, lepida quidem

Britannia Gigantum alumna.

Gigantes Batauiam petunt.

Sclauoburgũ.

Sclaui. Wilti.

Gigantes.

& narratu iucunda videntur, aureſque titillant, ſi mythologiam reſpicias, at falſa, rationique abſona, ſi metiri animo Naturam velimus, cuius modum & menſuram homines, vt nunc viuimus, repræſentamus. Demus Philoſtrato, ſed non vt Xenocrati iniurato, Hadrianum Imp. apud Sigæum inuenta à ſe in tumulo, maris alluuione corrupto, Aiacis oſſa vndecim cubitos longi, in vrnam compoſuiſſe. Demus Theſſaliam oſtendiſſe Aloëi filiorum oſſa nouem orgyias longa, qualibet orgyia ſenos pedes cum quadrante continente. Demus Oreſtis cadauer apud Nemeam à Lacedæmonijs inuentum expleuiſſe cubitos ſeptem. Demus eidem ſcriptori in Co inſula ab affini ſuo Hymnæo repertum, dum vinea effoditur, cadauer duodena cubita longum, affirmanti: ſed ita demus, vt fabulatori, & ex vinitoris fide multo incredibiliora miracula narranti: quando etiam mediæ ætatis hiſtorici Carolo Magno (cui rerum geſtarum magnitudo cognomentum illud peperit) nullum mendacijs modum ſtatuentes, prodigioſam & tantùm non giganteam membrorum vaſtitatem, cognominis materiam, attribuerint, affingentes illi faciem ſeſquipedē longam, pedem latam, naſum in ſemipedem porrectum, corporis craſſitudinem intra zonam octonûm pedum. Mirum, ni Enceladum quempiam aut Gyen præclari architecti poſteritati perſuadere voluerint. Athenagoras in legatione ad M. Aurelium Antoninum, cumque eo in eadem opinionis naui iactati Tatianus Aſſyrius, Iuſtinus Martyr & Firmianus, credidere gigantum natales extitiſſe è congreſſu angelorum cum virginibus; quorum veſtigijs inſiſtens Sulpitius Seuerus ſacræ hiſtoriæ initio, ſcribit angelos naturæ ſuæ originiſque degeneres, relictis ſuperioribus ſedibus, quarum erant incolæ, matrimonijs ſe mortalibus commiſcuiſſe, atque ita paulatim corrupta humana progenie, ex eo coitu gigantes eſſe editos, vt monſtra è miſtione diuerſæ inter ſe naturæ genita. Sed vt iſtud dogma orthodoxæ Eccleſiæ iudicium labefecit atque improbauit, ita quid de gigantibus ſemel ſit ſta-

Gigantes an fuerint?

Aiacis oſſa.

Aloadæ.

Oreſtes.

Carolus Magnus.

Gigantes ex angelis.

Sulp. Seueri opinio de gigantibus.

sit statuendũ, eleganter & docte enucleauit Cyrillus Alexandrinus libro aduersus fidei defectorem Iulianum nono, qui, vt eius diffusam orationem in compendium conferam, id in vniuersum sentit, posteros Enos filij Adæ (qui cognomento Deus, ob summam virtutem inter mortales dictus fuit) multis pòst sæculis cum Caina posteritate, formarum præstantia illectos, coniugia miscuisse, proculcato honesti & virtutis amore ac studio, atque inde enatos gigantes, sacra historia, proteruos, immanes, truculentos, & aspectu horribiles eo vocabulo designare consueta: quomodo Deus interminatur ore vaticino Iudææ, Venient (inquit) gigantes vt furorem meum expleant, læti pariter & iniuriam consociaturi. Annales nostri tradunt à Wilelmo, cui cognomentum Boni virtus dederat, Comite Hollandiæ, adductam fuisse ad nuptiarũ sollennia Caroli Pulchri Franciæ Regis, inusitata corporis mole fœminam natione Selandam, præ qua proceri etiam viri pusiones videbantur; tanto etiam virium robore, vt bina dolia Cereali potu referta, ambabus vtrinque manibus portaret, quæ singula quadringenta pondo Italica appendebant, trabemque cui attollendæ impares octo viri fuerant, quò vellet, transferret. Memoratur & Nicolaus Kyethenius, quem Spernerwouda pagus extulit; tam enormi fuisse corporis vastitate, vt proceriſsimum quemque sui temporis subalarem admiserit, sed vires moli corporis & symmetriæ impares, non respondebant. Vti in eo quem Iulius Scaligerus se vidisse testatur Mediolani, qui in nosocomio decumbens duas spondas lectorum iunctas porrectus explebat. In Herculana familia illustri apud Batauos, Ioannes eo nomine octauus, Gigantis cognomen tulit, ob vastam corporis staturam, robur incredibile, & animum infractum, cunctis formidabilis, quem Annalium monumenta perhibent, caballum ingentem solo attollere, & aduerso parieti appressum immobilem sistere potuisse, vnum Iunio Valenti & Miloni Crotoniatæ parem. Refert & Scaligerus ante annos circiter octoginta in Corcyra fuisse

Cyrill. li. 9.

Cyrilli senior opinio.

Enos cognomento Deus dictus.

Gigantes qui?

Fœmina Selanda inusitatè grandis.

Nicolaus Kyethenius.

Ioannes Herculanus Gigas.

effossum hominem, cuius brachium iusti cruris totius longitudinem exæquabat. Hector Boëthus rerumque Scoticarum scriptores memoriæ prodiderũt, quendam Ioannem antiphrasticè Pusillum cognominatum, impleuisse statura pedes quatuordecim, in extremæ Scotiæ insula sepultum. Sed hæc vel roboris rari, vel proportionis iniquæ miracula, haud giganteæ & humana maioris speciei esse possunt, qualem veteres credidere, & plærique persuasi existimarunt, & suam fidem alijs quoque approbare conati sunt. Verùm vt gigantes in genere mortales dicuntur ex humo geniti, quasi γηγενεῖς & terrigenæ, ita eos propriè nomẽ istud mereri censeo, qui originis suæ ac sortis obliti, ad maiora altioraque, quàm locus & conditio sua fert, contendunt, & vmbram suam (quod dicitur) transiliunt: quo in genere antesignani sunt, qui regnum cæleste affectant, hoc est, diuinos sibi honores arrogant, & aras sibi tantùm non Sabæo thure accendi, proque Dijs haberi volunt. Quibus proximi sunt, qui fas omne, religionemque, Dei iura, oppugnatum eunt ac violant, cultum Dei abolent, sui inculcant, iuxta Athenagoram; qui Principibus, Magistratui, ac legibus (quæ Dei manus sunt) resiliunt ausu temerario: qui seditiosè tumultuoseq; populum ad rebellionem concitant: qui sanguinarijs concionibus Principum sæuitiam armant atque accendunt: postremò qui per fas & nefas malisque artibus honores & munia quibus impares sunt, aut quò æqualibus graues & damnosi officiant, aucupantur; clandestinis offucijs subditos irretiunt, grauioribus iusto oneribus obruunt, nimiumque plebem emulgendo sanguinem exprimũt, quos sub Nimrodi robusti venatoris nomine sacræ literæ obtegunt, & gigantes vocant, quos Iouis & Mineruæ manubiæ plærosque solent delere. Itaque vt ad Annales redeam, facile adducor vt credam eos qui Vlaerdingam è Britannia in hanc oram classe appulerunt, ab Anglosaxonibus expulsos, aut Nortmannos Danósue, qui securi tyrannico in otio, regnum occupatum eripi sibi è faucibus passi sunt multis pòst annis

Ioannes Pusillus.

Gigantes qui propriè.

Gigantes allegoricè.

Nimrodus.

Gigantes in scriptura qui?

Qui gigantes in Hollandiam appulerint.

annis, ob molem corporis, & speciem oris horribilem, gigantes fuisse habitos, fama (quæ cuncta in maius augere solet) adueniſſe gigantes canente: atque inde natam fabulam firmiter eredo, in eamque sententiam non dubito quin mecum descensuri sint omnes qui sanæ mentis vnciam habuerint.

CAP. III.

Batauiæ Plinianæ & Populorum eius descriptio, & nominum enodatio.

COchleæ, quas vocabulo Pacuuiano non malè domiportas nominare liceat, extra prorepere, deserto quod incolunt domicilio, non solent, neque iter ingredi, nisi quod emissitijs illis corniculis, quæ primore in fronte emicant, explorarint priùs atque prætentauerint. Eundem ad modum animus mihi est incorruptè & ex fide Batauiam describenti, à vetere illa matrice, quam pro argumento circumfero, non discedere, aut aliam aperire viam, quam Plinius Germanicarum rerum obseruator pariter & scriptor diligentissimus, quippe qui his in locis cum Druso Nerone militauit, ac proinde locuples ad augendam fidem auctor atque testis præiuit: cuius breue elogium quo Batauiæ magnitudinem, quousque porrecta, quibus inclusa finibus, quos in sinu populos foueat, complexus fuit, vice iusti commentarij à me habetur: vnus ille mihi instar multorum, imò pro sexcentis fuerit, quod de Heraclito prolatum olim memini. Cuius orationem, vt ordine hæret, neque commota scripturæ, non magis quàm sacrorum, fide, velut solenne carmen ab apparitore publico stata verborum lege recitari solitum, in medium lectoribus proferam, ex quarto Naturalis historiæ libro. *In Rheno ipso prope C.M. passuum in longitudinem, nobilissima Batauorum insula, & Canenufatum, & aliæ Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorumq́, sternuntur inter Hèlium ac*

Cochlearum ingenium.

Plinius Secundus.

Plinio quanta fides præstãda.

linij verba e Batauia, b.4.

Fleuum. Ita appellantur ostia, in quæ effusus Rhenus, ab Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit; medio inter hæc ore, modicum nomini suo custodiens alueum. Quibus ex verbis liquidò discimus, Rheni insulam Plinij ætate, in septenos diuisam fuisse populos, Batauos nimirum, Caninefates, Frisios, Cauchos, Frisiabones, Tusios (quos cur ita nominem hoc loco, dicetur postea) & Marsatios Marsacósue. Hac in tabula prima se offert inter cæteras insulas concluſa Mosæ Rheniqúe fluminum ostijs, tam illa, quàm hac nostra tempestate non ita multum diuersis, Batauorum insula, cuius situm ambitiosè hîc describere superuacuum fuerit, quando id abundè satis, ex Rheni eiusque decursus descriptione, quam paullo pòst subijciam, præstiturum me confido. nunc satis habebo habitum & formam eius dare, secuturus in eo chorographos alioſque vetustos auctores, quos plurimum operæ collocasse video, vt locorum habitus, rerum idæis atque imaginibus quàm conuenientissimè assimularẽt: ita Sallustius in secundo Historiarum Sardiniam facie humani vestigij esse scripsit, vnde & Myrsilus Lesbius Ichnusam quasi vestigialem, & à soleæ effigie Sandaliotin Timæus eam dixere. Plinius Italiam hederæ folio aut querno potiùs assimilem facit; vt Peloponnesum platani folio, propter angulosos recessus: Naxum insulam pampino vitis idem: Cyprum velleri ouis scriptores compararunt, vt Iberiam tergori bouis: rursus Euxinum arcui in cornua curuato Dionysius Afer componit, & Libyam figuræ quã Nicomachus Gerasinus mensalem nuncupat. Hiberniam insulam querno folio, vbi cuspis & pediculus molliter resecti ademptiqúe fuerint, persimilem descripsit nuper Paulus Iouius. Horum exemplo liceat & mihi Batauiã vel Ægypto assimulare, quam veteres Δ delta vocitarunt, quòd eam Nilus fluuius ita findat, vt triquetram planè terræ figuram efficiat; vel Alexandriæ, quæ ad effigiem chlamydis militaris, orbe gyrato lacinioſa, & dextra læuaque anguloso procursu à Plinio describitur. Vtraque figuratio

Loca formis rerum assimulata.
Sardiniæ forma.
Italiæ species.
Peloponnesi forma.
Naxus.
Cyprus.
Iberia.
Euxinus.
Libya.
τετραξοειδης Hibernia.
Batauia Δ assimilis.
Bat. Alexandriæ assimulata.

figuratio non ineptè cum regionis huius situ conuenit, præsertim si initio statuas Teceliam, siue vt nunc scribimus; Tessel. Tessaliam, quæ iã insula à reliquo auulsa corpore ante quadringentos vel circiter annos discessit, olim continentem, aut certè peninsulam, fuisse. Rhenus namque sui diuortio in binos alueos, totidem nunc ostia, diuisus, hinc in Septentrionem, illinc in Occasum decurrens, bina insulæ latera non multum sinuosus circundat: tertium Oceano fluentorum omnium receptatori exponit, alluendumque obijcit; ita vt Δ capitalis literæ speciem propemodum exprimat. Batauiæ figura. Propius tamen aliquanto ciuitatis Alexandrinæ figuram Pliniana descriptione repræsentatam referre olim visa est, anguloso exitu vtrinque procurrentis Fleui Mosæque protenta, & sinuoso littoris gyro flexuosoque in quendam laciniarum modum curuata. Batauiam verò colles arenarij seu sabuleta, quos Africi & Cauri ventorum flatus nimium nobis peculiares è sicco littore impulsos introrsum excitant, nusquam ferè cingunt, nisi quâ Oceanus terrarum finitor ambit, qui ab infesta plaga & atroce illic cælo, ventis agitati prorsum semper differuntur, sterilitatemque inuehunt, naturæ suæ congruam, vt agros quibus incumbunt verè ἁλισπαρτὰς, veluti salis semente consperſos, dicere liceat, in quos verissimè quadrent Maronis versus: Arenarij colles vbi. Arena steriles agros reddit. Virgil.

Salsa etenim tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix, ea nec miteſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina seruat.

Vsqueadeo ex his quæ ibi seruntur, nihil nisi arundinacea quædam soboles aut loliacea messis inanibus aristis expectandum est, quæ ipsa adhuc beneficij loco numeranda fuerit. Vnicum etenim sabuletis illis remedium Naturæ benignitas opposuit, non ericas, vt Brabantiæ quibusdam locis, aut viridem muscum, quo telluris superficiaria cutis oblita manet, sed caricem iunci genus acutum duriſſimumque, non absimile sparto (perperam enim alicubi in Dictionarijs, asparago, pro sparto, excusum inuenio) quod altissi- Erica. Muscus. Carex genus iunci. Helm. Dictionarij error.

auidissima crescendi proserpendique cupiditate latissimè altissimeq; radices agit & quaquauersum spargit, è quarum fibris internodijsque spissi comarum veluti nidi suppullulant, quibus volaticos illos arenarum nimbos ligando compescit ac fideliter continet, citissimè soboleſcens: qua materia quia nihil vtilius agricolæ inter omnia inueniũt sistendo illi sabuli fluori, quotannis habito solenni conuentu coram delectis ludicibus consultatur, quibus maximè locis necessaria caricum plantatione occurri debeat actæ ventis arenæ, ne felicia arua operiat. Ea opera publico impendio constat; siquidem vbi densissimæ carectorũ syluæ & inutiles sunt, inde reuelluntur soboles, ac locis opportunis rursum depanguntur: alioqui non fossæ, nõ aggeres satis tuta aduersum iniuriam illam propugnacula sunt. Quòd si fossis refrænare libidinem illam incoërcitam velis, eâdem operâ etiam ventos retibus cohibere pares; vix enim mensem vnum duraturus interdum labor & quidem superuacaneus tibi sumatur, quando repletis illis redibit labor actus in orbem. At aggeres, vt obstacula quædam esse non inficior, ita æstum illum fluidæ arenæ excipiunt quidem suo veluti corporum oppositu, sed vbi paulatim illos scanderit aggesta arenarum moles, transcensui quoque viam præbent. Porrò spatium longitudinis insulæ Batauorum controuersum facit dissidium, ac dissensio inter duos magnos viros, quorum interfuit penitius illud perspectum planeque cognitum habere, vtpote ambos oculatos testes, Cæsarem dico & Plinium, quorum ille à diuortio Rheni, vbi ager Batauus initium sumit, ad extremum eius in mare decursum octoginta passuum millia, hic propè centena statuit, decempedatoris vterque vicem ritè præstans; sed ab illo spatium linea quasi perpendiculari directum designari arbitror; ab hoc cursum amnis flexusque in mensur[illegible]onem vocari, quod alibi attigisse scio. fieri tamen potest v[illegible] In codicibus Cæsaris deducta sit aut omissa vitio scriptoris decussis vna: nostratia verò circiter vicena bina milliaria spatium idem inter mare

Caricũ plantatio solennis.

Fossæ nec aggeres quidquam prosunt aduersus arenas.

Dissensio Plinij & Cæsaris de longitudine Batauiæ.

mare & Lobecanam arcem Batauiæ initium, exæquant. Hæc esto accessio quædam & additamentum eorum quæ nobis de Batauia dicta sunt. Sequitur Caninefatum insula, quorum ego terminos non multum euariare à vetustis suspicor, bonaque coniectura ducor; siquidem insula fuit; (id quod expresè loquitur Plinius) eos à secundo Rheni siue medio ostio apud Cattorum Vicum initium capere, longoque terrarum tractu secundum colles arenarios, cuniculorum stabulis antrisque in hunc vsque diem nobilitatos (vnde genti quoq; gratissimo cuniculorum cibatu vtenti nomen olim inditum postea doceo) sedes suas habuisse Harlemo tenus, ita vt Oceanum Britannicum, iniquum vicinum, cum prædictis collibus habuerint ab Occidente: à nascentis verò Solis plaga diuisi fuerint alueo vno ex elicibus Rheni, qui palustri solo inerrás, incredibile quantum terrarum absumpserit patrum memoria, ingens nunc & re & nomine Lacus effectus. ditionis autem illorum fines terminasse videtur riuus (Becam nominant) qui ciuitatis mœnia quondam alluebat, nunc mediam vrbem in fori ædisq; primariæ vicinia secans, Sparnum amnem intrat: aut certè alueus fluuij qui apud prædictam ciuitatem olim labens, sacratum Diuo Adelberto collem (quo nomine palatium secretioribus Principis curis venatuiq; dicatum adhuc superest) præterluebat, arcemq; præ nimia vetustate iam ruinosam Brederodũ, cuius alui manifesta oculis etiamnum visitur cauitas, & à colonis accolisque passim commonstratur, Rhenum nomine repræsentans. Atque inde Frisiabonum fines incœpisse, verisimili coniectura augurãtur nonnulli, vestigium vocis antiquũ, gentis nomenclationi nonnihil attestans in medium adducentes, nimirum planitiem permagnam atque herbosam, quæ nominis reliquias superstites, sed in tanto sæculorum decursu aliquantum obscuratas obliteratasque conseruet, Brisæpe dictam voce corrupta ex Frisæpe, atque hac ex Frisiabonum nomine. Horum orationem quasi impudentem quòd probabilitatis

Caninefatum regio.

de Beeck.

Aelberts berch.

Frisiabones.

ſpeciem primore fronte oſtendat, vt non omnino refellere, aut mendacij arguere, eſt animus, ita neque planè probare poſſum, quippe quum inclinet magis, vt credam eorum confinia vltra Almeriam oppidum protenſa fuiſſe, & Kinheymo alueo diuiſa. Itaque rem in medio relinquo, quòd teſtimonia & tabulas in rem præſentem dare nequeam. Oportet autem magnam fuiſſe gentem & validam, quam ſolo numero à Batauis, qui quadruplo plus terrarum feracium habebant, ſuperari dicit Tacitus, cuius iſta de Caninefatibus in Hiſtoria verba leguntur. *Ea gens* (inquit) *partem inſulæ colit, origine, lingua, virtute par Batauis, numero ſuperantur.* Non ſum tamen ignarus, alios hac tempeſtate ditioni iſti, quæ nunc Kinnemaria audit, proque Caninefatum regione habetur omnibus, aſſignari terminos, quaſi principium capiat à riuulo qui iuſtum circiter milliare diſtans Harlemo, præterluit tumulum, cognomento Delitioſum, finiturque ad ſextum inde milliare apud Almeriam. Tumulum autem Delitioſum nomino cum vulgo (qui Weligheberg vocatur) quòd veteri religione ac ritu nouæ nuptæ cum æqualibus eò ſolent altero nuptiarum die quadrigis peruehi, velut valedicturæ ſolatiis turbæ puellaris, actæque hactenus cum illis conſuetudini, tanquam matrimonium nunc religioſum ipſis ſit amare, paratæque ſint illic obruere anteactæ vitæ oblectamenta, domeſticis rei familiaris curis iam initiatæ, vagis amoribus impoſito modo. Hunc, inquam, ſtatuunt decumanum limitem ab occiduis arenarijs collibus in ortum tendentē, eoque riuuli decurſu definiunt ius prætoriū Baiui Kinnemarienſis, quem ita vocant. Ditionem hanc Kinheim dictam inuenio ad annum ſalutis octingenteſimum octogeſimum quintum (ingens enim error in annorum calculo irrepſit in Reginonis, apud quem iſtud legitur, libros mendoſiſſimè excuſos, quos Egmondana Bibliotheca emendatiſſimos mihi ſubmiſit) quo tempore Nortmanni qui è Cimbrica Cherſoneſo ſiue Dania oram ſoluerant, cum claſſe in Kinheimariam appulerunt,

Tacit.

Kinnemaria.

Delitioſus collis.

Kinheimum.

Reginonis libri mendoſi.

lerunt,& consensu Gotefridi Danorum Regis, Frisiæ Domini, Drusoburgum, corruptè nũc Duiusburgum dictum, occuparunt. Ea Kinnemaria, corruptiùs etiam Kermerlandia, veriùs Kinheimaria appellanda est, quæ corruptela vulgi vitio accidit minùs articulatè voces pronũciantis & truncas interdum reddentis, quando syllabarum coitu & frequentiore contractione vtitur. Ostenditur adhuc isto sæculo in Kinnemaria medio fermè itinere inter Harlemum & Almeriam extra regiam viam seclusus tumulus in agris editior, ab aratri profanoq; vsu hactenus liber, quem Principis inaugurationi consecratum olim fama posteris nobis per manus tradidit. Diuæus qui Belgicæ antiquitates breui libello collegit, omnibus modis inficiatur, Caninefates eos esse, qui Kinheimari appellantur, eo vsus argumento, quòd penè vltimi sint Hollandorum Frisiam versus: qua in parte non omnino erroris insimulandus fuerit, si Frisiorum terminos Harlemum vsque propagabimus, quæ multorum opinio est pertinax, cui & tritum videtur astipulari prouerbium, quod bouem cauda tractum, si collicias forum Harlemianum medium secantes superarit, in Frisium agrum transmitti, loquitur. **Staet te Haerlem opt zant, ghy werpt een Koe in Vriesslandt.** Sed istius prouerbij originem recentiorem esse autumo, quàm vt priscum ac genitalem Frisiorum positum respicere potuerit. Aliud dicturũ fuisse reor, si sciuisset riuo Kinheimo ad Almeriam diuidi separariq́ue à Caninefatibus Frisios tanquam limite, eos inquam Frisios quos discriminis causâ Cisrhenanos nomino, per pagos, non oppida habitare quondam consuetos, variaq́ue aduersus Comites Hollandiæ belli fortuna semper vsos, sæpe victores dum libertatem à dominatu prætexunt, in quibus numerantur Horna, Enchusa, Medenblicum, & Scaga. Nesciuit (bona viri pace dixerim) Caninefatum & Frisiorum extrema terga claudere Tusios & Marsatios, dè quibus ne per somnium quidem meminit, fortassis eorum fanatico imbutus errore, qui Sturios (ita enim apud Plinium legunt) &

Kinheimaria. Kermerlant.

Diuæi argumen. de Caninefatibus.

Frisii Cisrhenani qui.

gunt) & Marsatios in Transrhenanis Frisijs collocant. Neque aliam visus est agnouisse Frisiam, quã quæ trans sinum Batauicum Frisia in pinacibus appellatur, alioqui particulatim de Frisijs quoque intra Rhenum à Plinio accuratè nominatis verba facturus. Adtexit argumentum frigidum parumque firmum tale, Si, inquiens, vlteriores Batauis fuissent Caninefates, quis crederet hominem nihil apud Batauos ausum vlteriora petijsse? aut terrestrem Neruiorum exercitum per mediũ Batauorũ Caninefatibus inuexisse? loquitur de Cl. Labeone Batauo, alæ equitum præfecto, qui æmulus Ciuilis cumque eo simultates exercens, postulato præsidio à Vocula legato promiserat se reducturum ad Romanum obsequium potioré Batauorum partem: sed promissis largus fidem non præstitit, quando nihil inter populares suos moliri ausus, exigua equitum peditumque manu & Betasiorum Neruiorumq; tumultuarijs copiolis instructus deflexit in Caninefates, eosque cum Marsacis incursione vexauit, obsidente cum Batauis Frisijsque apud Vetera Romanas legiones Ciuili. Quid? mirúmne videri cuiquam debeat, quòd expectatione sua & spe exciderit (vt fermè solent imprudenter capta consilia frustrati consultorem) apud populares Batauos qui propter præsentis delectus acerbitatem animos iam à Romanis alienarãt, non auditus? quodque propterea nihil inter suos ausus, quorũ erat ingens & metuenda potentia, citra maleficium infecta re patrio è solo discesserit? quodque propterea ne non fecisse aliquid videretur, transmissa extrema Batauiæ ora, cum expedita militum manu prædatoris more Caninefates incursauerit? id certè procliue factu illi erat locorum gnaro, præsertim quum duce Brunone Caninefatum meliorem bello partem abesse in castris Ciuili coniunctam ipse non ignoraret: accedit quòd non iusto bello eam gentem aggressum Labeonem, aut habitis statiuis moram traxisse dicit Tacitus, sed prædatorijs modò globis infestasse: idque clarè loquuntur scriptoris verba illa, *Et furtim magis quàm bello*

Caninefa-

Caninefates Marſacosq; incurſabat. Quantulum verò erat traiecto amne, paucis milliaribus confectis, improuiſos ſubitario agmine, priuſquam cogi miles ac nomina dare poſſet, adoriri atque opprimere? Illud verò inſolens atque ineptum planeque βεκκεσέλινα olens, quòd vlteriores Batauis eſſe Caninefates negat: quin ergo ſi velit eos citeriores, definiat mihi eorum ſitum; meo certè iudicio quicunque oram ſoluerit è quouis Belgicæ portu aut loco Rhenum traiecturus, in Batauorum opinor fines appellet, nuſquam in Caninefates incurſurus antea quàm medium Rheni alueum tranſmiſerit. nam quum Romanæ, hoc eſt, Belgicæ oræ, ſolo amne diuiſi, propinqui ſint Batui, vt veterum teſtimonijs patebit, nullam intermediam Caninefatibus relictam ſedem video. Pugnat Ioannes Stella Hiſpanus alio argumento, ſed friuolo, quaſi Caninefates Batauiæ veteris populus fuerit, hoc eſt, Vahali & Rheno medio oſtio concluſus; idque Plinij verbis probare aggreditur, exaggerata altiùs oratione fidem viri attollens, quaſi ſit qui eam extenuare dilutamq. reddere conetur: id quod neminem quantumuis profligatæ famæ tentaturum confido. Verba autem Plinij propter quæ tantam molem orditur, hæc ſunt: *Nobiliſſima Batauorum inſula & Caninefatum*. E quibus planè perſpicueque dictis hunc elicit ſenſum, ab auctoris mente & Romana puritate alienum, Caninefates in Batauis eſſe, quaſi, &, poſitum fuerit loco, pariter aut ſimul: hoc ſenſu, Nobiliſſima Batauorum ſimulque Caninefatum inſula: Quum diuerſas & ſeparatas eſſe inſulas, vt re vera fuerunt, innuat, ſed præ alijs, quas ſubiungit, famoſas. Taciti quoque verba à vero detorquet idem, vt conceptæ ipſius opinioni priuatim famulentur ac ſeruiant, ex libro quarto Hiſtoriæ deſumpta, vbi de Caninefatibus loquens, *Ea gens*, inquit, *partem inſulæ colit, origine, lingua, virtute par Batauis, numero ſuperantur*. Hîc mecum expendat æſtimetque Lector non iniquus hominis aſtutiam, qui vt contrariam ſententiam obtineat, ſuam confirmet, teſtimonium lacerum citat

Io. Stellæ argum. de Caninefat.

rum citat & dimidiatum, qui debuerat nusquam accisum, sed suis illud partibus integrum proferre, quod ipsum in scriptura sacra cum periculo fit. Vtrobique enim illud & vt ὅπλον ἀρετῆς & καχίας κέντρον (vt Nazianzeni verbis dicam) adduci potest. Sed ne extra carceres euolem longiùs, age Taciti verba exactiore iudicij trutina ponderemus atque expendamus pressiùs; quæ dum indagandæ veritatis studio examino, haud iniquiore feret ille animo, si quod profiteri videtur institutum, auctoris fidem non eleuem, & extra Platonem veritatis amori palmam transcribam. Verba igitur Taciti, quæ aliud illius auribus suggestura fuerant, si accuratè legisset, hæc lego: *Missi ad Caninefates qui consilia sociarent*. tum subsequuntur quæ modò adducta sunt verba ex illius citatione, quibus vti lumen aliquod adhibeam, rem illustriorem aliquanto reddam, quæ ita habet. Quum Ciuilis defectionem à Romanis parans res nouas moliretur, primores gentis Batauæ, & promptissimos è vulgo specie epularum in sacrum nemus cõuocatos, ostensa ob oculos seruitij quod patiebantur indignitate, ita commouit flexitque, vt vnanimi consensũ iugum exuendum decernerent omnes: itaque ne soli illi tantam belli molem sustinerẽt, vtque comparatis aliunde auxilijs, vires aliorum societate auctas firmarent, misere legatos ad Caninefates insulanos, qui suorum illos consiliorum participes facerent. Dicat per Iouem ille mihi, quorsum legatione missa ad Caninefates opus erat, si sui, hoc est, Batauici dominij & principatus terminis velut cancellis continebantur? si communi vtebantur iure? Cur Bruno Caninefas statim delectus dux à suis, non expectato Batauorum subsidio improuisus hyberna cohortium ad Oceanum irrumpit? Cur postea Ciuilis dolo inuoluens premensque consilium, se facilè compressurum Caninefatum tumultum apud præfectos præsidiorum Romanos pollicetur, nisi diuersas secretasque gentes Batauos & Caninefates esse inter illos constitisset? Verùm illud imposuit viro docto & fraudem fecit, quòd non

Bruno Caninefat. dux.

animaduerterit

animaduerterit aliter insulam constitui respectu Fleui ac Mosæ, aliter item circuitu medij (vt dixi) ostij & Vahalis. Illud quoque nonnihil est, quod tametsi insulis discretos, lingua tamen communi vsos fuisse indicat Tacitus, neque perinde populosam Caninefatium fuisse, vt alteram illam, cùm ciuitatem, tum insulam. Documentorum satis datum iam confido, quibus separatos & vlteriores fuisse Caninefates, quàm Batauos manifestò liqueat. Omitto hîc apponere alibi mihi dicẽdum gentis istius etymon, ex quo facilè elici possit, quem insulæ tractũ olim insederint. Gentis laudem & gloriam bellicam cumulatiùs exprimere non potuit Tacitus, quàm quòd virtute Batauis pares dixit, quæ tũ ostendit se, quando Neruios (qui inter Belgicæ totius populos virtutis opinione excellebant) commotos, vt pro Romanis bellum aduersus Ciuilem capesserent, ipsi soli citra auxiliares copias fuderunt. Eiusdem documentum edidit Bruno Caninefatium in Batauico illo motu ductor, quando citato agmine cohortium Romanarum hyberna Oceano præsidentium expugnauit, vt diximus. Eadem gens classem Britannicam, quæ metuebatur Batauos afflictura, quâ Oceano ambiuntur, venientem in auxilium Turullij Cerialis, vltro aggressa est, nauiumque partem maiorem depressit, aut cepit. Memorat Tacitus Gannascum quendam natione Caninefatem strenuum & bellica laudè inclytum ducem, qui diu Romanorum auxiliaris, eorumque stipendia meritus, postea ob offensas nescio quas perfuga ad Chaucos desciuit, & prædas vndecunque agens orijs leuibusque nauigijs Gallicam oram infestauit: quem, quũ virtute & aperto marte non posset, compositis illi vt violatori fidei (nam hoc nomine culpa & cædes prætexenda erat) insidijs, interfici curauit Domitius Corbulo, cõmotis, vti par erat, viri genere & factorum gloria clarissimi cæde, Chaucorum animis. Vnam Caninefatum alam, quæ aduersus Frisiorum rebelles fortiter rem gerebat, sed per imperitiam ducis Apronij (qui non simul continente agmine subsidia-

Caninefatum gloria bellica.

Gannascus Caninefas.

rios

rios hostibus incubituros, sed per interualla immiserat) fessa vulneribus fathiscebat, ægrè periculo exemptam fuisse testatur Corn. Tacitus. Morem fuisse Caninefatibus idem scriptor tradit, quòd dicta & exhortamenta ducum approbarent crepitu armorum quæ complosa concutiebant, & tripudijs. Eos primus subegit Tiberius ab Augusto iam adoptatus, referente Velleio Paterculo. Sequuntur Frisij, sed Cisrhenani, quorum occasione de Frisijs in genere dicendum mihi putaui liberiùs veriusque, contra vulgatam opinionem & doctorum hominum assertionem. Frisios à Phrygijs, si dijs placet, genitalem ortum trahere sunt inter nugiuendos & fabulatores qui non dubitarunt scriptis tradere, duce & nominis primo auctore Grunio Phryge, qui de suo nomine Gruningam vrbem in Phrysijs condiderit, ædificato ibi admirandi operis templo, columnis, Phrygijs crediderim, fulto; vt nullum tam impudens reperitur mendacium, quod auctore caruerit. Hæc gens, vt & Francica, certè coniuncta, si non eadem, vt dicetur postea, eandem propè gloriæ hæreditatem cernere ambitu quodam & peculiari tuendæ libertatis studio videtur, pari ardore operata, quæ nominis occasio vtrisque fuit. Certè hi se liberos Frisios prouerbialis dicterij specie etiamnum venditant; seque Cæsarum necessarios cognatosque ipsi nuncupant, referentes id, vt opinor, ad Carolum Magnum Francorum iuxtà & Frisiorum Dominum, Imperij assertorem ac vindicem, natione Francum, hoc est, liberum: quò spectat etiam quòd plæraque omnis nobilitas inter Frisios clypeis suis & insignibus dimidiatas aquilas adijciat. Tacitus Frisiorum duo tradit genera, in libello de Germanorum moribus, Maiores & Minores, ex modo virium ac multitudinis distinctè explicateque appellans, qui quanquam tollendi discriminis caussa Occidentales & Orientales è terrarum positu nominari deberent, haud scio tamen qua factum ratione sit, vt isti de possessione fiduciaria, velut sexagenarij de ponte (quod dicitur) deiecti detrusique, vsurpationem nominis

Caninefatium mos militaris.

Caninefates à Tiberio primùm subacti.

Frisii Cisrhenani.

Frisiorum origo fabulosa.

Frisii à libertatis studio dicti.

Frisii liberi.

Frisii duplices, maiores & minores.

Chaucis

Chaucis minoribus Embdanisúe reliquerint, simpliciter sine additamento Frisiorũ, patrium & vernaculum vocabulum appellationemque conseruasse contenti, de cætero securi sint. Porrò Maiores Frisios Transrhenanum esse populum, testatum monumentis reliquit libro quarto Tacitus, inter Amisiam & Rhenum amnes sedes illis determinans: at Minores inter Hollandiæ populos, Caninefatibus contiguos, & Batauici freti, in quod Isala alterum Rheni ostium decurrens, mari ius suum transcripsit, accolas esse ostensurus, ante omnia operæpretium fore duxi, si Peuceri errorem detergerem, ne maioris labis occasionem suppeditet semel receptus animis altiusque insidens, quem citatis priùs viri eruditi verbis conabor postea conuellere: sic autem ait, *Frisii hodie distinguuntur in Orientales & Occidentales, fluminibus Amiso & Albi conclusi, medio Visurgi dirempti, Ostfrisen & Westfrisen*. hactenus ille. Eadem erroris nebula inuoluit Ioannem Caluetum, qui minorem Frisiam inter Visurgim & Albim amnes, ineptius etiam quàm ille, collocat, à Saxone Grãmatico deceptus. Qui vt toto aberrent cælo, ac δὶς διὰ πασῶν loquantur, Taciti verbis manifestum faciam, diligenter expensis. ea ita habent, *Maioribus minoribusq; Frisiis vocabulum est ex modo virium, vtræque nationes vsque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntq; immensos insuper lacus, & Romanis classibus nauigatos.* Quibus verbis quis non ceu classico excitatus veternum excutiat, ac clarè perspicueq. animaduertat, Maiores, Ostfrisios propriè dictos, non illos Orientalis Frisiæ (quo titulo suam ditionem quæ (vt admonui) minorum Chaucorum olim nomen tenuit; Embdani Comites parũ ex fide indigigant) indigenas, sed eos in quibus numerantur Stauria, Sneca, Franicũ, Harlinga oppida, & Leuardia facilè omniũ primaria ciuitas; rursus è diuerso minores, Westfrisios in extrema Hollãdiæ ora illis oppositos; & ab omni ferè sæculorum decursu Traiectinorum Antistitum annalibus eo nomine in mancipij legem receptos: Hi namque duo populi Rheni

Frisii maiores.

Frisii minores. Westfrisii.

Peuceri error.

Ostvariensen.

Westvariensen.

ripas olim, Taciti Druſiq́ue tẽporibus obſederũt ac dextrà læuaq́ue prætexuerunt, ad Oceanum vſq́ue Septentrionalem, vbi Rhenus Fleuo nomẽ commutans, vt oſtendemus poſtea, in mare aquas exonerabat. Quid verò aliud volunt ſibi ea verba, *vtræque nationes Rheno prætexuntur*; quàm quod hinc inde ad vtramque ripam adſideant habitentq́ue, & oppoſiti ſint Friſij inde maiores, hinc minores? Elegans enim verbi iſtius vſus etiam alibi ſe prodit apud eundem ſcriptorem. Eaque Germaniæ veluti frons eſt, quatenus Danubio prætexitur. quæ vox in nonnullis codicibus corrupta eſt in *pergitur*; vt, id obiter admoneam. Sic Auſonius in Panegyrico: Aſſultantibus tot Barbarorum millibus, quibus Danubij ora prætexitur. Ita Plinius montes Parthiæ gentes prætexere dixit, hoc eſt, velut inſtitam longam porrigi & obduci ab vna parte. Neque alius hac tempeſtate ſitus vtrunque populum diuidit, haud alius quaſi limes eos diſpeſcit, quàm quod Rhenus nunc Iſalæ cognomento clarior, & lacus antea immenſi, nunc ſpatioſi maris ſpeciem repræſentantes, ab illo in ſocietatem recepti, vtroſque diſſociant ac dirimunt, maiore iniquioreq́ue interuallo. Quomodo ergò in hunc calculum vocabuntur qui trans Amaſiam habitant, & medio inſuper Viſurgi dirempti, Albi fluuio concluduntur? aut qua ratione Rheni accolæ fient illi, quos longinqua terrarum intercapedine Amiſia diſiungit? Quos tandem illi alios lacus exquirent mihi immenſos & Romanis claſſibus nauigatos, quàm in quos Rhenus antequam in Oceanum exeat diffunditur, quorum ab his populis occupentur ambianturq́. margines? Huic noſtræ ſententiæ haud refragaturos doctiſſimos illos viros, vbi iſta legerint, accuratiuſq́ue dicta auctoris adhibita iudicij trutina examinarint, confido; eoq́ue magis quòd obſtinatis auribus veritatem excludere, aut calumnijs rem extrahere à literato homine alienum exiſtimem. Hîc verò ſe offert occaſio, vt de lacubus, quorũ facta eſt mentio, difficultatem enodem, ad ſtabiliendam certiùs dictorum fidem. Rhenus poſtquam

Corn. Taciti locus expoſitus.

Prætexere quid?

Lacus immẽſi, de quibus Tacitus, qui fuerint?

Campos

Campos inclytam ciuitatem (quam Romanis olim Naualia dictam autumant doctiores, quòd naues illic oram maris à prædonum incursionibus tutaturæ construerentur, aut starent) reliquerat, in amplos lacus effundebatur, recedentibus longè ac latè ripis, rursusq. in faucium angustias contractus, arcto ore in Oceanum exibat, Fleui nomen à castello oræ impositi secum euehens, vt è Pomponio Mela constat. Horum lacuum meminit Plinius de Rheno loquens, quem in bina ostia effusum, ab Septẽtrione in lacus se spargere dicit. de ijsdem loquitur Tacitus lib. primo, hoc modo. *Equitem Pedo præfectus finibus Frisiorum ducit, ipse* (Germanicus) *impositas nauibus quatuor legiones per lacus vexit.* Rursus libro secundo scribit, quòd Cæsar Germanicus apparata iam classe millenaria, ingressus fossam Drusianam cum legionibus, post propitiatos Drusi patris manes, lacus inde & Oceanum vsque ad Amisiam flumen secunda nauigatione peruectus fuerit: id quod à Fleui exitu, diei vnius cursu, dante operam vento, obire potuit. Hi lacus eluuionibus aquarum, æstuarijs profundioribus redditis, eruptionibus aggerum, maris in terras immissi impetu, in eam vastitatem & magnitudinẽ successu temporum haustis agris exiuere, vt in immensum iam pateant, sinumque constituant longè amplissimum, quem hodie Zuyder zee, velut Australe fretum, quòd in meridiem vergat, nuncupamus, vbi Hollandia patente gremio accommodat se commercio orbis. Hic sinus varijs locis varia præfert nomina, alicubi Orci æstuarium seu vorago, ab vndarum rapiditate nuncupatus ad insulã eius nominis; alibi Ganzorda, à Ganzarum siue anserum illic stabulantium multitudine; apud Hornam oppidum Hoppa, ab vndarum feruore, ebullientis ceruisiæ in modum æstuante seseque efferẽte: alibi Tya, à fluenti cuiusdam elice. Additur à Plinio Chaucorum insula hoc in loco, qua fide nescio; siquidem Chauci à Frisiorum finibus incipiunt, teste Tacito, nisi fortè per supinam descriptoris incuriam vox ista inrepserit, eosque intelligat

Naualia.

Rhenus in lacus dispargitur.

Lacus Rheni.

Tacit. lib. 1.

Lacus in mare mutati.

Zuyderzee.

Orci vorago, t'val van Vack.

Ganzorda.

Hoppa.

Tya.

Chauci.

qui Cuijcki hodie nominantur, Mosa amne à nobis excluſi: aut potiùs Goeylandos, de quibus pòſt. Friſiabones hinc ſequuntur, quos Waterlandos eſſe communis doctorum opinio tenet, remque facit probabilem nominis etymon, quod ſonat Friſiorum ſimios, quaſi Frieſapones, quòd iſtius gentis forent æmuli, & moribus vitæque ratione conſimiles, à quo ingenio non multum abhorrent hac ætate, de quibus ſtrictim nonnihil dictum in ſuperioribus memini.

Friſiabones. Waterlandi.

Sturij.

Proximè ſubiunguntur Sturij, vt in omnibus excuſis codicibus Plinianis legitur; quam ſcripturam ſiue ex fide traditam, ſiue audaculè interpolatam qui primi inuexere, aſtipulatores inuenerunt homines incurioſos & præpoſterè ingenioſos, qui non animaduertentes Tranſrhenana loca à ſe in Ciſrhenanam ditionem conijci, è Sturijs fecerunt Staurios, & non ſine ſupercilio interpretati fuere, quòd ſcirent è pinacibus Stauriam maritimum eſſe Friſiæ oppidum Hollandiæ oppoſitum: quod quum ſit ineruditũ & abſurdum, miror à nemine animaduerſionis caſtigationiſúe notam ſuſtinuiſſe in hunc vſque diem: alioqui deprauata & adulterina ſcriptura excuſatos illos & aliquo modo purgatos habere poteſt. At ego cicatrici, quæ Pliniani codicis cutem deformauit, ope vetuſti exemplaris manuſcripti medebor, integritatemque lectionis vindicabo, quem librum mutuum poſcenti mihi annos ante aliquot commodauit Ioannes Chaucus Traiectenſis, quem honoris cauſsâ nomino, ſingulari induſtria & eruditione vir. In eo manifeſta & indubitata ſcriptura pro *Sturiorum*, legas literis nõ caducis exaratum, *Tuſiorum*. Qui verò fuerint Tuſij diligentius rimanti mihi, in mentem venit nomen hauſti Oceano territorij ditioniſque quam latè patuiſſe quondam cõſtat, nunc æſtuarium eſt haud procul Huiſduno, in maris littore ſito, quod intra quartum abhinc annum à continenti pænè auulſum propediem in inſulam abibit, vel mari adeſum vorabitur. Is locus in hodiernum vſque diem haud obſcura veteris populi nomencalatione Tuſenlandt / quod ſonat, Tuſiorum ditio

Ioan. Chaucilaus.

Plinij locus caſtigatus.

Tuſii qui? Tuſenlandt.

ditio nuncupatur; ita vt mihi non sit ambiguum quin post Caninefates & Frisiabones ad sinistram Oceanum versus ab alueo fluenti, quod (vt sicci aluei vestigia mõstrant) præter Scorelium pagum & Crabbedamũ mari insinuabatur, Tusij adhærerent, qui introrsum ad dextrã Medenblicum versus extendebãtur, vbi gentis reliquias etiamnum superstites retinere videtur pagus Oppertoes dictus, quasi dicas vlteriores Tusios, vt verisimilis coniectura suggerat plures fuisse hoc nomine pagos, nimirum Citeriores Tusios, & Medianos, aut Orientales, idque genus alios, quos omnes maris eluuio cum oppido . . . . . absorpsit. Si quis certiora argumenta prioris lectionis, aut posterioris fideliora documenta habeat, illum ego Apollinari laurea, si communicet cum studiosis & publico, donandum censuero, plurimumque illi me debiturum grati animi testimonio ostendero. Postremos & re & ordine, quo se mutuò sequuntur hi populi, Marsatios Plinius nominat, quos similiter vt Sturios chorographorum vulgus imprudentiáne an impudentia maiore inter Frisios Transrhenanos reponit, propagato scriptis vanæ opinionis seminario, quos ego tũc quum illa somniarent de Seuenwoudis, lymphatos fuisse cerebrique vacuos existimo. Verior autem horum appellatio, meo quidem iudicio, apud Tacitum extat, qui Marsacos nominat, à Labeone, de quo supra dictum est, incursione vexatos, sedesq. eorum à Tusijs incœpisse ad Tessaliam (quam nunc vocamus) ante quadringẽtos plus minus annos, continente tellure cum Wieringia insula, olim Tessaliæ contigua (id quod certo certius est) nunc lõgo trium milliarium interuallo discreta, coniunctam; quam Oceani iniuriam senserunt terræ illæ, quo dixi tempore, in memorabili illa Hollandiæ totius inundatione pòst dicenda. Vestigium autem nominis mordicus tuetur, vastæ illius voraginis, quæ terras hinc inde abrupit, canalis, quẽ hodie Marsdiep voeitãt, quod Marsacorũ profundũ aut Gurgitẽ sonat & Abyssum. Nominis origo nata videtur à Marsis, hoc est, palu-

Oppertoes.

Marsatij.

Falsa opinio de Seuẽvvoudis.

Marsaci.

Tessalia.

Wieringia.

Marsdiep.

 stribus

ſtribus vliginoſiſque locis; non à Marſo, quem ex Tuiſcone filio Gomeri nepotem ſomniant, id quod Pſeudoberoſi iſti commenti ſunt, quum viderent nomen eſſe multis populis commune. Porrò Wieringiæ, cuius modò facta eſt mentio, demus etiam hîc obiter ſuum etymon, quod habet ab algæ marinæ lætiſſimo prouentu, quod coagulum in continendis firmandiſque contra maris inſultus aggeribus, quàm ſolis ſaliſque (quod dicitur) vſus magis eſt neceſſarium: algam autem Wieram vernacula lingua appellat, vnde inſulæ nomen, quæ materia à maritimis locis omnibus iſthinc auidiſſimè expetitur miſſis illuc nauibus, quæ ſyluam illam fundo erutam harpagonibus per dies æſtiuos ferè mari placido aduectant in aggerum vſum. Mos autem patrius olim inoleuerat, ſolennes concipere preces, pro vbere ac læto algæ iſtius fruticantis prouentu; qui nullo vnquam æuo, certè hominum memoria, ante hunc annum, quem à partu Virginis poſt ſeſquimilleſimum ſeptuageſimum primum indigitamus, copioſior cunctorum teſtimonio fuiſſe perhibetur: id quod minimè ambiguo ſingularis Dei Opt. Max. commiſerationis beneficio euenisſe dubitandum non eſt, quando propter inauditam præcedentis anni eluuionis inclementiam cuncti penè tota Hollandia viciniſque regionibus aggeres aboliti fuerât ac ſolo æquati, vt de reſarciendis illis complorata ſpes omnis fuerit & depoſita, niſi cœleſte illud beneficium modo omni maius largiuſque cunctorum vota exſatiaſſet. Cæterùm illud ſilentio inuolui minimè debet, Thomam Hubertum, qui non ineruditum commentarium de Eburonibus reliquit, tota iſthic via, non ab ingreſſu tantùm, aberraſſe, dum extrita canina litera, Maſacos dicendos eſſe populos contendit, qui non contemnendum hac ætate oppidum Maſacum, hoc eſt, Maſeick ad Moſam habitent, qui quum diuerſiſſimo terrarum tractu & iniuſto interuallo diſſidentes populos confundit, cæcum quoddam chaos inuehere ſe non animaduertit. Sed pruriens iſta quiduis chartis illinendi

Wieringiæ etymon.

Algæ vſus.

Wier.

1571.

Thomæ Huberti error.

Maſacum.

Maſeijck.

nendi libido infeliciter plerunque abortire solet, cæcosque parere catulos.

Batauia Germaniæne portio sit, an Belgicæ? CAP. IIII.

REM faciunt docti nonnulli controuersam, dissensionisque plenam, iurine Germaniæ cessura sit Batauia, an Belgicæ transcribenda veniat. Raimundus certè Marlianus inter Belgicæ populos Batauos reponit, & Galliæ Belgicæ alibi Hollandiam inserit, idem Batauodurum Belgicæ adscribit, situm, vt ipse ait, in finibus Cliuensis Ducatus: Sed is homo ὄζει λήρυ βεκκεσελήνε, planeque toto cœlo errat, vt vel hinc manifestum fiat, quãtum illius iudicio tribuendum sit in cæteris. Ego verò & testimonijs veterum, & Rheni limite Batauiam Germaniæ vindicabo, & à Belgio excludam; quod vt faciam hortatur me locuples Plinij auctoritas, qui disertè Batauos cum Vbijs, Gugernis, & Rheni insulis Germaniæ populis adnumerat. Plutarchus in Othone Batauos disertis verbis inter Germanos equestris disciplinæ gloria excellere scribens, insulam ab ipsis habitatam Rhenoque amne circumfluam Germanici iuris facit. Clarissimè verò Tacitus Historiæ libro XX. *Batani*, inquit, *donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulq; insulam Rheni inter vada sitam occupauere.* Hìc eximit omnem dubitandi ansam, quando extremos Belgicæ oræ fines colonis vacuos, quos Rhenus alluebat à Batauis occupatos scribit, designans loca in quibus sunt Vorcomium, Gertrudobergum, Huesda, & si qua sunt alia oppida Batauico peculio adnumerata; deinde addit Rheni insulam, qui fluuius si Germaniæ proprius est, complexu suo tanquam cancellis ambitam insulam quoque in ius suum pertrahit. Quid, quod Cattos Aborigines Germaniæ, non belli iure, sed longa possessione & vsucapione nunquam interpellata, suam feciſſe insulam satis indicat. Quod si Mattiacos, qui nunc Selandi

Marliani error.

Batauia Germaniæ propria. Plin.

Tacit. lib. 2.

Mattiaci hodie Selandi.

Selandi audiunt, in libello De Germanorum moribus, inter Germaniæ populos recenſet, quorum inſulas non omnes Rhenus adit, quanto iuſtiùs Batauos Rheni proprietarios? At litem iſtam vel ipſe fluuius, vt olim legitimi inceſtiúe thori iudex, ita hac in parte veritatis arbiter, cõponet ac dirimet, verbis Vibij Sequeſtri, qui libello De amnibus, *Rhenus*, inquit, *Belgas à Germanis ſeparat*. Tacitus eôdem facit, qui Vahalim alterum Rheni alueum, ad Gallicam ripam latiorem placidioremque affluere dicit. Ex quo liquidò cognoſcimus Galliæ Belgicæ dominatum includi fluento Rheni: quod ipſum docet auctor Panegyrici Maximiano Auguſto dicti, Romanum videlicet Imperium non vltra ripam quam Rhenus radebat, prorogari atque extendi; cuius hæc ſunt verba: *Rhenum videtur ipſa ſic natura duxiſſe, vt eo limite Romanæ prouinciæ ab immanitate barbariæ vindicarentur*. Nec latuit idem terminus D. Ambroſium, qui alicubi ait, Rhenum eſſe memorandum Romani Imperij murum aduerſùm feras gentes. Accedit quòd Batauiæ Plinianæ maior pars, vt in Germanis pòſt docebo, à Germaniæ ſolo abſciſſa per Druſi exercitum fuerit, & Ciſrhenanæ appellationi Tacito obnoxia, nimirum Velauia cum toto Traiectenſis ditionis tractu. Difficultatis ſcrupulum quendam mouere videntur Ciuilis verba, quibus Alpinũ Montanum ad ſe cum mandatis miſſum vti bello abſtineret, alloquitur hunc in modum: *En ego Præfectus vnius cohortis & Caninefates Batauiq., exigua Galliarum portio, vana illa caſtrorum ſpacia excidimus*. Iſthic prima fronte opinetur aliquis exiguam Galliarum portionem Batauos dici, quòd inter Gallias numeranda veniat Batauia, quum nihil iſtiuſmodi ſit: Sed quum Ciuilis odoraretur ingenium Montani ad nouandas res paratum, ſuiſque conatibus peraccommodùm, quo illum in ſuas partes attraheret qui in Galliis plurimum auctoritate valebat, hoc argumenti ariete concutere voluit, ſi ego cohortis vnius præfectus cum Batauis & Caninefatibus, qui reſpectu totius Galliæ vix milleſima

Vibius Sequeſter.

D. Ambroſius.

cius

eius pars sumus, Romanos fudimus vicimusque, quid futurum, si Galliæ excusso iugo, socias vires coniungant & communibus armis hostem communem impetant. Nisi quis fortè eò tetendisse horum verborũ scopum autumet, quòd Batauos Galliæ portionẽ vocet, vt faciliùs defectionis necessitatem illi persuaderet, quæ gentem communem citiùs ad arma commoueret capienda, quàm peregrinam & alienam. Sed prior ratio magis ad rem facit concinniorque est. Itaque Germanico iuri Batauiam asseremus, donec Rhenus idem non abnuet.

CAP. V.

Batauos magno in honore fuisse, & formidabiles quoque Romanis.

DVAS esse artes quibus gloria acquiratur & quæ hominem ad amplissimum dignitatis gradum prouehant, scimus, eloquentiam nimirum, & militarem industriam; ab illa paci ornamentum petitur, hac bellorum pericula repelluntur. Batauis à priore illa parum, imò nihil subsidij esse olim poterat, crassis inter ingeniosos, barbaris inter disertos, non magis quàm coruis inter olores locus est. Itaque quod Græco prouerbio dicitur, Aulœdum fierr oportere, cui citharœdo esse non liceat, idem illis quoque accidere & ob oculos versari debuit, vt quod ori negatum esset, id dextræ beneficio sarcirent, atque inde adiumentum præstolarentur: quod fit vbi sublata è medio sapientia, vi gerenda res sit, ferroque repetendum, quod non ex iure manu consertum obtineri queat, vt ad Ennianos alludam numeros. Hoc præsidio cum fide coniuncto in fraternitatem Imperij Romani accepti sunt Batani. Hac duce beneuolentiam sibi apud Principes constabilierunt, & stabilem sui fiduciam plærisque illorum tyrannis impresserunt. Per hanc vulgo formidabiles, inuictæ virtutis opinionem acquisiuerunt. Per hanc denique vera laudis imagine cõspicui esse ambierunt. Sed ne quis verba me solùm iacere existimet, testimo-

Via duplex ad gloriã acquirendam.

Batauorum virtus.

nijs classicorum scriptorum res à me communietur. Primum omnium Romani Batauis tantum honoris detulerunt, vt non societatis, vt multis, sed fraternitatis quoque nomine ac sanctæ amicitiæ religione adiunctis vsi fuerint, quando eos amicos & fratres appellandos censuerunt, & positis marmoribus perpetuũ sui iudicij testimonium hac de re dederunt, quod plures ante annos eruto è ruinis Armamentarij (de quo nobis postmodum erit sermo) vetusto lapide confirmat Gerardus Nouiomagus fidei præclarus, cuius ista erat epigraphe,

Batani fratres Imp. Roman.

GENS BATAVORVM AMICI ET
FRATRES ROM. IMP.

Quo quid dici potuit amplius, aut ad laudem cumulatius? nam fratrum nomine nihil augustius inter omnia necessitudinum vocabula haberi potuit, ex quo & communitas appareret, & dignitatis æqualitas, vt Panegyristæ verbis vtar. Neque temerè inuenias alios populos ad istius honoris dignationem receptos, præter Heduos (quos Burgundos nunc appellamus) quos propter fidei constantiam hoc vocabulo dignos habitos scribit Tacitus, his verbis: Hedui soli Gallorum, fraternitatis nomen cum populo Rom. vsurparunt: eosdem Belga orator in Panegyrico Constantino dicto, ingenua & simplici charitate fratres pop. Rom. creditos, & appellari meruisse ait. Quod honoris insigne, ante Tacitine tempora, an verò sub sequutis eum Principibus, meriti ergô, obtinuerint, firmiter asseuerare non ausim, in societatem tamen (cuius sanctissimum semper habitum est vinculum) adiunctos disertè scribit is auctor in libello de Germanorum moribus, his verbis, *Omnium harum gentium virtute præcipui Batani, insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperij fierent. Manet honos, & antiquæ societatis insigne, nam nec tributis contunduntur, nec publicanus atterit, exempti oneribus & collationibus,*

Fratres quid?

Hedui, hodie Burgundi.

Hedui fratres Rom. Imp.

Batani socij Rom.

tionibus, & tantum in vsum præliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reseruantur. Primus ob spectatam gentis virtutem Batauos equites Iulius Cæsar in exercitu suo habuit, & cohortes aliquot, de quibus lib. septimo belli Gallici ita loquitur, *Laborantibus iam suis, Germanos equites circiter quadringentos submittit, quos ab initio secum habere instituerat. Eorum impetum Galli sustinere non potuerunt, atque in fugam coniecti, multis amissis, se ad agmen receperunt.* Quo loco Batauos communi Germanis appellatione nominasse putatur à doctis, nõ alia, vt suspicor, de caussa, quàm quòd potẽtissimæ ac ferocissimæ genti, & cuius Imperij fines latissimè se Albim versus extendebant, vicini essent, imò communione stipendiariæ militiæ, vti conijcio, vterentur, quippe finitimi & solo Albi excluſi: nisi generis nomine maluisse vti Romanos potius credamus, vt certiùs loquerentur, minusque in illa multiplici barbarorum nominum cyceone atque confusione errarent. De ijs verò loqui Cæsarem, fidem facere potest geographus Strabo, vbi Batauos, non alios, innuens, scribit, τὰς προσβορειωτέρας καὶ παρωκεανίτας, id est, septentrionaliores & Oceani accolas, natura magis bellicosos quàm cæteros, & equitatu quem Romanis præstantissimum suppeditent, pollere. Confirmat idem Dion Nicæus quum peregrinos equites delectos habuisse Augustum Cæs. dicit, quibus Batauorum nomen fuerit, à Batauia Rheno circumflua insula vocatis, quos equestri disciplina plurimum valere constiterit: quorum certum numerum tradere se negat posse, vt neque euocatorum Batauorum (ita vocantur qui ad vsum bellorum sepositi seruãtur, euocandi quoties necessitas tulerit) quibus cœpisse vti Augustum commemorat ab eo tempore, quo illos, quorum fideli opera in militia pater Iulius Cæs. vsus fuerat, ad sumenda arma contra M. Antonium euocauit, & exinde retinuisse: eos verò peculiare & impermistũ agmen constituisse, concessa illis honoris & meriti ergô virgularum gestatione, ad modum Centurionum. Ex quo luce clariùs

Iulius lib. 7.

Germani pro Batauis.

Strabo.

Batani equitatu pollent.

Dion lib. 55.

Euocati Batani milites.

riùs liquet, Cæsarẽ equitatum Batauicum in exercitu habuisse, (de peditatu dicetur paulo pòst) eiusque exemplum domesticum sequentem Augustũ idem obseruasse. Batauorum equitũ (communi Germanos nomine vocat) præcipua virtute, quos sibi iamdudum amicos tunc in auxilium acciuerat, Cæsarem vicisse Galliam in Romanos coniuratam testatur libro sexto Orosius. De Batauis autem intelligere illum norunt, qui Cæsari nedum auxilia nulla venisse à Germanijs prima atque secũda, ex historijs sciunt, imò infestissimas illi nationes fuisse semper & cum exercitibus penè ad internecionẽ ab eo deletas; Orosius idẽ cõfirmat: nisi tãtùm ab ijs, quos tertios Germanos, propriè dictos, ac posteris demum sæculis Francos, Batauiæ possessores, mox docebo. Quod ad equitatus laudem attinet, non discordat Plutarchus in Othonis vita in hanc sententiam scribens, Varus Alphenus Batauorum ductor, adduxit eos qui Bataui dicuntur, ijque sunt Germanorum præstantissimi equites insulam Rheno circundatam incolentes. Accedit quòd in militaribus constitutionibus ab Hadriano Imp. promulgatis, inter Palatinas vexillationes, quæ custodiæ Augustorum erant destinatæ, recensentur Bataui equites Seniores pariter & Iuniores, quemadmodum & inter Palatina auxilia, Bataui & Mattiaci Seniores itemque Iuniores. Equites etiam alarios è Batauis in Cappadociam contra Persas militatum abduxisse secum Domitius Corbulo memoratur à Tacito. Ex Augusti iudicio quod de patris cohortibus virtutis spectatæ compertis habuit, manifestum fit quas cohortes intelligat Cæsar libro Belli ciuilis tertio, in quarũ virtute victoriam eius diei constare prædicauit: quas dato signo, ita celeriter procurrisse, tantaque vi signis infestis in Pompeianos impetum fecisse testatur, vt eorum nemo consisteret, sed effusa fuga montes peterent. Quin iudicio suo se falsum non fuisse ipse Cæsar gloriatur, quod de cohortibus illis, Batauorum videlicet, pronunciauerat, quod initium victoriæ ab illis oriturum esset. Quam rem L. Florus quoque delibauit,

Orosius lib. 6.

Plutar.

Bataui inter vexilla Rom.

Bataui Palatinis auxilijs adnumerati.

L. Florus.

uit, communi gentis totius nomine Germanos appellans, his verbis. Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, vt illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. Eas verò cohortes in tertio Gallici belli commentario legionem disertè nominat, cui propter virtutē maximè fidebat, ita vt apud milites (qui Germanorum Arioui-sti militiam sequētium terrore perculsi, de se penè desperabant) gloriaretur, se cum sola legione decima (quæ & Veterana & Germanica cognominabatur) iturum in aduersos hostes. Generali Germanorū nomine vsus legitur & Suetonius in Seruio Galba, per Germanos Batauos sine vllo dubitationis scrupulo intelligens, allectos in custodiam Imperatorum priorum, cuius rei ipsemet locuples abundè sui interpres hic auctor esse possit. verba eius hæc sunt. *Germanorum cohortem à Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisq; experimentis fidelissimam, dissoluit Seruius Galba, ac sine vllo incommodo remisit in patriam.* Videamus nunc quæ fuerint Imper. iudicia de Batauis, quibus sui custodiam ob fidem & cognitam in difficultatibus virtutem crediderunt. Primum enim illa Tranquilli verba in Augusto, *Certum numerum in sui custodiam allegit*; de Batauis intelligi debere ex Dionis Nicæi verbis superius citatis vel cœco appareat. Tacitus similiter Tiberio Germanos (Batauos nimirum) custodes additos, eorumque accessione firmatas cohortes supra solitum scribit. Et lib. primo. Robora Germanorum, qui custodes Imperatori tum aderant, Tiberium Druso filio adiunxisse ad compescendum rebellis exercitus motum idem refert. Caligulam admonitum de supplendo numero Batauorum, quos circa se habebat, mox Germanicæ expeditionis Batauiam versus impetum cepisse Tranquillus in scripta retulit. Subijcit idem auctor, deficiente belli materia, paucos de custodia Germanos (obser-ua iterum hîc dici Germanos, quos paulo antè Batauos nominarat) iussos fuisse à Caligula traijci atque occuli trans Rhenum &c. Batauos satellites & corporis custodes hono-

Germani pro Batauis.

Batani custodes Imperatorum.

Germani pro Batauis.

rarijs stipendijs & pecuniarum largitionibus deuinctos sibi habuisse Caligulam, ac propterea audita nece sui Principis
Lib. 19. obuios contrucidasse refert Iosephus illos percitos atque amentes ira iusta è munificentia nata. Constat & Corn. Taciti testimonio Agrippinam Neronis matrem Batauos corporis custodes honoris loco additos habuisse, quos filius postea deduxit. Neronem fisum fuisse Batauis vt exteris, Suetonius scribit. Non possum silentio dissimulare, etiam Frisios Cisrhenanos etiam in numero ac dignatione Batauorum, qui custodes Augustorũ erant, recensitos fuisse, quippe intra eundem Rheni brachiorum complexum positos, de quo extat inscriptio Interamnæ in Vmbria reperta, quæ ita habet:

HILARIVS NERONIS CAES. CORPORIS CVSTOS NATIONE FRISO. VIX. ANN. XXXIII.

Pergam adijcere testimonia militaris industriæ ac virtutis bellicæ à Romanis (tametsi alienæ parcis æstimatoribus, in sua prædicãda propè immodicis) scriptoribus data Batauis. Galbã Imper. impensiore cura refocillasse milites Batauos, quos Alexandriã Nero pro compescendis motibus miserat, maris iactatione ægros, è Tranquillo notum est; qua beneuolentiæ testatione facilè declarauit, quanti eorum salutem & incolumitatem fecerit. Germanicus Cæsar in expeditione illa graui quam contra Cheruscos suscepit, Batauis postremum agmen ductandum dedit, teste Tacito, manifesto nimirum probatæ illorum fidei in Romanos argumento. In quo bello memorabilis Cariouldæ Batauifortissimi ducis virtus eluxit, Taciti elogio honorifico celebrata, qui Batauos ductans in Cheruscos, auspicijs Germanici, pertractus in insidias ab hostibus fugam simulantibus, postquam diu illorum vndique coortorum cateruas sustinuerat, ipse vt hostilem globum perfringeret, in densissimam aciem irruens, suffosso equo & telorum nube obrutus, cum nobilitate aliqua, haud inultus cecidit. Magnum etiam victoriæ

Cariouldæ Batauivirtus.

momen-

momentum in Batauorum cohortibus extitisse, non dissimulat Tacitus lib. 17. quãdo Vitellius metu præpeditus, Cl. Ciuilem inter Batauos præpotentẽ, quippe regiæ stirpis virum, vinculis emisit, periculoq. exemit, ne ferocem gentem illius supplicio alienaret prouocaretq. intẽperiem octo cohortium Batauicarum, quæ (vt verbis eius dicam) *prout inclinassent, grande momẽtum sociæ aut aduersæ esse poterant.* Eædem cohortes eò rem perduxerãt, vt quartamdecimam legionem (cuius ipsæ auxilia fuerant in compescenda Britannica rebellione) coërcuerint & ferociam eius fregerint, quamuis habito delectu à Nerone, potissima illi gloria inclytæ famæ accesserat; qua re inflatæ atque insolescentes, ita superbè agere cœperant, vt apud tentoria quoque militum iactarent & quasi cum conuitio illis exprobrarent suam virtutem, suâ præcipuè operâ Neroni ablatam fuisse Italiam, imò fortunam belli omnẽ in sua manu positam prædicantes. Easdem quum separare vellet Fabius Valens legatus, quòd disciplinæ corruptelam in exitium erupturam vereretur, & iam partem illarum socijs in subsidium abire mandasset, quòd sic quieturam tempestatem illam existimaret, tum verò mutatis repentè animis legiones omnes mœstæ fremere cœperunt & quiritari, se fortissimorum virorum auxilio destitutos orbari, veteres illos & præteritorum omnium bellorum victores à se abduci, ac veluti validissimos artus à corpore suo auelli, illa esse sustentacula & quasi columina Italiæ quæ abriperentur, in illis victoriæ sitam sanitatem. Quos motus quum pararet pro imperio comprimere Valẽs, ægrè elapsus è manibus, & seruili in veste ignoratus, diripi sarcinas suas & aurum pati sustinuit. Quod exemplum nõ postremum est amoris, & fiduciæ legionum in Batauos, commilitones quidem, sed qui (si æquis auribus dicendum est) nimium superbi & in æquales ac pares fastidiosi, odium inexpiabile, quàm cõmiserationem aut amorem magis meruerant. Has Batauorum copias cum quartadecumanis Britanniam petituras, agmini suo vt fidas coniunxit

Batauos offendere verebantur Vitellius.

Batauorum ferocia.

Amor legionum erga Batauos.

iunxit postea Vitellius, sed, vt erat ventre ac gula sibi ipse hostis, rerum minimè prouidus ac socors, paulo pòst in Germaniam remisit, metu ne quid auderent truculentiùs, vbi resumpto militiæ autoramento Flauianis Vespasianorum partibus robur auxere, iam tum fatis bello Italiæ domestico pariter & externo principium ordientibus. Quid dicam, quod ex Tacito Batauorum cohortes prælia auspicari, hoc est inter principia versari consueuisse didicerim, vt eorum exemplo cæteri æmulatione quadam (quæ virtutis comes est) incitati fortiter auderent; scribit enim Iulium Agricolam strenuum ducẽ, cohortatum fuisse Batauos, vt (quod ipsis vetustate militiæ exercitatum erat) cominus ad manus venirent in pugna contra Britannos, re ad muerones adducta, quod ipsi cum Tungris pariter præstiterunt, ita vt prorsus tunc illorum virtute apud Britannos debellatum fuerit. Ita scribit idem auctor, lacessentibus Batauis, ferociſſimo cuique Romanorum cœptum certamẽ & ortam trepidationem: quando nimirũ Romanus exercitus in prælio cum Ciuili inito, conserere certamen cum Batauis auspicantibus pugnæ præludia coactus est, sed ita vt in trepidationem non paruam inciderit. Neque dubitarunt ijdem vltrò anceps cum amne & hoste periculum sumere apud Placentiam, quando animaduerso quod gladiatorum (quod genus præ alijs cædes quærit, ea necessitate vt occidat, aut eandem vicem exspectet) manus completis liburnicis insulãm medio amne sitam occupare moliebatur, eôdem & ipsi contendere cœperunt libratis in amnẽ corporibus, manuumque remigio vsi citiùs eam tenuerunt, quàm remorũ operâ illi. Itaque transgressi stabili gradu pugnantes & certa dirigentes vulnera, in eos qui nutabant è nauigijs descensum prohibuerunt, neque ea audacia contenti, in vada desilientes, illorum puppibus manus iniecerunt, & nautarum munia obeundo foros conscenderunt, multas naues demerserunt, & reliquis quæ superfuerant, abruptè fugam intendere compulerunt, quod & Tacitus & Plutarchus memoriæ prodi-

Batauì prælia ordiuntur.

Lib. 21.

Pugnare contra Batauos formidãt Romani. Gladiatores.

prodiderunt. Batauorum cohortes aliquot Lupicinum magistrum armorum sub Constantio Imp. virum bellicosum & castrensis rei peritum in Britanniam secutas refert Ammianus lib. 20. Constantius idem successibus Iuliani inuidens, quem Cæsarem renunciarat, Batauos sub eo in Gallia stipendia pedibus facientes, quorum præcipua virtutis erat opinio, euocauit ad expeditionem quam in Parthos mouebat. Sed illi iniquissimis animis ferentes se remotissimè à genitalibus oris velut longinquum in exilium deportari, in Iuliani nomen iurarunt, verbisque conceptis cum dira execratione, post admotos iugulis suis gladios, donec vitæ finem impleuissent, quosuis pro eo casus subire velle iurisiurandi religione confirmarunt, vt ab eodem scriptore traditum est. Iidem Valentiniano orbis Romani imperium obtinente, Theodosium bellicis rebus feliciſſimè cognitum, in expeditionẽ ad cõprimendos rebellantis Britanniæ motus susceptam secuti sunt, Londinumque (quod etiam Augustam posteri dixere) è difficultatibus eripuerunt: eorumque dux (ni fallor) vir acer, sed iusti rectique tenax, Ciuilis nomine, pro rectore Britanniæ à Theodosio constitutus fuit, vti idem auctor scriptum reliquit. Commemorat & à Decentio tribuno ductam fuisse Batauorum lectissimam manum contra Parthos, tanto terrarum interuallo militaturam. Quin & missos in Britanniã Constantio Imp. ad coërcendas Pictorum Scotorumque excursiones, iamque adulta hyeme fretum Britannicum traiecisse, ex eodem constat. Batauorum subsidiarias cohortes circum se habuit Valens Imp. in fatali illo prælio quo cum Gothis confligens interijt, quas cùm Victor Comes in subsidiũ deserti ab armigeris Imp. cogere contendit, neminem ex illis inuenire potuit, siue in tanto armorum fragore turbatis ordinibus, siue quòd hostilis eos gladius absumpserat fortiter pro duce suo præliantes. Tacitus quoque refert Batauos pessimè accepisse Vbios, velut leuitatis nomen in ijs vltos, qui Germanica origine erubescentes, eiurata patria, Agrippinenses vocari

Lupicinus.

Batauorũ expeditiones.

Lib. 20.

Londinum, Augusta olim.

Lib. 20.

Marcodurum, hodie Dura.

prætuliſſent: eorundem cohortes apud Marcodurum (quod oppidũ expugnatione Caroli V. Cæſ. nobile Duræ nomen ſeruat) profligarunt ijdem. Quid, quòd ipſorum virtus in bello contra Romanos ductu Ciuilis moto emicuit aduerſus Neruios, quibus bellicæ virtutis primas ferè tribuit Cæſar, quos conatos Ciuilem tranſitu Moſæ arcere, obtriuere Caninefates. In conflictu quo Iulianus Cæſ. cum Alemannis manus conſeruit, diſiectis iam equitum Romanorum cuneis, niſi Bataui auxiliares peditum aciem iam labantem ac fugam circumſpectantẽ confirmaſſent reſtituiſſentque, in ſummum diſcrimen redacta res fuerat, qua inclinatione Rex Alemannorum captus fuit, teſtante Ammiani hiſtoria. Batava caſtra in Rhœtiæ finibus commemorat Scotus auctor Codicis præfecturarum Romanarum, quod oppidum Lazius corruptè nunc ab Italis Bulſanum dici annotauit. Idem nominat tribunũ cohortis nonæ Batauorum in Boioduro Norici. Eugippus quoque vetus auctor, qui imperante Iuſtiniano Herulorum hiſtoriam contexuit, meminit eiuſdem oppidi Batani, quod & Boiodurum in Norico. His è teſtimonijs omnibus liquere abundè poteſt, Batauorum gentem martialem, coluiſſe præcipuè militiam, ac longè lateque diffuſam per immenſos orbis tractus, nomini Romano aduerſum hoſtes in neceſſitatibus vtilem operam nauaſſe. Batauos milites præſidiarios fuiſſe apud Olinonem (qui locus traiectui Baſilienſi vicinus, hodie Hole vocatur) ſub imperio ducis militaris, viri ſpectabilis, annotatum eſt à Beato Rhenano in rerum Germanicarum commentarijs. Terrori eos fuiſſe nõ alijs modò gẽtibus, ſed ipſis quoq. Romanis, vnico diſticho declarauit Epigrammatarius libro, cui Apophoreta nomẽ indidit, quum ait ſub *Germani* perſona,

Olino, hodie Hole.

Batani terribiles Romanis. Martial.

Sum figuli luſus, rufſi perſona Batani,
Quæ tu derides, hæc timet ora pater.

Nota ex hoc lemmate aſſeri opinionem illã Iunij, Germanos pro Batauis vſurpatos antiquitùs.

Voluit autem innuere fictiles Batauicæ perſonæ vultus, quos ex argilla figulus duxerit, in ludicra ac puerorum crepundia, quibus tenella ætas luſitet, olim veros fuiſſe parentibus

tibus illorum in procinctu ſtantibus formidatos. Equitatum Batauicũ, qui Hadriano Imp. militans, Iſtrum amnem natando traiecerat, armis omnibus inſtructus, tantum terrorem incuſſiſſe Pannonijs aciem auſis, ſcribit Xiphilinus verbis Dionis (cuius hiſtoriam in epitomen contraxit) vt protinus imperata facere, eiuſque arbitrio cuncta permittere non abnuerint.

CAP. VI.

Batauos arte Natandi excelluiſſe, & Equitatu.

NATANDI peritia præcelluiſſe Batauos ſcriptorum monumenta documẽto eſſe poſſunt, qua in re id mihi præcæteris admirationem accendit, quod non modò ſe, manu pro clauo vſi, ſed pariter & equos & arma adhæc regerent. id quod in Iulij Agricolæ vita ſcripto prodidit Tacitus, in hanc ſententiam. *Batauorum auxiliarium ope Iulius Agricola tentatam antea, ſed infeliciter, Monam Britanniæ inſulam in deditionem accepit, quando non claſſe aut nauibus inſulam ingreſſi, ſed patrio nandi vſu, quo ſe pariter & equos atque arma regunt, difficultatem omnem ſuperauere, depoſitis in littore ſarcinis, quum obſtupefacti hoſtes mentem oculosq; in claſſem naues q; intenderant.* Hanc gloriam Germanis in genere Dion, exẽplo Cæſaris, tribuit. *Barbari*, inquit, *nunquam futurum credentes vt Romanus exercitus fluuium abſque ponte ſuperaret, otioſius negligentiusq; caſtra tenebant in ripa vlteriore, in quos immiſit Germanos* (vides lector etiam hîc Germanorum appellatione Batauos à Dione deſignari) *quibus mos eſt etiam per rapidiſſimos fluuios leui de cauſſa in armis tranſnatare.* Artem atque dexteritatem in natando ſingularẽ oſtenderunt ijdem apud Placentiam ab Othonianis inſeſſam, quum illi pro Vitellianis pugnarent, videntes quòd gladiatorum (quos μονομάχους Plutarchus vocat) manus nauigijs moliretur occupare inſulam in medio amne ſitam, ipſi nando præuenerunt, tranſgreſſiq́ue deſcenſum gladiatorum in terram prohibuerunt, ſtabili

Tacit.

Mona Britanniæ inſula.

Germani pro Batauis.

gradu in illos nutantes è nauibus certa vulnera dirigentes. Vbi ſtudium illorum natandi egregium in amne non ſegni & profundo eluxit. Quid verò clarius ijs Taciti verbis li. 20. vbi initia Batauici motus deſcribit? *Erat*, inquit, *domi delectus eques, præcipuo nandi ſtudio, arma equosq; retinens, integris turmis Rhenum perrumpere*. Cæſar quoque Batauos equites, quos ſemper Germanorum nomine honeſtat, demiſſioribus ripis Nilum flumen tranaſſe refert, in expeditione Alexandrina. Ciuilem ſimiliter in mala pugna agnitum ex alterius oculi orbitate, teliſque hoſtium appetitum, omiſſo equo Rhenum tranſnataſſe ſcribit Tacitus. De Sorano Batauo Suidas incertum quo ex auctore commemorat, in Pannoniam veniſſe, Iſtrum flumen, ita vt erat armis opertus, tranſnataſſe barbara natione inſpectante, reiq́ue miraculo attonita. Cuius rei fidem elogio non inelegante, iuſtoq́ue laudis encomio tranſmittere ad poſteros non puduit Hadrianum Imper. virtutis in extero admiratorem; quod ita habet, haud indignum memoria:

Batani equites Nilū tranant.

Soranus Batauus Danubium armatus tranat.

Sorani Batani viri fortiſſimi Epicedium.

Ille ego Pannonijs olim notiſſimus oris,
Inter mille viros primus fortisq́; Batauos,
Hadriano potui qui iudice vaſta profundi
Æquora Danubij cunctis tranare ſub armis,
Emiſſumq́; arcu dum pendet in aëre telum,
Ac redit, ex alia fixi fregiq́; ſagitta:
Quem neque Romanus potuit, nec Barbarus vnquam
Non iaculo miles, non arcu vincere Parthus:
Hîc ſitus, hîc memori ſaxo mea facta ſacraui.
Viderit an ne aliquis poſt me mea facta ſequatur.
Exemplo mihi ſum primus, qui talia geſſi.

Confirmat hoc ipſum Dion Nicæus, non de vno hoc Sorano, ſed de vniuerſo Batauorum equitatu, verba faciens: ait enim Hadrianum Imper. ſummam militiæ & copiarum geſſiſſe curam, vt diligenter exercerentur, ita vt equites Batani nominati, Iſtrum ſeu Danubium armati tranarent, magno ob id terrore conſternatis Barbaris. Xiphilini epitomiaſtæ

miastæ verba adscribam, vt mendum in illo Græco codice fœdum exteram. οὕτω καλῶς ἤσκητο τὸ στρατιωτικὸν αὐτῷ, ὥστε καὶ τὸ ἱππικὸν τῶν καλουμένων βαταάβων μὴ τῆς ὁπλων διενήξαθ. vbi vice βαταάβων perperam impressi codices βασάων legunt, & scripturæ vitium secutus Georgius Merula turpissimè impegit. Quæ etiã fiducia nonnunquam exitiosa ipsis fuisse legitur. Nam quum molitus in Cheruscos expeditionem Drusus, cum pedestri pariter & equestri exercitu æstuaria Oceani apud Amisiam amnem intrepidè transisset, priusquam æstus cresceret, Batani, inquit Tacitus, postremum auxiliorum agmen, dum insultant aquis, artemque nandi ostentant, turbati, quidam etiam hausti gurgitibus sunt. Quod hîc de Batauis testimonium edimus, id Herodianus qui sui temporis Impp. vitas scriptis prodidit, in Germanos transfert, quos exercitatos natatu dicit, vt qui non alia balneatione vtantur, quam lotione fluuiali. & Mela his verbis: *Quamuis sæua hyeme, nandi non patientia tantum illis, studium etiam est.* Verùm ego libenter hîc à feriatis istis ingenijs, quæ vmbraticis literis addicta sunt, didicerim, militarine disciplinæ adamussim omni ex parte satisfeciisse existimandi fuerint Batani maiores nostri, an minus: qui salsi maris sinum in Britannia, & fluuios panoplia tecti, transmiserint natatu, vnde rubigine & squallore infici exedique arma necesse fuerit, quum tamen Fl. Vegetius in equitatu (quo nostra gens præcipuè valuit) armorum splendorem, velut ad hostium terrorem imprimis comparatum, potissimum extollat. Equidem cum temerario Paride litem hanc decidere plenis buccis reformidem. minùs tamen consentaneum in speciem videri posse aio, bellicosum esse cuius arma squalore fœdata, quadam dissimulationis specie, visantur, id quod necessario illic accidere oportuit. Quare ita existimo, nostros maiores magis fortes esse, quàm videri maluisse.

Locus emẽdatus in Xiphilino.

Merulæ error.

CAP. VII.

Batauos cur Auricomos Poëtæ vocent, & de Batauo ſmegmate.

BATAVI, exemplo fermè cæterorum Germanici nominis, cæſariem aluêre flauam, vnde epitheto Auricomos Poëtæ, & inter hos Silius Italicus, dixerunt, quomodo & Vandalos χρυσοειδεῖς, id eſt, auricolores capillos Procopius habere ait. Eum colorem in crinibus gelidi cœli beneficio reddi exiſtimat Plinius, ego etiam vſu ſmegmatis & lixiuij, quo crines rutilabant; cuius rei fidem facit Epigrammatarius, qui ſpumam Batauam lixiuium appellat illo verſu:

Lib. 2, ca. 78.

Flauedo crinium vnde? Batana ſpuma.

Et mutat Latias ſpuma Batana comas. & Cauſticam alibi,

Cauſtica ſpuma.

Cauſtica Teutonicos accendit ſpuma capillos, ab ignea vi cineris, qui lixiuio incoquitur, & quo ſmegma ſiue ſapo conficitur, tam liquidus, quàm ſpiſſus, quem in trochiſcos orbiculóſve etiam conformabant, talemque Mattiacam pilam nominat Martialis, à Mattiacorum gente vt Batauiæ vicina, ita & eodem in obſequio Romanis deuincta, quos Selandos nunc dicimus. In promiſcuum autem & viris & fœminis vſum eo vſq. ceſſerat rutilãdi capillos mos, vt non puduerit Antoninum Imp. capiti flauam cæſariem aptare, quæ mentiretur Germanicæ tonſuræ modũ; vt refert Herodianus. Domitianum quoque cultiorẽ fore ait Martialis, ſi captiuorũ Germanorũ comis adſcititijs adornetur, quæ Poëtæ Cæſari adulantis adhortatio, ſtudium illud æmulum facilè prodit, dum quadam excuſationis imagine ad tegendam heri ſui mollitiem vtitur. Tacit. ſcribit Germanis oculos eſſe truces & cæruleos, & comas rutilas. ſimiliter Horat. *Germanam pubem appellat cæruleam.* & Iuuen. Sat. 13.

Mattiaca pila.

Lib. 4.

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flauam
Cæſariem & madido torquentem cornua cirro?

Iſtud verò rutilandi capillitij ſtudium adeò pertinax etiamnum inſedit Friſiorum Ciſrhenanorum & Friſiabonum genti, vt ſingulis fermè hebdomadibus, lotas cau-

causticо lixiuio proles, æstiuo maximè tempore locis apricis exponant.

CAP. VIII.

De Rheno fluuio, eiusq; brachijs & ostijs Batauiam finientibus.

Fluuij pro Dijs olim culti.

FLVVIOS omnes antiquitas pro Dijs habuit, & diuinis honoribus cumulauit, vndè passim legere est votiuos crines illis fuisse sacratos (quæ res copiosè à nobis in Commentario de Coma olim explicata est) & masculas hostias, fœcunditatis symbola atque argumenta, ijsdem mactatas: neque abs re Homerus omnium inuentionum fons amnes διπετέας dixit, quasi Iouios & ab Ioue genitos, vt exponit Porphyrius, quod imbribus nimirum quos aër demittit, augescant, quò spectat illud Parmenonis Byzantini poëtæ, Αἰγύπτιε Ζεῦ νεῖλε, vbi Nilum Ægyptium Iouem exemplo Pindari nominat, ob diuinitatis existimationem: quem honorem vt in genere omnibus fluuijs detulerunt Persæ, testante Arnobio, ita priuatim Ægyptij Nilo, Phryges Mæandro, Germani Rheno suo, diuersa singulæ nationes ratione, si Maximo Tyrio credimus. Nam Peneum amnem ob amœnitatem Thessali coluere: Istrum Scythæ ob amplitudinem: Spartani suum Eurotam legibus iussi: Iliissum Athenienses propter sacrorum honorem, ad quæ non aliunde aqua petebatur: Ætoli Acheloum ex fabula: Cappadoces Mæotidem paludem propterea quod sacrosanctum ipsis esset iusiurandum per eam non minus quàm Dijs per Stygem, tum quòd regni ipsorum terminus esset. At enimuero diuinitatem amnium metiendam arbitror ex ope liberali fœcunditatis, qua limum agris inuehunt, eosque veluti stercorant, qua Rhenum fluuiorum regem minimè defectum neque alijs secundum reor, ita vt versus illos Dionysij accommodari verissimè illi debere existimem, quos de fœcundissimo Nilo extulit, ἀγάρ τις ποταμῶν ἐναλίγκιος ἔπλετο ῥήνῳ, ἔτ' ἰλὺν βαλέειν, ἔτε χθονὸς ὄλβον ἀέξειν. hoc est,

Fluuij cur διπετεῖς.

Fluuij cur diuini credita.

Non

Non alius Rheno valeat componier amnis,
Augeat vt segetem, aut limum pinguem inuehat aruis.

Germanorum opinio de Rheni diuinitate.

Diuersa ratione Germania diuinum numen Rheni sui horrebat, id sibi persuasum habens, Rhenum arbitrum esse seuerum ac vindicem coniugalis fidei in liberis, quos recens in lucem editos, clypeoque impositos, in alueo fluminis exponebant, vbi clypeus fluitans, legitimi partus; sidens, adulterini indicium præbebat; vnde eleganti epitheto ἐλεγχιγάμος Græco Poëtæ dictus est, velut arbiter coniugij. Quam rem Iulianus in hæc fermè verba ad Maximum Philosophum depinxit: Rhenus, inquit, Germanus iniurius non est, qui nothos infantes subsidere mergique vndis patitur, velut illiciti tori iustus arbiter, quos verò legitimo cõceptos semine cognorit, fluitantes aquis effert, pauidæque matri restituit, reddens illi sospitem prolem, ceu indubitatum casti atque integri connubij testimonium. Quem gentis illius morem Galenus, Nazianzenus, Nonnus, Simocatus tradiderunt, & Claudianus illo versu,

Rhenus ἐλεγχιγάμος.

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Atque ista diuinitatis opinio inuexit fortassis & nominis religionem, vt non à puræ limpidæue aquæ nitore Rhenus dictus fuerit, sed ab intemerata tori puritate, cuius arbitrium penes ipsum erat. qua ratione duobus in locis à Nonno in Dionysiacis ῥηνὸς ἥρως, vocabulo purè puteque Germanico appellatur, quasi zelotypum dicas aut zelo ardentem, id enim est illis yuer. Rheni cursus multiplici ratione ingenia exercuit inter ancipites disputationes de ostiorum numero & exitu, culpa maximè scriptorum qui rem ambiguam & controuersam distinguere neglexerunt, his bina illi ostia assignantibus, Plinio historico & oculatæ fidei teste ternis in mare ostijs exire illum prodente. Prima difficultas nata est ex Virgilij epitheto, quo Rhenum *bicornem* appellat, quem vt Poëticæ patrem sequuntur Ausonius, & illo versu Claudianus, *Te Cimbrica Tethys*

Rhenus vnde dictus.

yuer.

Pugna auctorum de Rheni ostijs.

Diuisum bifido consumit Rhene meatu. & Panegyrici auctor ad

ctor ad Constantinum, *Tot*, inquiens, *nostri greges flumine bicorni mersantur*; alludens ad Maronis versum.

His, vt Poëtis, minus habendum erat fidei, quòd isti generi rotundo ore loqui Musæ concesserint & libertate maiore vti; nisi Cornelius Tacitus, Pomponius Mela, & Asinius apud Strabonem geographum duobus ostiis in mare defluere prodidissent: quorum verba testimonij loco proferenda sunt ante omnia, ne quid in animis scrupuli residere patiantur. Strabo igitur lib. 4. de Asinio Quadrato nistoriographo suo æquali loquēs sic, φησὶ δὲ δίχομον εἶναι μεμφάμενος τοὺς πλείω λέγοντας, ait Rhenum esse bicornem, hoc est, binis ostijs in mare erumpere, insimulans eos imperitiæ qui plura habere dicāt. Taciti verba hæc sunt lib. 2. *Rhenus vno alueo cōtinuus, aut modicas insulas circunueniens, apud principium agri Batani, velut in duos amnes diuiditur, seruatq; nomen & violentiam cursus qua Germaniam præuehitur, donec Oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior & placidior affluens, verso cognomento Vahalem dicunt accolæ, mox id quoq; vocabulum mutat Mosa flumine, eiusq; immenso ore eundem in Oceanum effunditur.* Qui locus duorum tantùm meminit fluentorum, vnius quo Frisia Germaniæ pars alluebatur, & alterius quod in hunc vsque diem nomen tuetur. Audiamus nunc Melam loquentem ita lib. 3. *Rhenus Alpibus decidens, propè à capite duos lacus efficit Venetū & Acronium, mox diu solidus & certo alueo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur, sed ad sinistram amnis etiamtum & donec effluat Rhenus, ad dexteram primò angustus & sui similis, pòst ripis longè ac latè recedentibus iam non amnis, sed ingens lacus, vbi campos impleuit, Fleuo dicitur, eiusdem q; nominis insulā amplexus, fit iterum arctior, iterumq; fluuius emittitur.* Neq. hic locus aliud loquitur, quàm duobus ostijs in Oceanū exonerari Rhenum. Hegesippus quoque Rhenum bicornē fluuium nominat, quem capulis (nauigij id genus erat vt lintri non absimile, ita bellicis expeditionibus ineptum) nauigasse Germanos,

Rheni duo ostia.

Strabo.

Tacit.

Mela.

posteà verò quàm armis Romanorũ cessisset subacta Germania, liburnicis stratum opertumque scribit. Accedit ad numerum, si dijs placet, Seruius Honoratus, qui *bicornem Rhenum* à Marone dictum annotat, quòd per duos fluat alueos, vnum quâ Romanum Imperium sit, alterum quâ interfluat Barbaros, ibique *Iambal* vocari. Quibus verbis innuit, opinor, alterum ostium esse quod Rom. imperium in Belgica finiat, alterum nescio quod somniat inter Barbaros manare, Marsacos nimirũ & Frisios, *Iambal* nomine; quod, nisi corrupta sit germana scriptura; *Isal* ab impostore quopiam qui Indibrio hominem habuerit, suggestum illi in aurem suspicor. Ab his diuersum sentire & loqui manifestè deprehenditur Plinius & Ptolemæus, quorum ille Batauiam, cum reliquis quas enumerat insulis, sterni inter Helium & Fleuum ostia, tradit, mediumque inter ea os modicum nomini suo alueum custodire: quibus postremis verbis Rheni nomen patrium seruare, non adoptiuas in mare aquas vehere tertium ostium indicat. Ptolemæus verò qui posteriore sæculo vixit, post *Lugodunum Batauorum* citat nominatim tria hoc ordine ostia, *occidentale, medium, & orientale, latus autem Batauiæ ab oriente finiri Rheno amne ad Germaniam magnam*. hæc ille. At Cæsar pluribus illum capitibus (quo vocabulo ostia designari puto) in Oceanum influere affirmat: sed adscribamus eius quoq. verba, quòd momentum aliquod adferre ad cognitionem rerum, hactenus mancam, instruendam confirmandamq. videantur. *Mosa profluit ex mõte Vogeso qui est in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Vachalis, insulam efficit Batauorum, neq. longiùs ab eo millibus passuum* LXXX. *in Oceanum influit. Rhenus autem oritur ex Lepontijs qui Alpes incolunt, & longo spatio per fines Ætuatium*, (qui hodie corrupta voce Tauetschor nominãtur) *Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Triboccorum, Treuirorum citatus fertur, & vbi Oceano appropinquat, in plures diffluit partes, multis ingentibusq. insulis effectis, quarum pars magna à*

Iambal ostium Rheni.

Cæsar.

gna à ferìs barbarisq́. nationibus incolitur: ex quibus sunt qui piscibus atque ouis auium viuere existimantur, multusq́. capitibus in Oceanum influit. In his testimonijs scriptorum, quæ hactenus varia adduxi, magna dissensio, graue dissidium se aperit, vnde & non minor iudiciorum inconstantia & dissolutio vt sequatur necesse est, præsertim apud eos qui res incompertas sibiq́ue abstrusas in literario otio rimari & ingenio altiùs vestigare contendunt, tantoq́ue magis si per commentaria lucem obscuris fœnerare, vel auditoribus satisfacere exempta dubitatione satagãt. nam qui obiter auctores legendo delibant, canum Niliacorum ritu, qui currendo amnem lambunt, in altioribus sensi⁹ nihil difficultatis inueniunt: id quod accidere omnibus necesse est, qui locorum & situs ignoratione tenentur, quibus negatum est oculis intueri ac contemplari ea quæ scrupulos & obscuritatem leuarent. Inter quos singularem & rari exempli diligentiam Henrici Glareani, viri candidissimi & iuuandis studijs facti, vt admiror, ita doleo non obtigisse illi qui vim honestissimi desiderij in illa voluntate explere potuisset, quando in colloquio apud *D.* Erasmum nõ procul ab ostiorum Rheni vno in lucem editum, locorum difficilium de Rheno enodationem, quibus non Oedipo, sed solùm viæ commonstratore opus videbatur, proposuerat. Quo tempore (vt quando in hanc narrationẽ incidi, per occasionem detexam) adiutum se & recreatum nonnihil fortuito viri eruditi aduentu non dissimulat, qui intellecto hæsitationis modulo, professus est in volẽtis gratiam id se explicaturum, his verbis vsus, quæ ipsissima referam verbis auctoris. *Tertium,* (inquit) *Rheni ostium, quod hodie Isela dicitur Ptolemæo & nescio quibus alijs celebratũ, id verò antiquitus non fuit, sed Drusi aduersus Germanos bellantis iussu, fossa in mare deducta factum est, vt munimentum aduersus Barbaros esset.* Quibus viri verbis, quæ ex fide retuli, acquieuisse, neque vt aliquid scisciteretur altiùs, in mentem sibi veniisse fatetur. At enimuero oscitanter nimis & perfunctoriè viri

Henr. Glareani laus.

doctissimi auribus irrepsisse ac satisfacere voluisse, quisquis ille Belga fuit, videtur: siquidem quod de Iselæ fossa in mare deducta ait, id à veri fide absonum est, quando ad duo tantùm milliaria militari opere fossam à se cognominatam Drusũ perduxit, vti pòst declarabitur; neque solùm vt aduersus barbaros munimentum esset, sed magis vt auerteret vim & impetum aquarum nouo aquæductu; tum præcipuè vt classem ea via in Septentrionalem Oceanum deduceret ad expeditionem quam in Cheruscos moliebatur. Admitat itaq. faustis auibus pro virili has difficultatum salebras tollere, nodos expedire, dissidia componere, quamuis arduum id & laboriosum, sæculis omnibus habitum sit, ita vt prouerbijs quoque locus apertus inde fuerit. Ingeniosa tamen antiquitas quatenus in his rebus progrediendum, exemplis varijs sed in illustri positis, Thesei, Oedipi, atque Herculis dico, manifestè ostendit. Theseus ad tollendum Minotaurum monstrum Labyrinthum ingressus, duce filo, quod Ariadna subministrarat, ineluctabiles ædificij errores & flexus superauit. Oedipus siue ingenij dexteritate, siue fatali sorte vsus, inexplicitum Sphingis ænigma dissoluit, exitio in auctoris caput conuerso. Herculi monstrorum domitori quantum, dij boni, negotij exhibuisse Hydram læta illa & semper rediuiua capitum repullulantium sobole intelligimus, oneri cessuro, ni ascito in societatem laborum Iõlao, voti compos factus ea feliciter confecisset? Horum ego vestigijs cum laude insistendum mihi satius existimo, quàm proruptam, licet felicem, Alexandri Macedonis fiduciam sequi, quando Gordium nodũ explicare aggressus, non reperto vnde nexuum capita inciperent, quóve se cõderent, gladio vinculum dissecuit. Quapropter vel veritatem ducem sequens, vel lectionis ope adiutus, vel meliorum codicum subsidiarijs copijs instructus, difficultates cùm hîc tum alibi suborituras superare contendam: quod vt feliciter exequar, designatoris munus suscipiendũ ante omnia mihi video, cursusque Rheni notandus ac digitis quodammodo designan-

Fossa Drusiana.

Tres modi tollendarum difficultatum per exempla monstrati.

Violẽtus modus tollendæ difficultatis.

designandus. Rhenus itaque è Lepontiorum iugo ortus, mox per Lemannum lacum inoffenso alueo euolutus, dein per confragosa ac præcipitia eluctatus, postea leni agmine spatiosus, infra Bingium fauces rupium angustiasque Germaniæ peruadit, multis receptis fluuijs, inter quos Nicer & Mœnus, pòst Mosella apud Confluentes (quem *Obrincum* Ptolemæus vocat) auctus, Vbiosque emensus, demum circa initium agri Batani (qui locus nunc Cliuici iuris est, & Lobeco vetusta arce & telonio nobilitatur) scindit se bifido cursu in diuersa labens: quam diuisionem eleganter Mamertinus *diuortium*, Frontinus *diuergium* amnis nominant, ille à diuertendo, hic à vergendo in diuersum. Hunc ego locum tempore Caroli Crassi ad annum salutis ĪŌ. CCC.LXXXVI. cognominatum fuisse Herispich, & nefaria cæde Gothefridi Danorum & Frisiorum Regis per Imp. procurata funestum, qui ad eum locum legatis Imperatoris occurrerat, lego. Ne verò in dubium vocetur, an idem locus fuerit, docent luce clariùs Reginonis Prumiensis verba. *Gothefridus*, inquit, *audito legatorum aduentu, illis obuiam procedit ad locum, qui dicitur Herispich, in quo Rheni fluenta & Vahalis se alueo resoluunt, & ab inuicem longiùs recedentes Batauorum prouinciam suo gurgite cingunt*. Quibus verbis ita dilucidè, ita planè locum diuortij ceu digito designauit, vt nullus metator exactiùs. Eundem locum pulchrè depinxit Claudianus de Stiliconis celeritate in festinando itinere ad cõpescendos Francorũ motus loquens, his versibus:

Impiger à primo descendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus & iuncta paludibus ora
Fulmineum perstrinxit iter.

& Ausonius de Rheno & Mosella iunctis loquens:

Alueus extendet geminis diuortia ripis,
Communesq; vias diuersa per ostia fundet.

Apud Lobecum igitur bipartitò cursum suum diuidit, ita vt pars altera Rheni nomine appellata *Arenacum* rectâ petat, à veteribus sic dictum, quod posteri mutarunt in *Arneheimum*,

Rheni cursus.
Lobecum.
Diuortium Rheni.
Herispich.
Claudian.
Auson.
Arenacum.

heimum, ceu aquilæ domicilium, vrbẽ Gelriæ primariam, & Concilij Senatorij ſedem, in quo nũc caput & Præſidem agit Arnoldus Saſbotus Hagẽſis, cuius integritatis famam, & ingenij benignam venam nulla obliterabit ætas. Inde non multum ſinuoſis mæandris flexuoſus Vadam properat; quod eo nomine oppidum Tacitus vocat, acriter & à Ciuili Batauorum ducę oppugnatum, & à præſidio Romano defenſum, ſunt qui Vaganum ſcribunt. Ab eo ſe flectit Renam, *Rinnes* Tacito nominatam, quam à Claſſico Treuiro regia nobilitate & opibus clariſſimo ſtrenuè oppugnatam ſcribit. Poſtea Batauodurum decurrit, vrbem, ſi fidem Annales merẽtur, olim populoſam, & vaſto mœnium ambitu circũdatam, nunc Wijck te Duerſteden vocatur, vt oſcitantiam ſupinam non ſatis admirari poſſim in Bilibaldo, qui eam penitus exciſam, ſed arcem habere ſuperſtitem Batenburgum dictam annotauit: hîc Rhenum fuiſſe ponte ſublicio iunctum oppido ex Taciti hiſtoria didici, tentatumque irruptione, ſed fruſtra, à Germanis Ciuilis auxiliaribus. Inde Rhenus mutato nomine Lecca dici incipit, quõdam riuulus tenuis è fonte ſuo Rheno aquas trahens, elicis potiùs cognomento tunc dicendus (nec enim aliud vox ipſa ſonat) at nunc reuera è riuo flumen factus, genitorem ſuum aquarum pabulo (vt ita loquar) interuertit & ad ſe tranſtulit, ac ſuper illum animos extulit, nauium patiens, præ illo arido atque exucco; quod detrimentum incurriſſe Rhenum, & elici ſuo cedere coactum fama refert ad octingenteſimum & ſexageſimum annum, ſtrage arbuſtorum infamem: Annalium monumenta quadringenteſimo abhinc anno illud incommodum diluuio, quo vniuerſa propè Hollandia pelagi faciem repræſentarat, imputant & acceptum ferunt: eaque tempeſtate Rheni obturamentum incidiſſe, & Leccæ alueum latè ſe extendiſſe ſcribunt. Difficile eſt iudicium in tanto ſæculorum decurſu, itaque arbitrij incertus nihil definio. Sic alueum illi ſuffuratus, Traiectoq. iniurius Lecca, Culenburgum præuehitur, trifidum oppidum

Arnoldi Saſboti laus.

Vada.

Rena.

Batauodurũ.

Bilibaldi error.

Lecca Rheni brachium.

Rhenus apud Batauodurum per Leccam curſum quando mutarit.

Culemburgum opp.

oppidum: exinde Vianam præterlabitur calamitosa Brede- *Viana opp.*
rodiæ stirpis fama nuper inclytam: postea decurrit Scoon- *Scoonhouia*
houiam, cui oppido nomen factum ab hortorum & pome- *opp.*
torum pulchritudine: demum in Meruam amnem, priu-
quam Mosæ nomen induat, se effundit. Iam verò è regione
Vianæ modò nominatæ, ducta est post obstructũ Rhenum
suum, à Traiectensibus magno impendio fossa perpetua,
emissarium habens in Leccam, per quam lintribus, scaphis,
minoribusq. nauibus important aut exportant merces suas,
quæ initium est & fons Iselæ, ex ea namque quantumuis va-
dosa fossa & aquarum inope, hic amnis nascitur, tenui ortu,
primumq. oppidum adit Iselsteinium, cui fœnerat nomen
suum, hæreditarium ornamentum ac dominium inclytæ
domus Iselsteiniæ, quæ nostro æuo clarissimos duos Heroas *Iselsteinium*
& Comites, Florentium & Maximilianum, illum Fabij *opp.*
Cunctatoris, hũc Achillis, æmulos tulit: inde Monfortium, *Monfortium.*
à Traiectinis Præsulibus conditum castellum in belli vsum,
nunc pacis & otij decore lætius: hinc Oudewateram oppi- *Oudewate-*
dulum quæstuosam restionum & schœnoplocorum genti *ra.*
officinam, decurrit: exinde aduenis aquis auctus Goudam, *Gouda opp.*
non suo tantùm nomine auream, sed cum suis copijs, tum
portu opportuno opulentam, perlabitur, deniq. cum aquis
nomen in Mosa amittit. Redeo ad Batauodurum, vbi vel
superioribus aliquanto locis recta in dextrũ flectebat Rhe-
nus cursum Traiectum versus, vrbem multis nominibus il- *Traiectum.*
lustrem, quam interluit olim, manentibus adhuc riparum
vestigijs & Veteris Rheni appellatione nunquam moritu-
ra. In eaque sum opinione post æquata solo vrbis inflam-
matæ mœnia, post translatam aliò ad Ansuarios Dauen-
triam sedem Episcopalem, Præsulem Baldericum minus
laboraturũ fuisse desiderio vrbis, si ante illud tempus com-
moditas portus obstructo Rheno, de quo paulo ante dixi, *Rhenus quan-*
sublata fuisset, vt hinc persuadeam mihi, posterioribus sæ- *do obturatus.*
culis transcribi debere iacturam aut potiùs calamitatem il-
lam interuersi & obturati Rheni. Isthic se bipartito aqua-

rum

Vecta fl. rum agmine scindit in Vectam, quod fluentum Wesopium oppidulum non pœnitendum Goeylandiæ præterfluit, inde Mudam municipium, medium diuidit, arcemque lambens, Batauici maris in sinum se condit. At ipse Rhenus nomen augustum tenuis aluei angustis spacijs tuens, segnes aquas præter Woerdenum oppidum non postremi tituli, quod vsuariũ à Rege possidet Illustriss. Ericus Brunsuicensium dux, prouoluit: inde longo tractu per Albiniana castra

Albiniana castra. tanta lenitate manat, vt oculis vtram in partem fluat, iudicari nequeat, sicque cunctabundus amænissimum vtrinque rus secat Lugdunum vsque, Germaniarum, vti declarabo postea, caput: quod priusquam intret, in tres elices diffunditur, qui in lacum Lugdunensem se exonerant, quorum hæc

Marna. sunt nomina, Marna, Zylia, & Douzia. Marnæ crepidini assident arx Pœlgeestana, Alcmadia hodie dicta, cum castello cui Abbatis palus, à paludibus in quibus situm, nomen est, & Podiciorũ palus, quod olim castellum Zuetensi nobilitati possessum, in monasterij vsum nunc cõuersum cernitur: adiacent & Marneburgum Lochorstanæ familiæ peculium, & arx Varamonda à Varamundo Fráco (vti auguror) olim exstructa & in stirpem Waramundiam gentilem cognominemque inde translata. Zylia nomen dedit arci, quam Zylianam curiam indigitant, & Lugdunensi portæ quæ riuum illum respicit. Douzia porrò vetusto castello Douziæ stirpis olim peculio nomen similiter de se dedit, quod adhuc supereſt, non ita pridem vsu eius à vetere familia alienato venditione. Supereſt & quartus elix, qui in vicinia Lugduni cursum flectit Rhenoburgum versus, sacrum virginibus nobilibus locum, Caninefatesq. interluens prædium D. Adelberti nomine non longius Harlemo notum, vlterioraque petit. Vnde per quina passuum millia immobilis, vltra Cattorum vicum progressus, alueum per quem se quondam exonerabat, non inuenit, neque inuenire laborat, ne veteris iniuriæ sensus recrudescat, & solidato iam vulnere malũ integrascat à proteruia Cauri, quî cum malè coire

nec

nec diu ſtabilis conſeruari gratia poteſt. Hactenus de medio Rheni alueo, qui magna ſui parte Lecca dictus, eodem quo curſum orditur, nomine deſinit, ſermo extractus eſt, nunc ad caput redeamus, nempe diuortiũ Rheni iuxta telonium Lobeci appellatione notum. Pars igitur Rheni altera ad læuam ſe flectit, & Neomagum, vel vt alij ſcribũt Nouiomagum (vtroque nomine lego extitiſſe & alia præſidiaria oppida) regiam olim Batauorum ſedem, vrbem copioſam & præpotentem, Romanorum legione præſidij nomine ibi collocata, & palatio publico Francorum Regũ notam, prætexit, vrbiſque mœnia areamq. naualem radit, Vahalis iam nomine clarus, tametſi Rhenus Pomponio Melæ dicatur donec in mare exeat. Longo inde agmine Tielam pergit, operibus munitionibuſque validã vrbem: iſtinc anfractuoſo meatu Bomelium ad læuam relinquit elegans & munitum oppidum, edita inſignis operis turri, ſed faſtigio carente conſpicuum, caput eius inſulæ quam cum Vahali Moſa includit: deinde non procul Woricomio Moſam accipit, mox apud Goricomium copioſum oppidum, Lingæ amnis, incredibili lenitate ſegnis, incremẽto auctus, Merouæ nomen accipit, à Merouæorum (quæ regia Francorum ſtirps fuit) arce, quæ olim fluuio imminuit, nunc validis parietinis muriſque ceu machinamẽtis ſuſpenſa ac nutans, in medio amnis pariter & maris æſtu, ſua ſtat mole: quã vbi præterierit, Durdrechtum nobiliſſimam ex vrbe inſulam prælabitur; demũ receptis Lecca & Iſela Rheni brachijs, Iſelmondam Merodani Dynaſtæ dominium (cui nomen dedit os Iſelæ, qui aduerſas in eius aggerẽ oppoſitũ vndas exſpuit) præterfluens, ſub Roterodamo alumna D. Eraſmi vrbe, Moſa appellari incipit, vbi recedentibus latiùs terris, vaſto iam ore Sciedamum & Vlaerdingam vltimæ antiquitatis municipium ad dextrum latus relinquit, deinde Gerulietum oppidum, & Brielam piſcatorum alecariæ negotiationis præcipuam ſedem, à læua præterlabitur, ibique mox Oceano miſcetur. Cur verò Moſæ nomen Vahalis induat, magna

Vahalis.
Tiela.
Bomelium.
Merona fl.
Meronæi.
Merona arx ruinoſa.
Durdrecht.
Iſelmond.
Sciedamum
Vlaerding.
Gerulict.
Briela.
Vahalis cur Moſæ nomen accipiat.

per adoptiuas aquas affectus iniuria, quippe qui vel patriæ familiæ honore depositō, in obscurioris fluuij nomē transit. hinc natum est, quòd Mosa per Eburonum fines eluctatus, postquam Ruremundam, Venloium, Grauiam, Rauesteinum præterlegit & Bateburgum à Batonis altissima stirpe nomen (vt putatur) habens, qua parte Mosaualiam ad dextram respectat, sic nuncupatam ditionem à Mosæ & Vahalis confinijs, pòst apud Herwerdum pagum recepta Rheni, traditaq. vicissim sui parte, (quem concursum aptis verbis expressit Cæsar, vbi ait, Et parte quadam Rheno recepta, quæ Vahalis appellatur) apud Worcomium oppidum Louesteino arci oppositum, vbi confluentes iunguntur in Vahalim Merouámue defertur. Idem Mosa olim Hoesdenum, nobile perantiqua & illustri Heroum familia oppidum, secans & allabens, longo inde agmine D. Gertrudis sacrum montem, oppidi nomen est copiosissimo Salmorum & Alosarū piscatu celebris, præterfluebat. Postea non longè à Seuenberga (Septimontium significante id voce reddere licebit) municipio, introrsum flectebat suum cursum: relictaque ad dextram, sexcentarum decempedarum interuallo, vrbe Durdrechto, rectà Mosadamum, pagus eo nomine est à Mosæ emissario dictus, petebat, inde Vestmosam, vbi alueus eius fluuij, qui adhuc visitur, abruptus aut intercluſus, quam in partem deflexerit, ignorationem spectantibus adfert: vero tamen non est absimile, in canalem Mosæ appellatione clarum defluxisse: atque ita liber denique in Oceanum patrem & receptatorem eundem fluentorum omnium se infundebat. Porrò Domitius Corbulo principatu Claudij Cæs. ne miles otium exueret, inter Mosam & Rhenum fossam perduxisse legitur trium & viginti millium spatio, qua incerta Oceani vetarentur, quod extat apud Tacitum libro vndecimo. Vahalis autem (vt obiter eius etymon exquiram) appellationē habere videtur vel à Valio colore subruffo arenæ quo tingitur, cuius tinctura Achillis equum & Belisarij fortissimi ducis fuisse proditum est: vel

Hoesdenum.

Vahalis etymon.

est: vel Walis, vt nonnulli scribunt, quòd Rhenus eo loco nomen mutet, quòd Walen lingua vernacula efferat pro mutare, quo spectant voces illæ à Tacito vsurpatæ, vertere cognomentum, & mutare vocabulũ, vbi de Rheno loquitur. Quòd si Vachalis lectionem quis præferat, quæ extat apud Cæsarem, Panegyristas, & Sidonium Apollinarem, coniectem dictum esse, ab effectu, quod intumescentibus illius aquis aggeres & rura omnia veluti contremiscant & concussa vacillent. id enim sonat Vagen (Romani sic per simplex v, quod nos geminato, scribebãt) seu Waegen/ aut à Wachen/ hoc est, à vigilãdo, quòd solutis niuibus aut continuis imbribus repletus amnis, vix aggeribus continetur, quibus perruptis vt latè stagnant arua, ita boum hominumque stragem immanem sequi necesse est, quare vigilem curam agere insomnes tunc omnes res & salus publica postulat, id quod non semel mea ætate accidisse memini, quando concussa æra tinnitu lugubri omnem ætatem sexumque ad depellendum periculum tuendumq. aggerem excierant. Quæ res admonet me singularis in communem salutem diligentiæ industriæque Adriani Matenesij Riuerij Domini, qui ante annos fermè vicenos in teterrima tempestate anni, perfracto penè aggere qui Rheni alueum cohibet, vix dimidiati passus spatio reliquo, in desperatissima spe, quum de conuasandis suis quisque rebus, decq. pignorum suorum & coniugum salute cogitarent, ille peruigili cura ad ferendam opem & manu & exemplo præeundo cunctos hortatus est, dignam cuique mercedem pro impensa opera liberaliter repræsentans, Claudium Cæs. in hoc imitatus, & si quid deerat, cumulaturum se pollicitus. Quod beneficium trabali clauo patriæ communi fixum, statuam mereretur, vt imaginis memoria oculis inhærẽs, cùm præsentem, tum posteram ætatem ad imitãdum exemplum inuitaret atque animaret. Hoc ideo cõmemorandum duxi, quòd Reipub. interfit, virtutes & egregia facinora non sileri. Nunc ad tertium ostium, quod Druso Neroni acceptum ferri debet,

Adriani Matenesii diligẽtia in conseruando aggere.

Drusianum ostium, Isalæ.

transitum faciamus, siue illud in beneficij loco ponendum, siue publicis inde rebus importatum detrimentum causabimur: quod vtram in partem verè accipi debeat, in difficili affirmatio versatur, quòd ignoremus quæ eum caussa præcipuè impulerit cur fossam deduxerit, quæ item locorum ea tempestate conditio fuerit. Quòd si coniectura adhibenda est, eam ad tres causas interpretatione licebit reuocare, vel ad insulæ munitionem, vel ad aquarum stantium deriuationem, vel ad commoditatem bellici apparatus in externos hostes, quas obiter causas superiùs attigi. Si igitur obiectu noui aluei hostilem furorem parauit excludere, vt aliqui opinantur, næ ille ficulnum auxilium & inualidum comparare aggressus est, quasi defutura fuerit hosti materia in compingẽdis ratibus: sin fossam duxit vt breuiore viæ compendio classem Oceano inferret aduersus hostes, vtq. auxilia, commeatus, impedimenta, è Gallijs Rhenoque adiacentibus oris secundo amne defluerent faciliùs, Romanorum commodis, quàm prouinciæ, quàm sociorum rebus seruiuit magis, dum Batauiam antea (loquor de vniuerso insulæ corpore) peninsulam, rescindit & à continente deripit. At si palustri ac humili regioni semper in stagni modum natanti, laborantique à gurgite & inundatione Rheni, quo minùs exonerare aquas & liberare posset, consulere voluit & mederi, iam certè dignus erat, qui in Olympia aureus staret, iam eum ijsdem cum Hercule augendum honoribus censerem, quod vt ille Acheloi fluminis Ætoliæ læuum cornu, sinuosis anfractibus regionẽ lancinãs, ad moderationem reuocauit ductis fossis incilibus, atq. ea re Ætolos immortali beneficio cumulauit, ita & Drusus, modò is fuerit illi propositus scopus, aut si poscente necessitate cõmunem quæsiuit vtilitatẽ, in cælũ nobis vehendus esset. Sed vereor ne dictura sit aliud Transisselana & Cisrhenana Frisia, quarũ fines adesi & cõsumpti, hinc Rheno, illinc Oceano, in mare conuersi sunt. Sed ad rem. Antequam Arenacũ vsq. descendat Rhenus ad duo passuum millia, fossa noui & immensi operis in-

Tres caussæ cur à Druso Drusiana fossa ducta fuerit.

ris incipit cõtinua militari opere, ne virtus otio relangueſceret, per Druſum facta, cui Druſianæ nomen fuit, teſte Tacito, manetq. nomèn in hodiernũ diem; quam Germanicus Cæſar ingreſſus cum claſſe mille nauium, poſt vota Druſo patri facta, lacus inde Rheni & Oceanum ad Amiſiam vſq. flumen, præcipiti alueo & ſecunda nauigatione vſus peruectus fuit, vt ille ſcribit. Eam aggere quoque muniuit anno à condita vrbe ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, ſed inchoatum illud opus ſexageſimo tertio pòſt anno abſoluit Paulinus Põpeius, qui exercitibus in Belgio Neronis principatu præfuit. quẽ aggerẽ putatur Tacitus appellare Druſi molem (à qua diuerſa eſt nihilq. cõmune habet Druſi moles, quæ Magontiaci extat, vulgo dicta die Eichelſtein) vbi narrat Ciuilẽ quũ in Batauiam ſe recepiſſet, diruiſſe molẽ à Druſo Germanico factã, & Rhenum prono alueo in Galliam ruentẽ, diſiectis quæ morabãtur, effudiſſe. Ea foſſa continuat ad duo aut tria milliaria, Rhenumq. noui Iſelæ nomine donatum deducit præter Doeſburgum oppidulum fortè à Druſi nomine dictum, quaſi Druſoburgum, quod falsò à quibuſdã, qui ſcholia otioſa Taciti libris illeuerunt, creditum fuit eſſe Aſciburgium, quod in ripa Rheni ſitum monumentum Vlyſſis errorum eſſe volunt, & ab illo dictum Ασυπύργιον, & quamuis extare nõ procul Xantho in Cliuia Aſchelbergum nomine aſſonans pagus dicatur, alij tamen Teutoburgo ſiue Duiſburgo vicinum Aſciburgium veriùs monſtrant, quâ olim Rheni alueus fluxerit. Vbi Iſelam veterem, cuius in Veſtphalia fontes ſunt, & in cuius nomen hic adoptatus eſt, accipit: inde Bronchorſtum præterlabens, Zutphaniam vrbem copioſam & Comitatus titulo honoratam, quam ego Vſipetum ciuitatem eſſe autumo, vt vocis veſtigia adhuc inſibilantia auribus, indicant. Hinc Dauantriam petit amnis curſus, Anſuariorum ciuitatem, vnde manet notum illud omnibus & lippis & tonſoribus, Anſenſtadt/ quæ vrbs rerum omnium copia circumfluit, opulenta & beata ac validè munita; de qua plura vbi

Lib. 2.

Agger à Druſo inceptus.

Tac. lib. 13. Agger perfectus à Paulino.

Zutphania.

Vſipetes.

Dauantria. Anſuarij.

de Anſuarijs loquendum erit. Atq. hæc quæ diximus quatuor oppida Iſela ad dextram relinquit, quæ ſequuntur duo
Hat. ad læuam ſitum habent, inter quæ primo loco Hattemum occurrit natura loci atque opere munitum oppidulum; in-
Campi. de Campi ſunt, celebris vrbs, quæ Nauaha putatur eſſe, de qua poſtea dicturus ſum, & ſecundum nonnullos Manarmanis portus: hãc præterlapſus & inſululas aliquot emenſus in Tyium ſinum effunditur, vbi nunc raptus à mari poſt admiſſum Vidrum, Nigræ aquæ cognomento appellatũ, quod ſoli ingenium quale ſit, nigrore teſtetur, nimirum paluſtre & ceſpitum bituminoſorum parens, relinquit ad læuam exiguas inſulas Enſiam & Orcam, piſcatorum ſedes, quas priuſquam adeat, nautæ trudibus & contis æſtate, quando mare illud malacia & tranquillitas tenet, explorant, deprehenduntque non altè viam ſilicibus ſtratam, vti accepi ab
Ph. Morus. elegantis ingenij iuuene Philippo Moro Traiectenſi Canonico: id quod dignum mihi viſum eſt, quod in literas referretur, ex quo manifeſta elucet fides commercij hominum, vbi nunc piſcium coëunt agmina. Poſtea idem amnis cum maris ſinu concorporatus, præuehitur Friſiam, deinde præter Flielandiam, ab oſtio eius Fleuo cognominatã inſulam, in Septentrionalem Oceanum exit, quo loco fuit & caſtellum oſtio cognomine, Fleuum, vt Tacitus teſtatur, quod non contemnenda ciuium Romanorum & ſociorum manus incolebat, Oceani littora præſidens, in quo Olennius aſperrimus Friſiæ exactor, qui importuna ſua auaritia exitium cohortibus Romanis ſparſim conciſis peperit, ægrè fuga conſeruatus eſt. Iam tempus eſt vt promiſſum exoluam, & diſcordias, ſi quæ videntur, componam. Inprimis offert ſe Virgilius Poëtarum princeps, qui bicornem facit
Rhenus rectè bicornis. Rhenum, vt & Aſinij auctoritate Strabo geographus (qui omnes principatu Auguſti Cæſ. vixere) & quidem rectè ac cum fide, nondum enim à Druſo ducta foſſa tertium fuerat exiturus in oſtium, ſoliuſque tunc Batauiæ, abſque cæterarum inſularũ complexu, fines circumſcribebat Rhenus.

Auſonius

Ausonius Burdigalensis tametsi bicornem illum appellet, secutus exemplum Maronis, Cæsaris tamen opinioni insistere, diuersaq. illi tribuere ostia videtur ex professo, quum inquit Rhenum alloquens eique Mosellam suum commendans, his verbis:

Communesq. vias diuersa per ostia fundet. *Ausonij versus.*

nisi diuersa vocarit in diuersam orbis plagam erumpentia, quando vnum in Britannicum, alterum in Septentrionalem defertur Oceanum, nempe quod Drusianam in fossam deriuatur, de quo postremo sensisse Claudianum non ambigo, siquidem Cimbricũ cum Septentrionali mari idem est. Plusculum difficultatis primore fronte ostendit Taciti dictio, qui duos extimos cursus recensere contentus, medium reticet, quòd sufficeret statuere bipartitam aluei diuisionem apud principium Batauiæ in Vahalim Belgicæ oræ terminum, & Rhenum pòst Iselam dictum, qui Frisiam Germaniamque terminaret, ex eoque colligere videor tunc temporis medium alueum habitum fuisse loco riui ex illo flumine deducti, præcipuumq. honorem in Drusi gratiam & ob rerum gerendarum opportunitatem Iselæ adscriptum tributumque: qua re iniuria Rheni medio alueo illata est grauis, qui de possessione nominis deturbatus & quandam capitis diminutionem passus fuit non suo merito: itaque patientiæ victricis ope proteruiam sibi factam contudit, ac superauit, nomen pristinum retinens, quod alteri detractum est. *In Taciti verbis difficultas.*

Venio ad Melam, in quo plura obseruationis indigent & explicationis, siquidem illud, *haud procul à mari*, parum attentè aut verè dixit, quum centum fermè passuum millibus spatium illud metiatur Plinius, Cæsar octoginta millibus, hic fortassis iudicium dimetientis rectà, ille amnis cursum secutus. Illud verò, *huc & illuc dispergitur*, extulit pro, in duos se alueos diuidit. Quod deinde sequitur, *donec effluat Rhenus*, parum ex fide dictum est, si de Vahali intellexerit, quippe qui non semel nomen mutat: sed si de medio ostio loquitur, verissimè sensit, ac tum oscitantiæ & supinitatis incu- *Melæ verba expenduntur.*

incusandus fuerit, qui Vahalim præterierit indictum: nisi caussemur deesse quippiam, quod perfugium solet in nodis & difficultatibus scriptorum frequens esse, aut nisi ex narrantium fide perperam acceperit. Postremum illud, *vbi campos impleuit, Fleuo dicitur*, disertè exprimit vocis Fleui etymon, atque ostendit æstuarium illud fuisse: quoties enim mare accedente æstu in terras se recipit, easque operit, &, vt verbis Melæ vtar, campos implet, vulgaris lingua id dicet, fleut, hoc est, maris æstus increscit, inde Fleuum originem ducere, & campos inde fuisse completos ac fluitasse, atque inde paulatim creuisse vastitatem illam, quam hodie videmus, sinus Batauici, absumpto immenso terrarum spatio, intelligimus. insulam verò cognominem quam amplectitur, Flielandiam hodie dictam exprimit, quam inter & Scellingam è vasto lacus spatio in arctum copias suas contraxit amnis, collectisque in vnum omnibus aquarum viribus in Oceanum tandem Cimbricum se effudit: qua parte multum detriuit maris auiditas. memini namque à Boschusio viro præter generis nobilitatem, præclaræ fidei manifesto, se in archiuis reperisse, quod intra tertium sæculum, tantum spatij fuerit pratis nunc mari hausti, vt conuehendo fœno instructa plaustra, vix ter in die æstiuo iter vltro citroque conficere potuerint: ea hoc tempore loca (vt res mundanæ aliud nil sunt quàm æstuaria & reciprocæ vicis ludibria quædam) iterum vadosa fieri, incrementumque accipere, præsertim quâ Tessalia proxima adiacet, benignitate quadam Naturæ, non perpetuò indulgentis auiditati maris. Locus verò Cæsaris de Mosa perplexior apparet, plusque in recessu celat, quàm fronte ostendit. Nam & Heroldum in errorem præcipitauit; qui illud, *parte quadam Rheni recepta*, ad Mosellam transfert, qui apud Confluentes Rheno commiscetur: & alijs occasionem lubrici assensus in errorem facilè præberet, existimaturis Cæsarem Batauiam accipere pro ea insula quæ Bommelerwaert hodie dicitur, id enim in speciem sonant illa verba, *Mosa parte quadam*

Fleui etymon.

Cæsaris locus.

Heroldus hallucinatus.

quadam Rheni recepta, quæ appellatur Vachalis, insulam efficit Batauorum. Siquidem territorium illud Bommelianum illinc Vahali ambitur, hinc Mosa apud Herwerdum recepta Vachalis parte circuit, quos Loeuesteinum coniunctis aquis in gratiam redigit & consociat. Verùm enimuero Cæsar quum partem Rheni Vachalin dictam nominat, subindicat superesse & alteram partem, dubium tollens hoc ipso quod parti nomen diuersum ac secretum ab altera tribuit. Quod autem in plures diffluere partes, multasque & ingentes insulas facere Rhenum dicit, de Mattiacorum insulis, hoc est, Selandicis interpretandum haud dubiè erit; nulla enim ratione aptari ad alterum ostium potest: quippe è vasto lacu in fauces insulæ arctatum, vnoque ore Oceano infusum, vti Mela docuit: at Vachalis seu Mosa olim haud perinde nudus ab obiectu littorum, vt nunc est, incurrebat in insulas illas varijs appellatas nominibus, atque ita multis capitibus siue ostiorum decursibus in mare influebat. Noui qui ostio Fleuo ista transcribere voluerunt, quasi inter insulas Frisiam prætexentes Isela excursibus varijs exonerari potuerit, sed manifesto tenentur in errore, quòd insulæ illæ aut Frisiæ contiguæ fuerint, vt illorum & nostri Annales loquuntur, aut breuibus vadis & æstuarijs coniunctæ, vnde manet in hodiernum vsque diem locis illis vadosis nomen, Twat, hoc est, Breuia seu vada: alioqui insula quæ inter cæteras Ouorum cognomine nobilis est (vulgo Eyerlandt) Cæsaris dicta confirmare poterat, qui ex insulanis illis quosdam ouis alitum vitam extrahere scribit: id quod Oonis attribuit Mela, qui Sarmatiæ obiectas eas insulas ait, quarum incolæ auium palustrium ouis alantur, nominis rationem aperiente ipsa voce ὠὸν, quæ apud Graiorum gentem ouum denotat.

Selandicæ insulæ.

Twat, i. breuia.

Ouorum insula.

Oonæ insulæ.

CAP. IX.

Quod Batauiam Franci inuaserint & possederint. Qui fuerint Franci, déque eorum sedibus. Item de Francis Ansuarys & Salijs, deq; lege Salica.

POSTQVAM Romana res propter inexpiabilem erga Christianos sæuitiam,& belluina maiorem tyrannidem, atque inaudita scelerum exempla, vindicem in se Nemesin concitauit, iustamque prouocauit cæli iram, immanes gentium & solo etiam nomine terribiles species, imperio tam lato ac potenti illusuras, Deus vndecunq. excíuit, quæ prouincias tanquam Penthei artus quosdam discerperent laniarentque. Nacti itaque oblatam diuinitus occasionem Franci, qua triginta Tyranni agebant, ferebant, ac distrahebant imperium, Batauiam occuparunt, diuersis Regibus seu ducibus ac præfectis vsi (nondum enim Capillati Regis imperium sibi adsciuerant) vt in diuersos populos erant diuisi, circa annum ducentesimum septuagesimum tempore Constantij Cæs. idque hyeme aspera atque ita sæua, vt per Rhenum gelu adstrictum vndique eò affluerent. Sed eos ad deditionem captiuitatemque compulit Constantius fatali cæli mutatione & quidem repentina adiutus, quando vi subita ventorum imbriumque soluta glacici compago reditum illis intercluserat, ac hosti obiecerat, quod Panegyrici auctor his verbis testatur. *Quid commemorem immanem ex diuersis Germanorum populis multitudinem, quam duratus gelu Rhenus illexerat, vt insulam (quam diuortio sui idem amnis complectitur) pedestri agmine ausa, repentè laxato flumine clauderetur, & dimissus statim obsessa nauigijs se dedere cogeretur.* Et iterum. *Terram Batauiam à diuersis Francorum Regibus occupatam, omni hoste purgauit, nec contentus vicisse, ipsas in Romanas transtulit nationes, vt non solùm arma, sed & feritatem ponere cogerentur.* Rursum alius Panegyristes. *Multa Francorum milia qui Batauiam aliasq; cis Rhenum*

Franci Bataniam occupãt.

Rex Crinitus.

Rhenus gelu concretus.

Francos debellat Constantius.

Rhenum terras inuaserant, interfecit, depulit, abduxit. Tertius item. *Purgauit ille Batauiam aduena hoste depulso.* Testatur id ipsum Eumenius Rhetor, qui sub dextera Constantij Batauiam squalidum caput syluis & fluctibus exerere ait. Ea de caussa subactis Francis Rhenum in Batauia opportunis ad arcendum hostem castellis Romani muniuerant, vti ostendit Panegyrista ad Cõstantinum his verbis. *Hinc per interualla dispositа magis ornant (Batauiæ) limitem castella, quàm protegunt. Arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola, tot nostri greges flumine bicorni mersantur.* Quin vt meliùs etiam Batauiæ consultum esset, constratis armatisque nauibus ad prohibendas vndecunque hostium incursiones Rhenum Constantinus obstruxerat, vti Mamertinus aut Belga orator in Panegyrico declarat hisce verbis. *Quippe cùm totus armatis nauibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus vsque ad Oceanum dispositus miles immineat.* Quid, quòd per absentiam Constantij patris alijs bellis occupati, quum rursus fœderũ obliti Franci extollerent capita, seque contempta filij Constantini adolescentia erigerent, hic prospera vsus fortuna, copijs eorum cæsis, duos gentis Reges Ascaricum & Radegysum in ipsis imperij & iuuentæ cunabulis cepit, & famoso supplicio in eorum capita ludens, bestijs obiecit, vt Nazarius & Eutropius scriptis testatum reliquerunt: quod Panegyrista etiam his verbis clarum facit versa ad Constantinum apostrophe. *Affeciſti pœna temeritatis reges ipsos Franciæ, quòd per absentiam patris tui pacem violauerant; non dubitaſti vltimis punire cruciatibus, nihil veritus gentis illius odia & inexpiabiles iras, ideoq; tantum abest vt Rheni amnis transitũ moliantur, vt magis adempta potestate desperent.* Alius Panegyrista principatu etiam Diocletiani Imp. Francos Batauiam insedisse loquitur, quando altioribus curis occupato illo, Maximianus Cæsar pro collega adscitus in imperium, susceptа expeditione gloriosa, Batauiam exactis Francis vindicauit, ac barbaros syluarum perfugijs se

Castella Rheno imposita à Romanis.

Naues cõstratæ Rhenum tuentur.

Franci rebellant.

Francorũ reges bestijs obiecti.

Franci Batania expulsi à Maximiano.

occulentes, ad deditionẽ compellendo purgauit. At enimuero Franci postquam semel patefacto aditu Batauiam tenuere, sæpiùs licet repulsi, iterato marte repetiuerunt, Horatiani illius canis non absimiles, quem à gustatu vncti corij nunquam absterreas, nunc cædendo, nunc vicissim crura sagittis præbendo, & paullatim proxima quæque incursionibus carpendo sui iuris fecerunt. Gens namque illa suis nunquam contenta limitibus, alieni appetens, dominandi libidine (quæ per se inexplebilis est) longè lateque finium suorum pomœria propagare: Frisiorum, Tencterorum, Vsipetum, Ansuariorum, & Sicambrorũ loca occupare, ad Amasiam & Visurgin vsque, quorum marginibus contineri non potuit indomitus ille furor, quin ad Albim vsque se extenderet, atque inde digressus ceu continenti incendio in vicinię penetraret viscera, ac primùm in Vbios profecta, mox superata Rheni ripa Coloniam Agrippinam opulẽtissimam munitissimamq. vrbem, graui obsidione pressam captamq. deleuit, Ammiano teste, Iuliani Cæs. principatu, qui firmata cum Francis pace eam recepit: paullo pòst absente longiùs Iuliano, Galliæ tractum ad Mosam supra Iuliacum depopulati sunt, postea etiam Mogontiacum, Argentoratum, Vangionas, Nemetas oppressere, Turingiamq. & Franciam à se Orientalem respectu locorum situs nominatam inuasere, circumlatis armis quò spes prædæ & victoriæ dulcedo inuitabat, tam felici successu, vt postea Byzantinũ quoque imperium, Orientis lumen, ad fœdus commouerint secum iciendum. Rursus eadem natio transito Rheno per Toxandrios, Neruiorum & Treuirorum, fortissimorum populorum, agros cultoribus vacuos ob vastitatem & occisorum stragem, vt veri sit simile, belli iure possederunt: iterumque intra paludes suas Romanorum armis compulsi, aliquamdiu quieuere, donec assensu Maximiani Augusti in amicitiam recepti, ditiones illas vacuas obtinuerunt: quod Panegyrici Maximiano dicti auctor disertè exprimit. *Tuo*, inquit, *Maximiane Auguste, nutu, Neruiorum & Treuirorum*

Franci sæpe victi Bataniã repetunt.

Franci ad Albim vsque.

Franci Byzantinis formidabiles.

Frãci in Neruios & Treuiros.

arua

arua iacentia lætus, postliminio restitutus & receptus in leges Francus excoluit. Porrò Gallieni Imp. hominis popinæ & abdomini nati tempore cœpit Francorum nomen increbrescere, ac in sermonis hominum celebritatem peruenire. Eos auxiliares sibi adiunxit armauitq. cõtra Deciũ susceptа expeditione Posthumus vir bello fortissimus, qui Gallias toto septennio sanctissimè rexerat, vt Trebellius Pollio memorat. Demum etiam in Gallias victricibus armis ea gens debacchata est, domitis longè lateque omnibus, & nominis terrore ac potentiæ perculsis, inuitata præcipua soli Gallici vbertate, vt relictis paludibus & solitudinibus suis fœcundissimum solum possiderent, quod de Germanis Transrhenanis, hoc est, ipsissimis Francis (vt id huc referam) Cerialis apud Tacitum ait. Quapropter summo iure vicinitas Francorum non Saxonibus modò & Sueuis suspecta fuit semper, si Hunibaldo fidem dabimus, sed Romanis quoq. & Græcis, vt Einhardus Caroli Magni scriba reliquit testatum, nato etiam indè prouerbio Græco, quod recitat iste huiusmodi:

Francorũ nomen quando inclaruit.

Franci Galliæ dominantur.

Francorũ suspecta vicinitas.

Τὸν Φραγκὸν φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς, id est,
Francum amicum habeto, at non vicinum.

Prouerbium.

Cui dicterio occasionem iustam dedit gentis rapacitas: nam vt quæq. natio Francorum fines attingebat proximè, ita prima victorum armis obuia & subacta fuit. Eam paroemiam agnouit & Vrspergensis Abbas. In quantam verò potentiam creuerint posteris sæculis, vel ex hoc solo Agathiæ discas testimonio, qui legatos ab ipsis Romam ad Vitigin Gothorum Regem à Belisario obsessum refert missos, pollicitis se si in dominationis societatem reciperentur, cum quingentis armatorum milibus in Italiam descensuros in eius auxilium. At illi perfidiam veriti, quæ in regni societate plærumque adest, oblatam conditionem respuere. Tandem tamen Gothi eam Galliarum partem, quam inter belli primordia subegerant (quod ab illis in Italia gestum est) ne sibi cum gemino hoste res esset gerenda, Francis pacto fœ-

Francorũ potentia.

Regni societas infida.

Francis possessio Galliarum confirmata diplomate.

dere permiserant, adhibito huc Iustiniani Imp. assensu, factum approbatis, perpetuæq. possessionis diplomate confirmantis, vti Procopius memorat. Quo factũ est vt Phocaica colonia Massilia, maritimoque omni Galliarum tractu potiti fuerint Francorum Principes, constituta apud Arelate vrbem solij principalis ac splendoris equestris sede, vbi & aureum illis nummum cudendi è natiuo Galliarum metallo cum sua effigie, præter aliorum Regum ac Principum morẽ, qui Imperatoris effigiem ectypã vsurpabant, ius prærogatiuum indultum fuit. Neq. intentatã ijdem reliquere Britanniam, si Panegyristis credimus. Mirũ verò & inauditum incredibilis audaciæ exemplum Panegyrista commemorat de hac gente: Captiuos aliquot Francos in Ponti faucibus corripuisse nauigia prædatoria, ijsque Asiæ & Græciæ oram depopulatos, plerisque Libyæ littoribus appulsos, Syracusas inclytam naualibus victorijs vrbem cepisse, atque immenso itinere peruectos Gaditani freti angustias euasisse: ostendentes temerario euentu nihil pyraticæ desperationi clausum esse, quò nauigijs pateat accessus. Hinc est quòd Panegyrici Constantino dicti auctor vocat Francos sui prodigos truceisque, quòd contemptu vitæ lethalibus vulneribus ac mortibus sese offerrent, magnæq. molis esse fatetur, eos vel superare vel capere. Sed in tanta fortissimæ ac bellicosissimæ nationis luce, quid verba fundere immoderatius, quidve immorari prolixius satago, quum versetur omnium manibus Ammianus Palatinæ historiæ scriptor, qui abundè docebit auidum cognoscere Francorum res lectorem, instructumque copijs dimittet. Extant & Panegyrici scriptores illis attestantes, atque inter recentiores Rhenanus, qui plæraque illorum gesta in acerυum collegit vndecunque, & operæ compendium alijs laborem fugientibus præoccupauit. Illud verò silentio transire nequeo, Regnum Austrasiæ (quæ & Teutonica Francia vocabatur propter linguæ Germanicæ vsum) quod complexum fuit quidquid secundum Rheni ripam Belgicæ nomine Romanis dictum

Arelate.

Francis regibus concessum cudere aurum.

Francorũ audaciæ exemplum.

Austrasiæ regnum.

lon-

longissimè excurrit, à Iustiniani principatu ad Othonem primum Germanorum Imp. penes Francos fuisse indubitatò: quamuis nominatim Regum Ducúmve series & propago recensèri nequeat, siue ob temporum barbariem & iniquitatem, siue ob assiduas bellorum calamitates, gentibus se vndarum ritu superuenientibus, penitus obliterata, quod ipsum Platinæ & Riccij testimonio aliorumque clarescit. Sed res à gente clarissima gestas deponam è manibus, quòd institutæ historiæ ratio id postulet, neq. inhærere his patiatur, potiusque collocanda videtur opera in ostendendo, qui, vnde orti, vnde nomen traxerint, quas sedes principiò tenuerint, vnde tanquam è lare bella finitimis semper faciendo, Belgium & Germaniam cùm inferiorem tum superiorem suæ ditioni subiecerint, Galliam sub leges redegerint, peruaserint Italiam, Romanos fasces & imperij ius ad se transtulerint, æstuque furoris euecti (vti Nazarius inquit) Hispanias quoque infestas habuerint. Francos ergò, (vt à nominis etymo veroque proloquio multi ordiuntur) ob immunitatem tributorum ac libertatem, bellicæ virtutis præmium, inuento à se cognomine dici cœpisse, Francicorum Annalium concinnatores (religio enim mihi fuerit scriptores nominare, qui fidei historiæ manifestarium naufragium fecere) commenti sunt impudenti mendacio. Fabulantur namque Valentiniani tertij Imp. ætate, Francos huiusce nominis ius vsurpasse, postquam Alanorum ferociam contuderant, prouocatos allectosque edicto Imperatorio, quo decennalis immunitas his qui Alanorum arma compressissent, proposita fuerat: Ea verò gente ad occidionem interempta penitusque deleta, illos promissi compotes quum repeterentur ab elapso decennio tributa solita pendere, longinquæ libertatis insolentia, quæ animos illis fecerat, stimulatos, vindicias secundum libertatem armis tueri institisse. In qua fuisse opinione inuenitur Paulus Æmylius luculentus historicus, cuius non grauabor verba propter Romanæ linguæ puritatem & eximium decorem adscri-

Franci vnde dicti.

Pauli AEmylij de Francis opinio.

„ adscribere. Franci, inquit, se Troia oriundos contendunt: ea
„ capta incensaque nobilissimam ciuium manum, quos fer-
„ rum hostium ignisque non absumpsisset, duce Francione
„ ad Mæotin paludem se contulisse, nec procul ab ea vrbem
„ condidisse, quam ad Valentinianum vsque Cæsarem Va-
„ lentiniani filium incoluerint. Ab eo primũ honore auctos,
„ ac in decem annos immunitate donatos, quòd rebellantes
„ Alanos in deditionem Romani nominis redegissent: deinde
„ cùm circumacto eo temporis spatio ad vectigal pensitan-
„ dum reuocarentur, imperiumq. detrectarent, sedibus pul-
„ sos, duce Marcomiro in eam Germaniæ regionem, quæ
„ nunc Franconia est, concessisse. Hactenus ille. Quibus le-
ctis, quum eodem delirij iure perfusum animaduerterem
virum eloquentiæ laude inclytũ, eodem inquam, quo cæ-
teri imbuti, Troianæ fæcis reliquias in Mæotidos paludis li-
mosas voragines sepoſuere, vbi condita vrbe consederint;
cœpit me pigere ac pudere quoque tanti viri, qui desulto-
ria vsus leuitate, nihil supra vulgum & nugiuendos sapue-
rit, neque viderit vsquam scriptorum alios profugos Troia-
nos nominari, quibus saluis & incolumibus incensa patria
abire cõcessum fuerit, præter Æneam & Antenorem, pro-
ditores patriæ, quorum domicilia suspenso maculosæ pan-
theræ exuuio, vt internosci possent, discreta, ipsos cũ clien-
tum grege in tuto statuerint. Quis vsquam Sicambriæ ad
Mæotin mentionem apud vllum Geographum fieri legit?
quis Troianorum exsulum coloniam eò loci deductam re-
perit in historijs? Accedit quòd è Panegyricis, Ammiano,
alijsque scriptoribus, non vno sæculo priùs quàm Valenti-
nianus imperarit, Francos nominatim discere potuerit, si
accuratè, & non oscitanter vetusta expiscari lectione stu-
duisset. Atque interim consimilia Æmylio chartis illinere
non piguit Gaguinum & Æneam Pium id nominis benefi-
cio Valentiniani Imp. impositum Francorum genti com-
mentos, siue quòd feroces & nobiles Attica lingua Franci
dicerẽtur (quod vbinam lectum vsquam sit apud idoneum

&

& classicum scriptorem, nescire me libenter fateor) siue à tributi remissione & libertate accepta. Quanquam posteriori rationi citiùs subscribere velim, si minutius exigẽdum sit vocis etymon, vt Franci dicantur, quasi *fry on cy*, nimirum à censu (quod *cy* sonat) & vectigalibus immunes: alioqui videri possunt appellati veluti, *fry anſi*, Franſi: vocabulum autem *Anſi*, Gothici idiomatis proprium, denotat eos qui ceteros mortales fortuna & opibus antecellũt, Heroüm & Semideorum conditioni proximi, velut humanæ sortis terminos egressi: vnde corrupta vox vernacula *Anſos* & additione aspiratæ *Hanſos* nominat proceres communi fortuna maiores. Mirum verò egregios viros & doctos stulta ac superstitiosa insania delibutos originem inclyti nominis ad Francum, quem alij Francionem nuncupant, fabulosum atque ementitum Hectoris filium, gentis auctorem referre non erubuisse: cuius nominis etymon lepidè Petrus Ronsardus poëta Gallus appellatum à veteribus Astyanacta Francum, quasi φερέγχον, hoc est, hastigerum scribit. Illorum autem vecordiam secutus poëtico more Sabinus, ab Hectorea origine natos Frãcos nominat. Paullo ante meam ætatem Ioannes Marius, titulo tenus Galliarum illustrationem professus, densissimis potiùs eas tenebris inuolutas obscurauit, editis impudentissimis ineptissimisque commentis, quanquam à vulgo Gallorum impensiùs laudari meruerit, vt est cuique genti prona fides in laudem (liceat mihi Scoonhouij verbis dicere) gloriamque suæ originis. Præli operas adhuc redolet Rosiniaci Præsidis Burdegalensis, omnifariæ lectionis viri, opus De regnorũ origine, plæraq. omnia è Berosо (cui dignum patella operculum commentator Anius obtigit) Manethone, alijsque eius farinæ nugonibus ac fabularum textoribus consuta & inculcata identidem repetens. In eo opere vt viam muniat Francorum origini, istud axiomatis loco proponit, sed Berosiana fide. Cimmeriorum sobolem longè lateq. per cunctas Europæ regiones dispersam, diuersa affectasse nomina, his Cimbrorum, illis

Francorum etymon.

Cy quid?

Anſi qui?

Petrus Ronſardus.

Roſiniaci liber De regnorum origine.

rum, illis Sicambrorum, alijs Francorum appellationem sibi ex vsu fingentibus. Quod axioma clariùs exponit postea his verbis. *Nec mirum videri debet Francos olim diuersa nomina sortitos, modò Cimbri, modò Salij, modò Sicambri, modò Franci &c.* Illo posito tanquam insuperabili axiomatis muro, subijcit: *De Germaniæ statu ante Augustum nihil certi posse ex historijs statui.* Vnde ergò ô bone tibi est altissima illa Regum Bosphoranorum series, quam ex Hunibaldo certam & mille propè annorum curriculo infractam, nec vsquam interciſam contexis? Subdit, sed quod nemo sanæ mentis asserat, Straboni mẽdacium impudens ac præsentarium impingẽs, quippe nusquam in eo Geographo lectum, in hæc verba: *Porro de Francorum antiquitate id ex Strabone, qui tempore Augusti scripsit & militiam vnà cum Romanis secutus est, colligitur, Francos Vindelicis, hoc est, Bauaris coniunctos esse.* Verùm manifestè falsa, & quæ haud dubiè alieno errore deceptus exscripsit, oppugnare, degeneris esse animi duco. Adfert coniecturas idem auctor quasdam non ineptè, de Sicambria à Francis habitata, de paludibus regionis, sed malè, si in corollam transferantur, vinculo hæsuras, diffluxurasque citiùs quam scopæ dissolutæ. Nuper quoque exortus fuit temerariæ stultitiæ homo qui Laodamantem cum Astyanacte eundem, cognomento Francum, ab excidio Troiæ patria extorrem, Sicambriam, quæ eadem Buda sit, in Pannonia condidisse, gentis à se nominatæ ducem fecit. Omnibus verò mendaciorum facem præluxit Hunibaldus monachus, nisi me fallit coniectura, æqualis eorum temporum quæ Clodouæum lustralibus vndis tinxerant. Is namque in somniculoso illo suo, vti suspicor, lustro desidens, & veluti extra se raptus, nescio quid non somniorum deliriorumque ex altissimo atq. adeò inexhausto, non Democriti (in quo veritas scaturit) sed Troicarum rerũ puteo, meras fabulas eructante, deprompsisse legitur, vt gentis Francicæ aborigines omni antiquitate priores faceret, magnisque præconijs exornatos daret.

Hunibaldus monachus.

Cuius

Cuius conatus & ſtudium Trithemius,& ipſe monachus, vt in maius tolleret,decem & octo illius hiſtoriarum,aut deliramentorũ veriùs, libros in epitomen conciſos ſe contraxiſſe teſtatur, haud veritus illum ſolidum Francorum hiſtoriographum appellare, nimirum iuxta prouerbium, Cretenſis Cretenſi palpum obijciens. Vſqueadeóne omnes collatis quaſi per ſatyram ſententijs fabulæ & commento tam impudenter fauere in animum induxiſſe? neminem vnum repertum qui veram & genuinam gentis originem & nominis occaſionem ſtuduerit indagare, ac veritatem ipſam auribus approbare? quum nuſquam interim ex Homero, Colutho, Quincto Calabro, Darete Phrygio, Dictye Cretenſi,& Higino,qui vel Troianas res ſcripſere, vel principum virorum genealogias literis mandarũt,alium Hectoris filium etiam nothum, docere queant, præter Aſtyanactem, qui & Scamander nuncupatus fuit,& Laodamantem,ſi Dictys vera narrat:interim glorioſum illum & inæſtimabilem aureæ libertatis, tantopere omnibus nationibus per vulnera & mortes expetitæ titulum reformident ac ſilentio obruant. Certè in his qui de ſe tanquam primigenijs Francis, ſi dijs placet,nimis inuerecundè gloriantur, & vaniſſima quæque ſcriptis produnt,quid potiſſimum incuſem neſcio,latæne culpæ ac cæcitatis cuiuſdam ſint arceſſendi, an damnandi impietatis, an vtroque pariter crimine aſpergendi? Nimirum quis non animaduertit præpoſteram nationis & peruerſam obſtinationem, quæ potiùs quàm vt à barbara ſcilicet Francorum gente oriundos ſe agnoſcat & profiteatur, meris ſomnijs & plus quàm anilibus Caſcorum deliramentis mauult aurem præbere, fidem adferre, chartas ſcriptis onerare, quàm verum expendere: mauult periuræ, perfidæ, inceſtæ, & patriæ proditrici genti originem acceptam ferre,quàm optimis legibus inſtitutã,Chriſtianam,ſaniſſimæ opinionis & moratam nationem (quas dotes omnes Francis adſcribit Agathias) agnoſcere. Proinde impietatis tantùm non cum malignitate coniunctæ reos

Francorum laus.

teneri autumo, qui progenitoribus suis tam malam reponant gratiam, vt quorum virtute creuerunt, & in illustri positi sunt, quibus claritatem omnem, legum cultum, vitam denique ipsam debent, de illorum magnificentia & decore derogent. Nam quòd è Manethonis Ægyptij, hoc est, impostoris scripto delito, & si nominis vim spectemus, insano fabulantur gentis auctorem Francionem, qui Celtis imperarit, non vident vecordes homines & Melampodis ad hanc rem operâ indigentes, se imperitiæ pariter & impudentiæ conuinci, dum originem suam, hoc est, Francicam è Celtis asserunt, nec animaduertũt è Germanis, qui Celtæ sunt (vt peculiari capite illi rei dicato ostensurus sum postea) tanquam fonte eam arcessere, id quod obstinata quadam peruicacia obnixè respuunt. Vt ergò ad rem redeam, Franci postquam opes eorum conualuissent, & seruitij iugique tæderet Romani, ac dominatus cupiditas animos faceret, nomen sibi ipsi à libertate crearunt, antiquata communi illa Germanorum appellatione. Putat Bodinus vir eximiè doctus, sed falsus hac in re, vocabulum Franci Germanis vsitatum quidem, sed purè puteque Gallicum esse affirmat, quasi nostrâs lingua non etiam Francum nominet liberum & immunem. Abbati Vrspergensi Troianam originem renunciamus, Bellaio à Phrygijs, Lazio à Frisijs ortum nominis & gentis repetentibus. Sunt qui è Scythia eorum asserunt ortum, quod rhythmici quidam vates augurantur: nisi fortè Scytharum tam latè patuit nomen, vt Germaniam quoque inuoluerit, vt Plutarcho placet, neque dissentit Plinius. Albertus Crantzius è Scandinauiæ, gentium officinæ, latebra primos eorum natales educit: cui subscribit & Turnebus. Ceterum quia animaduerto neminẽ hactenus certos constituisse fines aut veras determinasse regiones tam inclytæ & rerum gestarum memoria illustri nationi, age, primus ego triplici istud via tentabo aggredi, conatus omnis in laude erit. Ac primum omnium è veteribus illis Cæsare & Corn. Tacito docebo & ob oculos ponam, qui fuerint

Manethon.

Franci à libertate dicti.

Scythia etiam Germaniam comprehendit.

rint Germani, qui adoptiuo Francorum nomine celeberrimi vbiuis terrarum euasere, & quorum amnium ripis inclusi, tanquam in pinace, finitoris chorographiue ad exemplum proponam: deinde è posterioris seculi classicis atque irrefragabilibus auctoribus eos illa ætate, qua vixere, Francos appellatos comprobabo: præterea quos illi vicinos confinesque populos vel vno nomine complexi fuerint, vel socios adiunxerint, postquam iuxta superiùs memorati prouerbij fidem, gens ista, vt erat inquieta, paullatim confinia voraginis instar hausit atque subegit, in quadrum redactos designabo: demum è soli paludosi, (quod cuncti scriptores vno ore loquuntur) natura propositum nostrum vrgebo. Postremò de Salijs Francis Ansuarijsque hactenus incognita in lucem proferam, æquos lectores id priùs rogatos volens, vt posita maleuolentia & suo cuiusque gentis studio, maximo recti iudicij hoste, candidè expendant atque æstiment priùs, quàm in præcipitem iudicij aleam eant. Francos haud diuersam, imò eandem esse cum Germanis gentem, fert animus vberiùs apertiusque cognitionem hac de re meam in tanta eruditi seculi caligine explicare, nullamq; aliam à Tacito & à Cæsare plærisque in locis, Germanorum vocabulo intelligi, quàm quos dixi, vt planissimè statuendum sit à prædictis scriptoribus Germanos appellari, quos consequentis ac posteri temporis auctores mutato nomine Francos vocitarunt. Porrò haud otiosè adiecta à me sunt in Cæsaris mentione verba illa, plærisque in locis, ad defugiendam contentionem ac certaminis occasionem: siquidem Cæsar cum ceteris scriptoribus agnouit etiam superiores inferioresque Germanos, cum quibus bello decertauit, à quibus nostri (qui mihi materiam hanc scribendi præbent, tertijque vocari possent) penitus sunt diuersi atque alieni, quippe duobus clarissimis fluminibus Rheno & Albi, illo tanquam cardine, hoc decumano limite, finiti atque inclusi: quando inferiores à se debellatos libri secundi initio Cæsar memorat, superiores simili calamitate affectos cum rege suo

Germani superiores & inferiores.

Ariouisto, in extremo primo libro scriptum reliquerit: atq. istius rei ignoratio erroris magnæque confusionis causſam plærisque scriptoribus hac ætate præbuit, ad Alemanicam nationem cũcta indiscriminatim referentibus. Germaniam igitur (de qua sermo hic mihi instituitur, hoc est, quam ego seminium & genitale Regum Franciæ aruum diserte aio) Batauiæ solo penè contiguam, quippe amne duntaxat Rheno diremptam, è Tacito fidelissimo historiographo & Belgicarum rationum procuratore liquet planissimè, cuius vt in rem præsentem veniam, è secũdo libro verba adscribam. *Rhenus vno alueo continuus, aut modicas insulas circumueniens, apud principium agri Batani, velut in duos amnes diuiditur, seruatq; nomen & violentiam cursus, quâ Germaniam præuehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior affluit, verso cognomento Vahalem accolæ dicunt &c.* In quibus verbis nec viuam, si quid obscuritatis aut ambiguitatis sedere videam, quod sententiæ nostræ refragari aut aliquo modo eam infringere possit, nisi si quis in scirpo nodum quærat, aut data operâ publicæ causſæ præuaricatorem agere præsumat, aut velut Atlantico in specu positus, solis se iubar oculis inimicum ferre non posse causetur. Res itaque sic se habet, hîc loci obiter repetenda, tametsi opportuniùs alibi detexta. Drusus alta mente bellum in Cheruscos Germanorum versus Albim extremos, cladisque Romanis illatæ auctores, cogitans, expeditissimam breuissimamque ad id patrandum viam meditatus, explorata priùs regionis natura, didicerat Salam flumẽ, nunc Isalæ appellatione notum, duobus à Rheni cursu miliaribus discretum, in Septentrionem suas aquas euoluere, Oceanoque illi insinuari. Proinde pacatis circumcirca rebus, ne segni otio marceret miles, intermedium illud telluris spatium, exercitus sui manibus ducta profundiore fossa (quæ ab eius nomine Drusiana audijt) egessit perfoditque, communito atque perfecto opere Rhenum in Salam effudit, atque ita duobus alueis prioribus Batauiam circumscribentibus, ter-

Germania Batauiæ contigua.

Cheruſci extremi Germ.

bus, tertium adiecit, à scriptoribus Strabone Tacitoq. Rhenum vocatum, qui Germanicam oram definiens, axemque Septemtrionis respiciens, cum Vahali Belgicam oram lambente & in occasum vergente, normæ in modum exactè Batauorum insulam pariter determinant. Liquet ergò eo alueo ceu termino Germanorũ fines occiduos prætexi includique: quandoquidem non ambiguè loquitur, à Drusianæ fossæ capite, ad exitum vsq. fluminis in Borealẽ Oceanum excurrere Rhenum, quo tanquam cardine Germania, quàm lata sit, definiatur. Hìc mecum consideret studiosus lector, quod à nemine huc vsque obseruatum scio, qui sint quos Tacitus Germanos cis Rhenum colentes appellet: cum dubitationis scrupulum eximit ductus ille fossæ, qui Transrhenanam Germaniæ oram à Cisrhenana bipartitur, illam Transisalanam, hanc Velauiam nostra tempora nuncupant. Necessario namque istud de posteriore sanciendum constituendumq. est, quæ antè repetitam toties scrobis egestionem ac terrarum abscisionem socia, indiuidua, & connexa alteri ab omni æuo fuerat, ex qua auxiliares tumultuariasque Germanorum cateruas cis Rhenum colentium, Au. Cæcinnæ legato Germanicus Cæs. tradiderit, vti totidem penè verbis à Tacito relatum est. Quòd autem sedes Germanorum à Rheno initium sumpserint, & ad Albim vsque agros continuarint, disertis verbis Geographus Strabo libro septimo profitetur. Γνωρίζονται, inquit, οἱ Γερμανοὶ ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ρήνου λαβόντες τὴν ἀρχὴν μέχρι τοῦ ἄλβιος, id est. Notum est & manifestum Germanos à Rheni ostio initium capere Albi fluuio tenus. Paucis verbis testatum facit fidei præclarus scriptor, quicquid nationum & terrarum duos memorabiles amnes interiacet, Germaniæ appellatione in genere comprehendi continerique. Qui verò illi populi fuerint, paullo pòst docebimus. Idem confirmat apud Corn. Tacitum Arminius exprobrans Segestæ socero inimico sibi & infesto, quòd ipsius maximè operâ cum Romanis cõspirabundi, inter Albim & Rhenum virgæ, se-

Germani Cisrhenani qui?

gæ, secures, & togæ Romanæ conspicerentur, vbi ceteræ gentes imperium illorum non agnoscerent, tributa ignorarent, neque supplicia expertæ essent. Ostendit istud & inscriptio à Germanico Cæs. trophæo ex armis congestis erecto addita, post deuictos Cheruscos ferè solos, cum superbo titulo, quasi ceterarum quoque nationum victor extitisset. ea talis erat:

DEBELLATIS INTER RHENVM ALBIMQVE NATIONIBVS EXERCITVS TIBERII CAES. HAEC MONIMENTA MARTI, IOVI, ET AVGVSTO SACRAVIT.

Neque verò de alijs Germanis loquitur initio commentariorum Cæsar, quãdo ait Belgas Germanis esse proximos qui trans Rhenum incolunt, & quibuscum cõtinenter bellum gerunt: & post paullum addit, Belgas ad interiorem partem fluminis Rheni pertinere. Quod de illa ora intelligi debet, quam Tacitus Gallicam nominat, quæque Vahalis nomen obtinet. quippe quum Rhenus alueus, qui Germaniam præuehitur, sit exterior illius respectu, & in Septemtrionem vergat. Quid, quòd ex his Germanis Belgarum originem Cæsar libro secundo arcessat, quos Rhenum antiquitus transductos propter terrarum fertilitatem, ibi consediſse, Gallosq. priores incolas expulisse scribit. Cum istis Germanis, pro consuetudine sibi à maioribus tradita resistendi ijs qui bellum inferrent, (id namque responsi generosè dederant) prælium haud deprecantibus, Cæsar conflixit, ancipitique Martis alea decertauit: Sed idem dolosè perfideque in eos pactis in tridui spatium inducijs nimium fidentes, suique securos, grassatus est, edita ingenti illorum strage, multis hominum millibus, ob desperatam vlteriorem fugam, ad confluentem Rheni & Mosæ, non procul à Worcomio oppido, vti conijcio, qui se in flumen præcipitauerant, haustis ac submersis. Quo certamine non magna virtutis cum laude edito victor, pontem super Rhenum fabricatus Cæsar, exercitum transduxit, vt perculsis maiorem terrorem incuteret. Atque id magis ostentui factum ab eo,

ab eo,quòd penitiùs in eorum regionem peruadere tutum sibi fore non putaret: quo factum est,vt vicis tantùm aliquot Sicambrorũ inflammatis,corruptaq. messe, discessionem parum glorioſam ex hostili terra fecerit, qua de re copiosiùs aliquãto in Vsipetibus à me dictũ. Quia paullo antè promiseram explanaturũ me,quæ nationes Germaniæ finibus inter prædictos totiens amnes continebantur olim,eas hîc ordine recensere visum est. Inter eas à fronte flexuq́ue Rheni numerãtur primi Sicãbri,ad Albim extimi Cheruſci & Angriuarij,quæ gentes à meridie cõterminæ sunt, Rhenoq́. adiacentẽ oram cludunt: hos inter secundum ripam Rheni exterioré Vsipetes,Ansuarij,Chamaui,Frisij,inde ad Oceanum Chauci maiores minoresq́ue: medij erant Tubantes,Tencteri,& Bructeri. Dictorũ fidem cõprobat ipse Tacitus,Germaniam hanc sine additione superioris, aut inferioris breuiter ob oculos depingens in libello moribus totius Germaniæ dicato:vbi occidentem versus hos fermè illi populos attribuit,Vsipios,Tencteros,hisq́. vicinos Bructeros,Angriuarios,Chamauos,Frisios vtrosque:deinde subdit hæc verba. *Hactenus in occidentem, Germaniam nouimus: in septentrionẽ ingenti flexu redit, ac primo statim Chaucorum gens,quanquam incipiat à Frisijs, ac partem littoris occupet,omnium quas exposui gentiũ lateribus obtenditur &c.* Iam vt ad testimoniorũ (quanquã vnus loco omnium esse possit Tacitus) fidem ac religionẽ veniam haud illotis pedibus,illud prælibandum est, Germanicum Cæs. Druso ortum,egregium præstantis animi inuictæq́. fortitudinis iuuenem Augustus octo legionibus ad Rhenum imposuerat, silentibus tum vndecunque bellis, mussantibusq́ue Romanis post acceptam memorabilem illam cladem,qua tres legiones cum totidem alis & sex cohortibus, socordia Vari Quintilij trucidatæ fuerant à Germanis ductu Arminij: cuius abolendæ infamiæ ergô magis,quàm propagandi imperij,exercitus ille conscriptus erat,simul etiam vt Belgicæ gloriæ famam,qui se stragis indignæ fore vindices fuerant

Germanicus Cæsar.

Romanæ clades.

vltrò professi, maculosam sibi futuram obruerent. Itaque Germanos ob rem bene gestam nimis sui securos, & solennibus epulis noctes insomnes transigentes, per obscurorum saltuum ambages, vitato itinerum compendio, adortus, quadripartito agmine longè lateque cecidit, nulla ætatis sexúsve miseratione. Qua cæde excitæ commotæque Bructerorum, Tubantum, Vsipetum, & Tencterorum gentes, communibus armis iniurias vindicaturæ in saltus sibi cognitos conuenere, sed nihil magnopere damni Romanis illatum est, nisi quòd nouissimum eorum agmen incursionibus molestarint. Eos verò populos cómuni Germaniarum nomine censeri exinde colligi potest, quòd simul quoq. rebellasse eos Tacitus ostendit, quãdo Segimundum Segestæ Cheruscorum (qui primi auctores belli fuerant) principis filium, eo ipso anno quo Germaniæ desciuerant, abruptis vittis ad rebelles profugisse ait. Germanicum idem scriptor ad VII KL IVN. de Cheruscis, Angriuarijs, alijsque nationibus quæ ad Albim vsque colebãt à se deuictis triumphasse scribit. Sicambros etiam Germanorum fuisse socios vel ex eo manifestum fit, quod Vsipetũ & Tencterorum equitatus, qui prædandi caussâ Rhenum transierat, post malam suorum pugnam perfugiumque in Sicambrorum fines se receperat, ijsque se cõiunxerat, quo tempore Sicambri acri animosoque responso, Cæsarem iniqua postulantem retuderunt: illius, vt apparet, conatibus sese opposituri, nisi suorum sociorum cedendum esse hortatibus ac aduersus furorem salubri fuga petendas interiores siluas, consultius putassent. De Vsipetibus & Tencteris quòd Germanicæ nationes fuerint planissimè lib. comment. secundo Cæsar. *Vsipetes Germani, & item Tencteri magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt non longè à mari, quò Rhenus influit: caussa transeundi fuit, quòd à Sueuis complures annos exagitati bello premebantur, & agricultura prohibebantur.* Accedit de ijsdem populis Strabonis, quasi ex professo Cæsarem interpretantis totidem verbis, testimonium.

Germanorum strages.

Segimundus.

Sicambri.

Vsipetes.

Extra

Extra hunc numerum Catti fuere, quippe qui cum Cheruscis æternùm discordabãt, testante Tacito lib. Annalium xii. quod à me propterea huc additum est, ne quis existimet, vbi legerit apud Tacitum Cattos medios inter Cheruscos & Angriuarios, Germanis adnumerari oportere. Nunc ad id quod secundo loco me comprobaturum dixi, stylũ conuerto. Francos ab origine Germanos & peculiari isto vocabulo antiquitus appellatos fuisse constat ex Procopio Cæsariensi, rerum quas literarum monumentis consignauit oculato scriptore, sed qua ratione nomen principale mutarint, Francique cœperint dici primitus, deinde quomodo Gallias inuaserint, explicaturum se professus, velut epoto Mandragoræ poculo sui oblitus, dicere supersedet: ita verò libro Gothici belli primo scribit. Circa exitum Rheni antequam in Oceanum septentrionalem se effundat, regionem esse crebris paludibus abundantem, quam Germani, gens barbara olim & contempta, sua ætate Franci nuncupati ab initio incoluerint: quorum fines attingant Abotriti vicini & accolæ inter ipsos & Turingos intermedij: isthic nominis originem in suspenso relinquit: nisi fortè locum obscuriorem ob peregrinarum vocum admistionem aliámve rationem, intactum transmiserit interpres explicandi sui incertus. Idem Vandalici belli tertio lib. scribit, Vandalos ob summam annonæ egestatem domo profectos, ad Germanorum, qui tunc Franci nominabãtur, regiones peruenisse, coniunctisque viribus Rhenum traiecisse, perque Gallias in Hispanias simul penetrasse adscitis in societatem & Alanis. Similiter Agathias Smyrnæus initio historiæ, Frãcos veteribus seculis Germanos dictos ad Rhenũ habitare, eique propinquas regiones incolere, suaq. tẽpestate maiorem Galliarum partem, vi & posteritatis hæreditati occupatam, possidere scripto prodidit. Hunc auctorum consensum secutus est & Nicephorus. Neq. diuersum sentit D. Hieronymus in vita Hilarionis hunc in modum scribens. Inter Saxonas & Alemannos gens non tam lata, quàm valida, apud histo-

Catti.

Frãci, proprio vocabulo Germani olim dicti.

Agathias.

Hieronymus.

Iornandes.

ricos Germania, nũc verò Francia vocatur. Iornandes quoque Gothus, qui Iustiniano imperante vixit, Germanos suo seculo Francos vocitatos testatur, vt mirandum non sit, (quod omnibus scrupulum præcipuamque hæsitationem attulit) si Tacitus nusquam Francorum nominatim meminerit, quum solenni vsitataque Germanorum appellatione continerentur. Alieniùs paullo existimat Rhenanus propterea nullam à Tacito Francorum, vt & Saxonum, mentionem factam, quod vtraque gens obscura tunc fuerit & ignorabilis: quod mihi non probatur neque satisfacit. Videntur autem sub illa appellatione tantisper delituisse, dum captata rebellium infeliciumq. temporum (quibus caput suum membra oppressérunt) occasione, ipsi aliarũ gentium secuti exemplum, rebellionem quoq. cœptarunt, sumptoque amabili libertatis vocabulo, iugi excussi teste, Francos se nominarunt, hoc est, liberos. Hinc luce clariùs patet, rectissimè facere Chorographos, qui regionibus Transisalanæ (quàm Vsipetes, Ansuarij, Salijque tenent) Tencterorum, & Tubantum, quæ terræ omnes Francorum genitales fuere, Germaniæ nomen in pinacibus adijciunt atque insertant, vt minimè sit opus recurrere ad intima Germaniæ viscera, vnde illorum sedes petamus, quemadmodum facit Volaterranus, qui nuda Agathiæ verba scribentis, Francos nationem esse Italiæ finitimam, attendens atque aucupans, Franconiam illorum natalem patriam constituit: qui si expendisset ac digitis dimensus fuisset ætatem qua historiam contexit Agathias, tam turpiter scopulo nauim non impegisset. Quare quum è Suidæ commentarijs constet illum floruisse principatu Iustiniani ad annum quingentesimum & quinquagesimum, quumque certo certiùs sit Francos multo antè Galliarum imperio omni potitos fuisse, exutis diutina regni possessione Gothis, quid mirum si historiographus ille consentanea suis temporibus scribens, prodiderit illos Italiæ propinquos, non de Franconia procul dissita sentiens, sed de Gallijs Francorum dominatui parentibus.

Germania in pinacibus.

Volaterrani error.

Agathias quando claruerit.

bus. Cõsimili ratione Stephanus Byzantius illo posterior, in populorum catalogo Francos gentem vicinam Alpibus Italiæ montibus scripsit auctoritate Parthenij Phocensis. Vtrunque scriptorem ratio temporum, quibus sua monumenta elucubrarunt, à mendacij suspicione excusat, quandoquidem septuaginta circiter annos priùs Clodouæus, qui & Ludouicus, Romanis ius & clauum imperij Gallici extorserat, suæq. illud genti asseruerat. Primus ergò metatoris munus ac personam induam ego, (bona eorum pace, qui hæreditarium nomen absque re, procul à suorum genitorum natalibus terris disiuncti, obtinent) & quod in agris limitandis fit, isti genti populos amterminos & in quadrum confines, ceu augurali lituo, definiam, qui vicem præstent terminalium lapidum, quos inter positi Franci sedes suas habuerint: qua ratione futurum confido, vt secundum tabulas nostras lis detur. Neque propterea exarsuros iracundia aut stomacho Germanos, præsertim Francones, (quorum nosse interest, se non parentes esse, sed ἀπογόνους gentis istius victricis) existimo, si veritatis studio ductus, genituræ gloriam non propriam ipsis, tanquam Palladium ereptum veniam. Certa itaq. coniectura auguror Francos insedisse, quâquâ nunc auditur Transisalanum nomẽ, quicquid terrarum Tencteri, Tubãtes, Cauci, Bructeri, quos nunc Zutphanos, Drentenos, Tuentenos, Embdanos, Bremenses, Osnabrugenses, Monasterienses nominamus cum Benthemo Linganoque Comitatibus, ad Oceanum vsque Cimbricum possederunt. Atque istud non Aiacis clypeo, non Vulcania Achillis panoplia, non Mineruæ ægide, sed nuda veritatis armatura instructus, obtinere contendam, nimirum manifestis argumentis & locupletibus scriptorum testimonijs euicturus, deinde & genitiua locorum conditione confirmaturus. Liuiani denique auguris more, ab oriente ad occasum regiones determinaturus, quam ad partem vbi peruentum fuerit, illinc Abotritos & Saxones, hinc Salam fluuium, Rhenúmve, quem accessione tertiæ vocalis Isa-

Stephanus.

Clodonæus.

Deprecatio inuidiæ.

Francorum ditionis magnitudo.

lam hoc seculo nominari dixi, collocabo, quibus Francorum ditio finiebatur: rursus dextra lævaque, hinc Sicambros, illinc Frisios & Chaucos confines statuam. Nunc quo dictis hactenus non arbitraria, sed certa fides adstruatur, documenta dabimus, testibusque non proiectæ dubiæve auctoritatis scriptoribus sententiam nostram cõfirmabimus.

Abotriti populi. De Abotritis primo dicendum, quos Germanis, hoc est, Francis finitimos clarè ostẽdit Procopius, perperam Arboricos nominans, interpretis, vt arbitror, vitio. Hi Romanis

Procopij locus. stipendia faciebant, eorum fœderati, quos tractum ad Albim habitasse Regino satis ostendit, à Francis hostiliter assiduis incursionibus & agrorum populationibus diu vexatos. Sed quum pristinæ virtutis decus sustinendo, debitam Romanis fidem pertinaciùs illi tuerentur, Franci nihil proficere se videntes, societatem cum illis ac mutua connubia paciscicœperunt, non abnuentibus conditionem Abotritis, vnde factũ est vt coagmentata pace diuersi populi in vnum coaliti maximas vires acquisierint, vt ex Procopio discas. Itaque quum fideli eorum in expeditionibus operâ vsus fuisset Carolus Magnus contra hostes, præsertim Saxones, pagos & sedes Transalbianorũ Saxonum (quos cum omni ætate & sexu in Franciam emigrare compulerat, quorum

Sassemũ, pagus Hollãdiæ. ego reliquias Sassemo pago Hollandiæ nomen dedisse puto, quasi Saxonum domicilio) vacuas, Abotritis ille condonauit, vt Regino dicit. Ex quo non suspicio oriri modò, sed etiam pro documento stabiliri potest Abotritos cis Albim principio habitasse, postea transito amne, communis hostis agros, liberalitate Principis pro nauata operâ concessos inuasisse ac possedisse: vel certè ad vtramque fluminis ripam agros, ædificia, vicosque habuisse, (quemadmodum de Menapijs testatur Cæsar) ac vicinorum Saxonum vacuis aruis possessionibusque, virtutis præmijs, ab Imper. donatos. Quod ipsum haud scio an obseruatum perpensumq. fue-

Peucerum lapsus. rit à Peucero, qui Abotritos Transalbianos facit, ac Megaloburgensem ducatum insedisse autumat. Equidẽ vt opinionem

nionem docti viri conuellere prorsus inciuile duxerim, ita verisimilius crediderim Luneburgenses fuisse, ijsque propinquos, aut si vtriusque ripæ possessionem illis permittamus, Megaloburgios ipsis coniungemus Saxonibus conterminos. Abotritorum meminit & Emhardus Caroli Magni à manibus, in eius vita, scribens eos iam olim Francis fuisse confœderatos, Sclauisque siue Welatabis australe Codani sinus littus tenentibus vicinos. Quod verò conterminos habuerint Saxonas, declarant Ammiani verba ex vicesimo septimo libro. *Gallicanos*, inquit, *tractus Franci & Saxones ijsdem confines, quo quisque erumpere potuit terra vel mari, prædis acerbis incendijsq; & captiuorum funeribus violabant*. Fuere autē Saxones duplices, & Cisalbiani & Transalbiani. Illi à Cimbrico littore ad Lippiam amnem vsque latè Albim prætexuisse, iam tum Caroli Magni tempestate, quando Cheruscorum fortasse nomen abolitum, occupatis per Saxonum incursiones illorum finibus, in obliuionem abierat, inter Albim & Visurgin interiecti, Reginonis verbis deprehenduntur, quæ sic habēt: *Totam inter Albim & Wiseram Saxoniam depopulando peragrauit*. & rursus, *Saxones qui vltra Wiseram commorabantur*. Alibi idem auctor eos secum vniuersa gente in fidem & clientelam Caroli ad Lippiam in patrijs sedibus permisisse scribit. Huc spectat quod Emhardus ait Saxoniæ latitudinem duplam esse ad eam quæ à Francis teneatur, parū dissentiens à verbis D. Hieronymi paullo antè citatis, quæ validam magis, quàm latam Francorum gentem loquuntur. At Transalbianos Saxonas, qui Cimbricæ costam cōtinenti adnexam tenuere genitalem sedem, (qui etiam Nordluidi, hoc est, Boreales populi, in manuscripto fideliter Reginonis codice purè nominātur, pro Nordlindis & Nordiuelis, vt impressi libri perperam præferunt) ditionē latè extendisse à Sleſuico incipientem, Lubecam versus, idem scriptor ostendit, vbi memorat Gotefridum Danorum regem cum omni equitatu venisse ad locum qui Sliesdorf (pro qua voce mangones isti

Abotriti qui?

Saxones Frācis cōtermini.

Saxones duplices.

Reginonis codex repurgatur.

Gotefridus rex Danorū.

Reginonis alter locus emēdatus.

nes isti librorum substituerunt Schlieswich / non animaduertētes se pro Sliæ amnis pago, vicum illius reponere) vocetur, in confinio regni sui & Saxoniæ. Hunc ego locum fuisse autumo, quem Gotefridus rex, vt regni limitem, vallo intersepire constituerat, producto à sinu Codano (qui Hostarsal, quasi Oosterzee/siue orientale pelagus, nō autem Hosarsalet, nominabatur) ad mare vsque Cimbricum, ita vt tanto interuallo vnica solùm porta, quasi decumana, commeatui equitum pariter & vehiculorum reliqua esset. Cuius in eo Ducatu munimenti valliq́ue perpetui calcator ego fui, nedum contemplator, quando isthic de equo descendens, operis insani amplitudinem, Iulianæ moli atque indagini, qua Pompeium in Thessalia voluit circumdare, non absimilem ante septennium proximum, demiratus sum. Hanc Saxonum viciniam tetigit Orosius, vbi Saxonas in Oceani littoribus inuijsq́ue paludibus sitos, periculosam Romanis finibus eruptionem magna belli mole parantes, in ipsis Francorum terris oppressos à Valentiniano scribit. Abbas Vrspergensis in Chronicis scripto mādauit, Saxones quum Carolum Magnū in Hispania abesse cognouissent, nec Rhenum transire potuissent, quicquid à Tuitio ciuitate vsque ad Mosellam fluuium vicorum villarumq́ue fuit, ferro & igni depopulatos esse. Nullum discrimen sexus aut ætatis ira hostis fecerat, vt liquidò appareret vlciscendi se gratiâ Francorum terminos introisse. Ostendit hic scriptor viciniam cum Francis Saxonū, per quorum fines compendium itineris in Galliā transito Rheno poposcerāt: id quod per Francos negatū fuit, quòd eiusmodi transitus sine maleficio fieri non soleat. Quo loco turpis error, ac propterea silentio nō prætereundus; Rhenanū transuersum agit, qui iubet pro Mosella (tanta est auctoritatis cōfidentia) scribi Salam: neq. animaduertit è Saxonum terris Albi Lippiæque vicinis in Francorum ditiones, quæ ad Mosellam vsq. pertingebant, armatis ferro viam patuisse, intactis veteribus Francorum sedibus, neque tentato per Rhenum transitu.

Regin. tertius locus restitutus.

Saxones oppressi.

Beati Rhenani error.

Putat

Putat autē ſenſu planè lymphato, tranſmittendū eſſe Rhenum neceſſariò illi, qui è Saxonia Moſellam accedere velit. Sed bona viri pace, gens illa circumuecta, vitatis extremis Francorum finibus, Vbios (quorum nunc regio Marchiæ ducatus nomine Cliuenſem Principem agnoſcit) aggreſſa, Francis tunc ſubiectos, hoſtiliter depopulabatur, & quicquid vltra Rhenum Diuitenſe munimentum inter & Moſellam agrorum interiacet, ferro flammiſq́ue vaſtabat, haud ignara terras Francorum per ſe validas, abſente procul Carolo Magno, præſidijs inſuper confirmatas, ſicq́ue vlta repulſam acceptam penetrauit ad ripam vſque Moſellæ obiectam. Quia verò Saxonas pariter & Francos piraticam exercendo infeſta maria habuiſſe Ammiani Oroſijq. verbis paullo antè adſcriptis edocti fuimus, neceſſariò ſtatuendum nobis eſt littoralem & maritimam fuiſſe vtramque gentem. De Saxonibus docet hoc Apollinaris clarè ad Lampridium ſcribens,

Vbij qui?

Franci & Saxones littorales & piratæ.

Iſtic Saxona cærulum videmus
Aſſuetum antè ſalo, ſolum timere.

Eoſdem etiam piratas vocat, magnoq́ue vel temeritatis vitæq́ue proiectionis, vel fiduciæ in rebus marinis argumento, coriaceis lembis vſos fuiſſe in nauigando Oceano: nimirum mortis periculo in mortem ruentes, ſcribit,

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo.

Quod ipſum de Britannis commemorat Plinius, vitilibus nauigijs corio circumſutis eos nauigare ſcribens. Memini annis abhinc paucis idem facinus proſpero ſucceſſu tentatum ab affinitate mihi coniuncto Hornano, hîc obiter memorandum, quo fides miraculi facilior ſit. Is namque oratia cymbula quaternis tignorū ſegmentis conſtante, ac tribus tergoribus depſitis circumdata, cui portandæ ſolus ſufficiebat, è Batauo ſinu Oceanū Septentrionalē Dantiſcum vſque in Viſtulam Sarmatiæ amnem enauigauit, ſtupenti-

bus & ad miraculum audaciæ fama prænuncia diuulgatæ passim se effundentibus in littus populis. Redeo à diuerticulo ad propositũ. Innuit hoc idem Claudianus poëta apud quẽ Roma victrix gloriatur, quòd domito Saxone Tethys sit mitior. Quin & Pacatus Drepanus consumpti nauali bello Saxonis gloriam Theodosio Imp. gratulatur. Eutropius etiam Saxonas & Francos mare coniunctis viribus infestasse testatur, quorum retundendis insultibus pacandoq. mari Carausum quendam à Diocletiano fuisse præfectum scribit. Eorundem pandos myoparones quibus Gallica littora incursabant, dum memorat Sidonius, fidem facit maritimos fuisse. Opportunissimus verò terrarum situs ad littus & in paludibus inuijs, quod superiùs Orosij verbis reddidi, Saxonas ad piraticam inuitasse videtur, tam Cisalbianos, quibus per amplũ Albis alueum in mare fuit accessus, quàm Transalbianos, quos crediderim illum voluisse depingere ac veluti indice commonstrare, qui Dictmarsiam hodie dictam incolunt, eam quæ paludium beneficio innixa semper obsequium Daniæ Regum respuit, superioribus annis iugum admittere coacta. Quid quòd & Stephanus Ethnographus Saxonas in Cimbrica Chersoneso collocat, in cuius codicibus deprauatè legitur κεβρικῆ pro κιμβρικῆ. Iam quòd Franci littorea quoque gens fuerit, è Panegyristæ verbis clarum fit, qui Constantio Imp. eam laudem attribuit, quòd Francos à proprijs ex origine suis sedibus, atque ab vltimis Barbariæ littoribus auulsos, in desertas Galliæ regiones transtulerit. Vbi per vltima Barbariæ littora videtur designare auctor oras non Halorum modò Worstorumque ad extremum nunc Albim dictas, sed & Embdanæ gentis Frisiorumque littora, licet obiectis infinitis insulis lacera. Accedunt Ammiani verba antea citata, quæ mari potuisse illos erumpere docent, vt in dubium istud vocari non possit. Mamertinus quoque bellis piraticis infestos Francos à Diocletiano subactos oppressosque prædicat. Hactenus declaratum satis arbitror Francos Abotritis & Saxonibus Albim

Dictmarsia.

Stephanus emendatus.

bim versus ad orientem confines fuisse, & maritimos. Quòd deinde versus cadentem solem, Rheni ripa velut cardine diuisos habuerint fines, id liquidò discas ex Agathia, cuius in primo hæc sunt verba. Nam circa Rhenum Franci habitant, huicque adiacentes incolunt terras. Quod certo certius est, quandoquidē Rheni brachium à Druso fossum & in Salam amnem corriuatum apud Drusoburgum, Rhenus quū sit, adoptiuo tamen nomine decurrit in Oceanum, ripaq. dextra Trāsisalanam ditionē, veræ Franciæ initium, alluit, vt Strabonis ac Taciti auctoritate clarissimè docuimus. Nunc reliquorum populorum confinia detexamus, sumpto à Sicambris exordio, qui secundum Rhenum siti Cliuensem Ducatum complexi fuere, populus bellicosus, & Romanis meritò formidabilis: quippe quorū octingenti, vt Cæsar, quingenti, vt Appianus, equites subita impressione adorti quinque millia Romanorum equitum è Cæsaris exercitu in fugam egerint, interfecto magno numero. Horum terris non magis vicinos fuisse Francos, quàm Sicambros in mores ac ius gentis Francicæ transiuisse, colligere est ex Claudiano & Apollinari, quorum ille,

Franci ab occidente Rheno alluebantur.

Sicambri.

Ante ducem nostrum flauam sparsere Sicambri
Cæsariem, pauidoq; orantes murmure Franci.

Hic verò ita canit,

Detonsus Vahalim bibat Sicamber.

Ad quæ penitiùs intelligenda animo recolere oportet, morem Francorum genti peculiarem, quo capillitium circumtondebant, solis intonsis Regibus: & alterū, quo victi quum in hostium manibus essent, comam alebant & promissam spargebant, succrescentemque capillum ac nouum in cervicem reijciebant, vt Apollinaris alicubi scribit, luctus argumento: vnde colligi potest Sicambros Francis paruisse, quando in illorum mores transierint. Testatur istud tacitè alio loco Sidonius, vbi Consentij laudes legationibus obitis inclyti pleniùs ebullit.

Francorum mos.

Tu Vidrum, Vahalin, Visurgin, Albim,

Francorum & penitißimas paludes
Intrares, venerantibus Sicambris,
Solis moribus inter arma tutus.

Vbi innuit Consentium propter spectatæ virtutis, morumque integritatis famam posse tutò peruadere hostiles Francorum terras, ipsis lubentibus volentibusque. ac Sicambros quidem pro Francis vsurpat, vt pro ijsdem Caucos accepit Claudianus, & ante eum Lucanus, non tantùm quia contermini & simili solo vtentes, vnde & paludosi à Propertio dicuntur, sed quod gentiles ac ὁμοεθνεῖς fuerint: quò spectat quod etiam attigisse mare Sicambri legantur, id quod falsum est, nisi cum Francis poëticæ libertatis lege confunderentur, qui vno totius gentis nomine Germani coniuncti erant. Momentum huc addere non leue possunt Remigij Archiepiscopi verba, quæ in Remorum ciuitate in marmore insculpta extitisse refert Spanheimius Abbas, quibus Clodoueum (vetusti libri Chlodeuechum scribunt, quem ratione recta meliùs Ludouicum dicemus, quod Francorum lingua durior asperiorque Ch loco solius, l, pronunciando efferebat) Francorum Regem à se lauacro salutari tingendum sic allocutus fertur, facundo ore (vt liber de rebus gestis Francorum incerto auctore scriptus loquitur:) *Mitis depone colla Sicamber*. Constat præterea è Panegyristis Constantini principatu Francos aucta in immensum stirpe Sicambrorum terras inundasse atque occupauisse: ita vt de vicinia minùs, quàm de nominis transitione atq. vsucapione dubitandum videatur. Quòd præterea Frisij Francorum accolæ fuerint, ambiguum non est, quippe qui secundum littus septentrionale, quemadmodum & Cauci, terras illorum claudebant, vt ex Taciti libello de Germania supra annotatum est: nisi quis non absurda ratione illos in eandem gentem & re & nomine transisse velit: siquidem ex eodem vocabuli etymo libertatis amorem spirante & Frisij & Franci appellationem traxisse videtur. Adde quod Franci nominis vestigium residet in Franico oppido, siue, vt

Frisii Francis confines.

alij

alij volunt, Francico. Beatus Rhenanus qui Germaniæ rebus multum lucis primus attulit, non diffitetur Frisijs fuisse conterminos Francos. Imò suspicio est mihi Frisiam Francici iuris postea fuisse, ac propter Francici generis cognationem à Regibus illorum, vt aquilam insigne clypeis suis nobilitas adijceret, concessum. Frisijs adhærentes Caucos minores, qui Embdani sunt & Oldenburgenses, item maiores, qui Bremensem episcopatum incolunt, Francis fuisse conterminos à Boreali plaga, præter Tacitum, testantur Claudiani poëtæ versus, quibus Stiliconi adulabundus immeritas laudes attribuit, illiqúe acceptum ferri debere canit,

Cauci Francis conterminī.

Quòd iam trans fluuium non indignante Cayco
Pascat Belga pecus, mediumq́. ingressa per Albin
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Ex quo liquet medias inter Rhenū & Caucos Francorum terras iacere, ad quas exteris patere nunc accessum indicat, beneficio pacis Stiliconis artibus procuratæ. Præter hæc documenta, quæ ad faciendam dictis fidem, & tuendam promissi nostri rationem satis esse possent, accedit natiuum soli, quod incoluere Franci, ingenium, quod frequentibus paludibus abundasse Procopius testatur, & Apollinaris eo versu, Francorum penitissimas paludes: neque diffitetur Claudianus illo versu,

Francorū solum paludibus abundat.

Germanorumq́. paludes Eruis.

Accedit indubitata Cornelij Taciti lib. xx. auctoritas commemorantis, ea de caussa Germanos Galliam irrupisse, vt paludes suas & solitudines fœcūdo Gallici soli vbere commutarent. De ijsdem paludibus sensit Tacitus, vbi queritur Romanum exercitum, quem aduersus Arminium ductabat Germanicus Cæsar, contrusum fuisse à barbaris in paludes vincentibus gnaras, nescijs iniquas: Idem, veluti seipsum explicans, eadem loca profunda vligine limosa, grauiqúe cœno tenacia appellat. Neque alio consilio commotum fuisse Drusum existimo, quando in Cheruscos exercitum traiecit, quàm vt paludum discrimina vitaret. Idem

auctor Cheruscis inter Germanos extremis consueta apud paludes prælia fuisse scribit. Narrat quoque Cæcinnam legatum angusto tramite inter vastas paludes & profundas vligine, vix cum summo discrimine ereptũ fuisse. Propterea Germanicus excusat dictitans, Germanos iuuari siluis & paludibus, iustis locis facilè superari. Apud eundem Romanus miles hostibus circumfusus exprobrat Germanis quum in prælio caderent, siluas & paludes quibus siderent, contrà æquis locis æquos deos. Testatur idem vltra Rhenum versus Amisiam flumen vastas paludes, à L. Domitio Ænobarbo fuisse aggeratas angusto tramite. Easdem summum obstaculum atque impedimentum attulisse Cæsari Maximino, quo minùs debellatis Germanis solidam reportaret victoriam, Herodiani docet historia. Panegyrici Constantino Constantij filio dicti auctor Frãcos designans, Nationem perfugijs siluarũ & paludium, solitam bellum frustrari, appellat. Gregorius quoque Turonensis Sulpitij Alexandri fidem secutus, inter inuias & Romanis inaccessas paludes Francos habitasse commemorat, quarum vt illis perfugia erant tuta ac secura, ita his exitiosa plærunque, quòd voraginibus immersi limoque implicati, permistis hominum & iumentorũ corporibus, ruina suorum interirent. Hanc paludosi soli naturam toto illo tractu inuenias, quem vt olim Franci, ita nunc tenent Transisalani, Cliuenses, Westphali, Embdani, Drentani, Lingij, Bremenses, Benthemij, & cum Frisijs Tuenteni, vt extra omnẽ litis aleam statuendum sit, alias non fuisse genitales Francorum terras. Itaque longè manifestissimis & sole meridiano dilucidioribus argumentis detegitur, imò conuincitur impudens eorum error, qui Franconiam regionem procul à Rhenò dissitam, longissimè ab Oceano, imò quæ quid sit Oceanus, penitus ignorat, ac propterea piraticæ nescium atque alienam, minimè paludosam, diuersissimo positu à Caucis, à Frisijs, Sicambris, Batauis, & veteribus Saxonibus disiunctam, primam parentem & genitalem Francorum sedem

Franconiam non esse Francorum genitalem sedem.

consti-

constituunt. Neque verò dubium mihi videtur, quin lectis expensisque accuratè nostris argumentis, doctiores cum ex hac, tum alijs Germaniæ nationibus viri, palinodiam sint cantaturi, reuulsisque ab oculis, quibus obsiti caligabant, pulmunculis, veritatis lucē clariùs sint intuituri, meritamque mihi gratiam habituri, posito antiquatæ opinionis præiudicio. Neque, vti confido, obstinatè aut mordicus errorem tuebitur gens illa, quæ fabularū & consutorum mendaciorum tænijs speciosisque vittis variegata, ingeniosè astuteque tegendos sibi dolos putauit: quæ quum Francos in paludibus habuisse sedes non nesciret, & Sicambriam à Francis olim occupatam legendo cognouisset, quo fabulam suam decorè instrueret, vtque augustiora sui initia faceret, principe atque architecto nugamentorum vsa Hunibaldo, commenta fuit Francos ad Mæotidem paludem consedisse, inde digressos in Pannonia Sicambriam maximam vrbem & copiosissimam condidisse, demum in Franconiam immigrasse: quum nuda rei veritas, deducto commentitiæ fabulæ velamento, id loquatur: Francos paludosam incoluisse regionem, Sicambrorum ditionem inuasisse, inde traiecto Rheno proximas quasque Germaniæ carpsisse, in Turingiam transisse primò (vbi crinitos super se Reges creauisse de prima & nobiliore suorum familia Turonensis falsus scribit) denique Franconiæ de se nomē indidisse, postremò Gallias cum nomine occupasse. Hunc in modum perlustrato Lynceis mystarum sacrisq. operatorum oculis luco, ob arbusti densitatem tenebroso, aureus se ramus solet patefacere, hoc est, veritas elucere, vti symbolicè Maro poëta innuit. Cur autem Franci ad cutim resectos habuerint crines, circumtonsi omnes, quod antea in transcursu attigi, præterquam Reges (quibus solis intonsis esse gentili more licebat, reiectis discriminatisque à verticis æquamento capillis in vtrunq. frontis latus, vt testatur Agathias) libertatis istud, quam nomine præferebant, argumentum fuisse arbitror, ea fermè ratione, qua libertate donandi serui capillitium

Caroli Franci diploma.

litiũ cute tenus detonsum ponebãt. Quò spectat quòd Carolus Francorum rex Augustus in diplomate, quo libertatem Frisijs confert atque emancipat, militiæ operari volentes, circumtonsos supra auriculas summas recisa crinium silua esse, modò libeat, mandat, quo fidem facere de accepta libertate queant. Huic victrici & glorioſæ nationi, quæ ſæpius armis repulsa, Batauiæ tandẽ possessionem integram, per funera & sanguinem emptam obtinuit, idque non vno seculo, summum beneficium debemus Hollandi, si maculam ingratitudinis effugiemus, quòd per eam post Deum Opt. Max. optimis fortissimisq. principibus aucti & ornati fuerimus, quorum è Regia stirpe illustris propago fluxit, neque id mirum, quando aquila non producat degenerem columbam, vt Flaccus ait: quando Francis optimos mores, religionis sacrosanctæ & Christianæ cultum, sanam opinionem, pietatis studiũ, æquitatem, legum reuerentiam, Agathias historicus tribuat, nihilque à Romanis discrepare dicat, præter vestitus barbariem, & natiuæ linguæ sonũ: quando Carolus Caluus Francus Theudericum auito sanguine Francum nobis præfecerit, liberali manu & causſa donatum Hollandiæ principatu: quando priores Reges singulari promouendæ pietatis studio & ardore, Traiectensem vrbem cũ ampla ditione sanctis viris obtulerint, qui rudibus animis Christum & puræ religionis semina depangerent. Francorum Regum legibus & operá res Germaniæ ingenti incremento auctæ fuerunt, & ab intestinis bellorum (quibus se mutuis concidebant) malis defensæ. Francorum victricibus armis & præstanti virtute perdomitæ fuerunt Galliæ & à Gothis assertæ, quæ toties Germanorum sanguine fuerant incassum appetitæ, quarum pars minima in hunc vsque diem ad immortalitatem memoriæ glorioso Franciæ nomine superbit. Franci Hispaniam ab Arabum Scenitarum (qui Saraceni dicuntur) impura gente infestam subegere. Franci insuperabilem bellis Saxonum gentem & Romano nomini formidabilẽ fregerunt, reposita odij vice,

Francorum glorioſa natio.

Francorũ laudes.

Theudericus Frãcus à Carolo Caluo Hollandia donatus.

Traiectum Epiſcop. datum.

Franci Reges quid præſtiterint.

Gallia à Frãcis occupatæ.

Franci Hiſpa. ſubegerunt.

Saxones à Francis ſuperati.

ac Dei

ac Dei cultum puramque religionem, abolitis simulacris, suscipere coëgerũt. Francorum indomitæ virtuti cessit Italia rerum domina & gentium omnium victrix, quam non Hannibal Africæ totius opibus fultus, non Antiochus Asiæ terror, non Pyrrhus Alexandri Magni æmulus, non Persarum fastus debellare potuerant aut de gradu deijcere. Itaq. non verè minùs quàm falsè ad legatos Romanos dixisse memoratur Fridericus Imper. cognomento Ahenobarbus, se Romanum imperium, maiorum suorum Francorum sanguine comparatũ, haud precarium, obnixè tutaturum. Francorum genti non dispar Equo Troiano fortuna attribuitur. nam vt ille præstantissimos duces in alui latebris absconditos effudit: ita hæc nobilitate altissima præstantes familias, lætissimam quandam segetem extulit, & quaquauersum dispersit, ita vt vniuersæ penè Europæ nobilitas non alijs è stolonibus pullularit. Principum nostrorũ stemmata atque insignia, ortum suæ stirpis (vetus enim est, scuta virtutis testimonia & argumẽta præferre) facilè loquuntur. Leo namq: (quem Hollandia in aureo solo rubeum ostentat, cum exerta lingua cyanei coloris) Francorum Regum fuisse insigne ab Hunibaldo traditur. Singulæ enim gentes varia in signis suis & clypeis decora expressere: ita Cimbri taurum pro insigni habuerunt, Gothi vrsum, Alani canem, Troiani scropham vel suem, quod animal etiam Troia vulgo Latinorum vocatum fuisse Messala Coruinus testatur, vnde & Troianæ vrbis memoriæ sacrauisse illud insigne Antenor dicitur in aureo vexillo: Rursus Persæ sagittarium, Thraces Martem, Scythæ fulmen, Tantalus aquilam, pro insignibus gessere. At tu Transisalana gloriare isto lumine, quod primus ego tibi aperui commonstrator auitæ laudis, atque hac immortalis gloriæ prædicatione te efferto, apud te repertos esse fontes & natales præpotentis & inclytæ Francorum gentis, vestram esse genitalem Imperatorum maximorum & Regum tellurem, vt meritò tibi de suo iure decedere debeat Creta Iouis gloriosa cunabulis, & Herculis ortu

Italia Francis subiecta.

Friderici Ahenobarbi dictum.

Equi Troiani similes Franci.

Hollãdiæ Comitũ insignia.

Gentium insignia.

Apostrophe ad Transisalanam regionem.

lis ortu superbæ Thebæ: Vestram esse legum, quæ vobis & pietati positæ fuerunt, officinam. Francorum genus, ne quis scrupulosè sectam in partes diuisionem à me expectet, geminum apud scriptores inuenio, Ansuarios & Salios. Marcellinus libro vicesimo scribit Ansuarios, siue (quæ apud Tacitũ extat lectio) Ansibarios trãsmisso Rheno extimam Galliarum oram inquietasse. *Regionem*, inquit, *subito peruasit Francorum, quos Ansuarios vocant, inquietorum hominum, licentiùs etiam tum percursantium extima Galliarum.* Eosdẽ nihil hostile metuentes, quòd nullum vnquam Principem ob impeditas viarum salebras ad suos pagos penetrasse meminerant, à Iuliano mira celeritate dicit oppressos. Quo in loco prior editio scripturam Ansuarios magis mihi approbat, quàm posterior, quæ Attuarios habet: quanquam & Attuarios alibi apud eũdem lego, vbi refert, Petulantes (gentis nomen aut legionis est) & Celtas irrito precum molimine obsecrasse Iulianum, iam militari acclamatione Augustum renunciatum, pro Attuarijs, vt mitterentur ad occupandas prouincias, quas ipsi visum esset: quo in loco vulgata exemplaria vitiosè scribunt, pro actuarijs. Eosdem esse arbitror cum his qui à Strabone libro 7. Chattuarij vocantur, siue corrupta librariorum vitio scripturæ fide, siue Geographum Germaniæ populorum nomina Græcis auribus auia, procliuiorem in errorem induxerunt. vtcunque sit, dabunt id mihi doctiores quibus Græcum exemplar Strabonis ad manum est, mendis illud scatere, quando λυίας malè pro λυγίας scriptum illic sit, Lygiorum autẽ nomen latissimè patuit, teste Tacito: rursus γαμβρίσιοι legendum illic est loco γαμαβριάνιοι, & χαμαύοι pro χαῦβοι: aliaque id genus plura errata in eo auctore lector deprehendet oculatior: hæc me mouit ratio cur etiam ἀττουάριοι extrita X. litera legere malim: Sed vt momenti parui istud est, ita illud aliquanto maioris, Ansibarios inter Palatina auxilia censos fuisse olim, & quum agros vacuos prope Rheni ripam occupassent, quibus iussi fuerant decedere Frisij,

Frãci Ansuarij & Salij.

Marcellini locus.

Attuarij.

Strabonis codex Gr. emẽdatus.

Ansuarij qui?

Frisij, quum obstinatus præfecti Romani rigor idem illis quoque denegasset, retrò concessisse ad Vsipios & Tubantes. Neque possum accedere illius sententiæ nimis præcipiti, qui cum Angriuarijs (qui inter Vestphalos populus fuit) Ansuarios confundit. Hos ego non absurda coniectura Dauenturios, vel certè finitimos illis libenter facerem, quòd videantur mihi ab *Ansis*, quo vocabulo proceres & heroës denotari monui, dicti esse, quod nomen illorum ciuitas non abnuit, Ansen stadt/ id est, Ansuariorum ciuitas nominari se publicis scriptis passa. Quòd si Attuariorum scripturam potiùs admittemus, recepta nunc Dauentuariorum appellatio primæ gentis nomenclationi attestabitur. Quid enim ortui suo vicinius in tanto seculorum decursu, & linguæ semper degenerantis ac se vulgato vsui accommodantis mutatione seruari potuit, quàm quòd ex articulo, De, &, Attuarij, in coagulo vocis liquescente vocali vna cum altera, D'attuarij nuncupati fuerint, qui nunc Dauentuarij vocantur? nam qui obsoleta ratione vulgarem pronunciationis formam sequentes, à fortuna, quæ populariter Auentura audit, nominis auspicium trahunt, fabulam incœptare mihi videntur. Alterum Francorum genus sunt Salij, quos nõ à Salis riuo Sala, qui Turingos à Sorabis dirimit, in Albim se effundens, quod quidam existimant, sed vel à Sala altero Rheni brachio, quem Isalam nominari nunc admonui, cuius accolæ fuere, vel à saltu & agilitate pedum nomen sortitos arbitror: quod postremum secutus videtur Sidonius illis versibus, quibus peculiares singularum gentium dotes complexus est:

Dauenturij.

Ansi.

Salij Francis.

Salij vnde dicti.

Cursu Herulus, iaculis Humius, Francusq; natatu,
Sauromates clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Hinc est quòd alio loco tribuit illis eam pernicitatem, qua vel hastas emissas præuerterent, quando ait, etymon gentis simul aperiens, *Clypeosq; rotare*
Ludus, & intortas præcedere saltibus hastas,
Inq; hostem veniisse priùs.

Hos ego ad Suollos ciuitatem Transisalanam sedes habuisse autumo, nominis memoriam conseruante ac posteritatis auribus commendante ditione Salandia, pabuli læta soliq́ue herbidi laude famosa: non sonat autẽ Salandia aliud, quàm Saliorum regionem, quæ vrbi circumiecta peculiarem habet quæstorem tribunúmve ærarium. Tuetur nominis ius etiam Salicũ pagus, qui fluminis eluuione vnâ cum Camporum vrbe ripam mutauit, è Transisalano Cisisalanus factus. Proinde isti qui à Turingico Sala, cuius in ripis consederint Salij, appellationem traxisse dicunt, Luciani veris narrationibus non absona narrant. Saliorum à nomine non multum abludit Oudesalia, quasi vetus Salia, in Tubantibus vicinum oppidum. Meminit nominatim Saliorum Claudianus, ad Rhenum sedes eorum manifestè indicans.

Salandia, ditio.

Salicum, pagus.

——— *Rhenumq́; minacem*
Cornibus infractis adeò mitescere cogis,
Vt Salius iam rura colat, flexosq́; Sicambri
In falcem curuent gladios, geminasq́; viator
Quum videat ripas, quæ sit Romana requirat.

Ostendit hîc Salios Rhenum accolere, Sicambris vicinum, alueumq́ue Rheni alterum à Vahali, qui Romanam Gallicámve ripam finiebat, diuersum, sed propter altam pacem tunc securum viatoribus, tenuisse. Ex quo manifestus error Ioannis Poldi detegitur, qui Salios Narbonensis Galliæ populos *à l'entour d'Aix* (vt eius verba vernacula adscribam) somniat. Marcellinus lib. XVII. refert Iulianum Cæs. adortum fuisse improuisos Salios in Romano solo apud Toxandriam (quæ Campaniæ in Brabantia pars est) habitacula figere licentius ausos, eosq́ue in deditionem accepisse. Idem commemorat Salios inquietasse Iuliani temporibus regionem quæ ad siluam Arduennam vergebat, quos hîc adortus, ceu fulminis turbo (inquit) perculit. Ea regio creditur fuisse Eburonum, nunc Leodiensis tractus, ac fortasse ab his Salijs Frãcis, arci Francimonti inter Eburones non ignobili à se conditæ & appellatæ nomen manfit. Salios Francos

Francimontium, arx.

postquam

postquam in Romanorum leges fuere recepti, etiam inter Palatina auxilia censos fuisse, similiter vt Ansiuarios, in vetustis tabulis legas. Ab hac gente Conradus secundus Imp. cognomen Salici traxit, quod ad Francos veteres originem referret. Hinc Salicarum legum fluxere natales, quas Varamundus (qui primus Francorum in gente titulum Regium sumpsit circiter decimum principatus Honorij annum) tulisse perhibetur, & ope quatuor Regni procerum sanxisse, quorum nomina Sigibertus, Cuspinianus & alij ista produnt: Wisogastum, Losogastum, Husogastũ, & Sologastum, quos ego philosophos & sapientes, à scientia rerum, & ingenij perspicientia Gastos dictos existimo, quasi Catones quosdam & excellentis spiritus viros, qui è singulis fortè ordinibus ab ipso Varamundo delecti fuere, vt in commune toti Francorum reipub. salubriter consulerent. Videtur autem rectè & sapienter Princeps ille instituisse gubernandi regni officinam, quamuis barbarus, nõ infeliciùs fortasse quàm personatus ille Xenophonticus, per quaterna consultorum genera, in quibus Wisogastus prudentis & cordati consultoris, Losogastus cati & astuti significationem præferunt, vt Husogastus nõ tam œconomi, quàm eius qui vsum domesticum & consuetudinem percalleat, ac priuatorum hominum rationibus consulere possit: denique Sologastus aut potius Slogastus (sic enim in vetustis codicibus manuscriptis exaratum nomen repperi) rerum proletariarum & ad infimæ etiam sortis plebeculam pertinentium curiosum notare videtur. Decet autem eum qui ad reipub. clauum assidet Principem eos sibi adhibere consultores, qui excusso exploratoque consilio prudenter omnium rebus communiter consulant. Neque satisfacit mihi Homericus Agamemnon, qui decem Nestoras, hoc est, cordatos longoque rerum vsu exercitos senes optauit: neque Darius, qui totidem Zopyros, qui simulatione & astu officia tegere, hostem fallere, aut publicam rem cum alieno detrimento augere norunt. Nam qui cum laude Principis personam in

Conradus Salicus.

Salicæ leges vnde?

Varamundus rex primus Francorum.

Gasti qui fuerint?

Wisogastus qui?

Losogastus.

Husogastus qui?

Slogastus.

Principis munus.

repub. tuebitur, is non tantùm suarum regniq. rerum quauis tandem ratione parto incremẽto attendet, verumetiam ciuium & subditorum, etiam minimorum rationes & negotia sedulò procurabit, cum Cyro, qui in illorum opibus suas potissimum sitas existimabat. Redeo ad rem vnde digressus eram. Barbara ista, sed non otiosa nomina aliter scribit Tritemius Hunibaldi somnijs insistens, & à Salagasto summo Iouis, si dijs placet, pontifice, legem Salicam nomen accepisse fabulatur, & constructam ab eo in Mæni ripa villam, in oppidum, quod hoc tempore extat celebre, Seletstadium mutatam: cuius sententiam ferè ex professo sequitur Otho Frinsigensis, nisi quòd Francorum nobilissimos Salicos vocari, hisque vti legibus addit. Rursus Windegastum nominis sui vicum in Francia orientali cõstituisse Windesheimum dictum. Quod si ad hunc modum nugas iuuet inquirere, quin cænobium archetypũ Windesheimum apud Transisalanos in genitalibus Francorum terris, ad istum, si ita placet, auctorem referimus? Tertium nominat Wesogastum Dianæ antistitem ineptus nugator, qui nesciuit Frãcos vero Dei cultui operatos & à lacte innutritos. quartum Bosogastum, quæ vox sonat malignum ingenium, siue spiritum, quod à consultore alienum esse debet, qui publicæ saluti consulet. Sed ista scopis dissolutis laxiora valeant longùm. Redeamus ad ipsam rem, & quid de lege Salica ariolati fuerint alij, senserint've recenseamus. Legem Salicam (inquit Pyrrhus) constat Pharamundum, accitis priùs proceribus, nec citra maturum consilium tulisse, vt ab optimis legibus sanctissima regni auspicia cœptaret: quã vel à sale rectaq. ratione, vel à Salica terra, vel à Salijs sacerdotibus, id est, à generosis sapientibusque viris conditam, vel vndecunque libet Salicam veteres & nos nominamus. Ioannes Ferrarius Montanus, vir insigniter doctus, refutãs istud commentum, à Pharamundi Salici, qui auctor legis fuerit, nomine, quem maiores Salicum cognomento dixerant, appellatam putat, sed erroris manifestus. Turpiùs impegit Fran-

Salagastus.

Windegastus.

Bosogastus.

Salicæ legis etymon examinatur.

Franciscus Connanus, qui Salios Gallos exponit his verbis. *Connani error.* Nulla gens minùs passa est fœminarum imperium, quum lex Saliorum, id est, Gallorum eas successione regni excludat. Salicas terras vocari solere propria Principum libera prædia atque immunia, Beatus Rhenanus annotat: quòd Franci postquam latè imperium auxerant, nobilitati & veteranis militibus agros assignarint immunes penitus & ab omni seruitute liberos. Ludouicus Schradinus terras Salicas à Iureconsultis dici ait (vt refert Spiegelius) quæ solius *Salica terra.* sint Regis, & à lege allodij distent, qua subditi comprehenduntur, quibus beneficio istius legis datur liberum rei alicuius dominium, nõ excluſa Principis maiestate. Cum quo sentit & Carolus Molinæus Iureconsultus alioqui non pœnitendus, Salicam terram interpretans fiscalem & regiam, hoc est, dominium coronæ & maiestatis regiæ Francorum. Paulus Volzius etiam vlteriùs extendẽs Salicæ vocis vsum, non legem modò Salicam, hoc est, liberam, sed & ter- *Salicus pro libero.* ram Salicam & Comitem Salicum, id est, liberũ, qui vulgo Freiherr dicatur, nominat. Hinc satis cõstare potest, quàm se torserint in explicanda vocabuli istius origine docti homines, quod à Salijs Francis simpliciter dictum fuit. Huius *Salicæ legis caput.* legis caput excludit mulieres à successione regni, & secundum leguleos nonnullos etiam hæredijs: quam apud Salicum pagum, Campis non procul distantem, in vsu etiamnum esse, iuuenis & legum cognitione & nobilitate natalium clarus mihi rettulit ipse indigena loci. certè Agathias filios ad regni susceptionem patria apud Francos lege voca- *Bodini sententia.* ri testatur. Bodinus, vir me hercle doctissimus, in dubio esse ait, latáne lex illa fuerit, nec ne: putatque eam solùm de regni successione fœminis adimenda, vel certè non permittenda sentire, reprehensis in hoc Baldo & Iurisconsultorum plærisque, qui cum imperij maiestate hæreditatis ius in prædia atque alia quæuis bona confundunt. Gagninus hanc legem inculcat, Nulla hæreditatis portio de lege Salica ad *Salicæ legis verba.* mulierem venito. Ipsissima verò verba hæc esse volunt, In terra

terra Salica mulieres ne succedant. Extat apud Gallos libellus titulum de lege Salica præferens, sed qui legis ipsum caput, de quo agit, omittit. Hæc discrepationē ac controuersiam magnam commouit inter nostros & Gallos superioribus annis, ob Burgundiæ principatum, magnaque contentione, sed quæ in irritum cecidit omnis, agitata fuit, quando edere ac repræsentare legem Galli non potuerant, vt ex legatorum ore inaudisse se testatus est suis literis Antonius Scoonhouius præstāte ingenio & eruditione vir. Non possum autem quin aliquot hoc in loco adscribam Francorum leges, è quibus gentis sagacitas & iudicij sanitas educere ac perspici queat. *Mendici per regiones vagari non permittuntor. Suos pauperes quæque ciuitas alito. Illis, nisi manibus operentur, nullus quidquam dato. Mangones, vagabundi, & Cotiones qui imposturis homines ludunt, coërcentor. Facinorosus oculum pro prima culpa perdito, culpam iterans naso truncator: tertiò deprehensus capitalem pœnam luito. Nemo militiæ, socium suum aut quemlibet alium ad potandum inuitato: quòd si quis ebrius repertus fuerit, eiectus quoad culpam agnoscat, aquam bibito.* Plura addere supersedeo, ne quis librum me onerare legibus velle existimet, quæ publici iuris factæ typisque inuulgatæ sunt operâ & industria Heroldi. Verùm enimuero parergorum vice adijciam, neque scio qua fronte dissimulem silentio, fatalem quandam ingeniorum morumque dissimilitudinem inter Romanos & Germanos. Illîc astum & corrumpendi artes: hîc simplicitatem & pecuniæ amorem magis viguisse animaduertas: vnde illîc creuerunt res, creuit potentia, creuerunt & animi aduersum viles sibi venalesque animas: hîc contrâ fractum imminutumque imperium, debilitatæ opes, corrupta publica consilia, secutæ inde clades. Quorum exemplorum ferax posteritas est, ætasque præsens imitatrix. Romani namque pecuniarū obiectis illebris occæcando: corruptelis in partes traducendo: discordias inter cognatione iunctos, ac propterea ex æmulatione, maiorumque spe minùs fidos

Francorum leges.

Dissimiles ingenio Germani & Rom.

Rom. corruptelæ.

Principes,

Principes, seminando, alendoque, in sua ipsius viscera Germanicam nationem armauere, aut rebus minùs prosperis, pacem datis pecunijs emercati fuerunt. Ista non tacuere qui illorum res memoriæ prodiderunt, propterea sæpenumero procerum Germanorum potentiam improbè eleuando, sed Taciti primo morsum audiamus. *Vis*, inquit, *& potentia Regibus ex auctoritate Romana, rarò armis nostris, sæpè pecunijs iuuantur*. Loquitur de Germanis Principibus, quorum egestatem occultè pariter & obliquè fugillat, quòd inde procliuis ad omne scelus semita pateat, quòd animus munerum dulcedine & corruptela deprauatus, nulla honesti ratione, aut æqui respectu ducatur, sed per nefas accommodet se voluntati eius qui dat, sub quadam specie & vmbra gratitudinis. Istam Roman. corruptelam, qua mentes venenabant, non dissimulauit aut silentio præterijt Iulius Tutor apud Tacitum. Neque absonum à vero est, Segesten Cheruscorum ducem magno aliquo operæ pretio corruptum ab Augusto admisisse Romanos in suam ditionem, passumq. illic ius à togatis exerceri, fasces & virgas expediri, quod gener Arminius illi exprobrat. Non diffitetur Cæsar, conscio quoq. Plutarcho, se Germanos muneribus expugnasse. Videtur & Tiberius idem consilium voluisse dare Germanico, vt bello ancipiti absistens, Cheruscis alijsque rebellium gentibus ad intestinas discordias solicitatis, ad triumphum rediret. Drusum haud leue decus quæsiuisse, inliciendo Germanos ad discordias, commemorat apertè Tacitus. Apud eundem Flauius Arminio fratri in colloquio proponit opes Cæsaris, si se dedat permittatque Cæsari. Traianus etiam Imper. præmijs obsequentes sibi reddidisse Germanos, ac pecuniaria esca exatiasse legitur. Antoninum Philosophum auxiliares Germanorum copias contra ipsos Germanos pecunijs emercatum fuisse testatur Iulius Capitolinus. Herodiani historia Alexandrum Imp. eam cauponandi artem edoctum, narrat decreuisse legationem ad Germanos quæ pacem suaderet, iniecta spe certa

Corruptela quid faciat.

infinitæ pecuniarum ſummæ ab Imp. ipſis numerandæ. Idem ſcriptor de Commodo Anton. iſtud teſtatum facit, qui pecuniariæ rei copijs inſtructiſſimus, animaduerſo barbaros pacem magnis impendijs venalem habere, poſcentibus nihil denegauit, quo ſecuritatem redimeret. Horum veſtigijs inſtitiſſe iudicatur Stilico Honorij Imper. ſocer, qui paucorum dierum ſpatio regiones Rheno adiacentes à capite ad calcem emenſus, Germaniæ Reges donis demulſit, quam corruptionem diſſimulans Claudianus, poëticoque ritu illi adulans, nominis ſui terrore fregiſſe, & ad obſequium gentes feroces eum pertraxiſſe canit, vitata calumniæ labe. Morem autem illum Germanorum pacem ſic nundinantium, idem poëta clarè illis verſibus perſtringit:

Stiliconis aſtus.

Illi terribiles, quibus otia vendere ſemper
Mos erat, & fœda requiem mercede paciſci.

Conſimili ratione Alanorum, qui & Maſſagetæ, vim in ſe ſurgentium auertit Hadrianus Imp. Dionis teſtimonio. Eorundem motus Gratianum muneribus compreſſiſſe refert Paulus Diaconus. Quin & Procopius lib. tertio ſcribit Iuſtinianum Imp. donis tanquam amuleto auertiſſe bellicam tempeſtatem à Langobardis ingruentem. Eundem Gepidis tributum annuum pependiſſe, vt bello abſtinerent, memorat. Horum Germanorum ſiue Francorum incredibilem virtutem, ingentem corporum magnitudinem, atque in armis exercitationem prædicauit Cæſar. Mirum verò & propè incredibile mihi viſum illud fuit in natione manu forti & bellicoſa, quòd non fluentibus, ſed ſtrictis artuſque ſingulos exprimentibus veſtimentis, ac quaſi corpori circumſutis vſi fuerint, id quod oculatus teſtis Sidonius, eoq. prior Tacitus memoriæ mandarunt, lato baltheo anguſtam aluum arctante: quum eiuſmodi habitus videatur incommodus atque inhabilis in procinctu ſtantibus, vbi cominus gerenda res ſit, corpuſq. agilitate flectendum, quos tamen Apollinaris emiſſas à ſe haſtas ſaltu præuertere, incredibilis agilitatis argumento teſtatur. Adde quòd & prælongis haſtis vte-

Francorũ veſtes ſtrictæ.

Franci agiles.

stis vterentur, teste Tacito, breues tamen gladios haberent, letalibus ictibus, qui punctim fiunt, ineptos, quos patria voce Anconas illos vocasse refert Sidonius, quos ego vernaculo sermone, adiecta aspiratione, Hangers dici existimo: tametsi etiam missilium securium vsus illis fuerit, quo armaturæ genere Cimbri Vandalicumque genus omne hodie ad librandos destinatos ictus vtuntur: quod pulchrè ille expressit,

Anconas quid?

Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plagæ præscisse locum, clypeosq; rotare
Ludus &c.

CAP. X.

De Armamentario Pop. Rom. maritimo, quam BRITANNICAM ARCEM *hodie nominamus.*

IN ripa medij aluei Rheni, armamentarium Pop. Rom. extitisse, tum fundamentorum substructio, tum marmoris in eo refossi inscriptio loquitur, clareq. conuincit, quod vt principio pharus fuerit, vti mox dicemus, postea tamen maiori vsui futurum in præsidiarium castellum (vbi appositis excubijs & custodijs arma naualia ac tela asseruarétur) conuersum fuerit, facilè vt credam adduci possum, quo sic à piratarũ iniuria, à quibus mare Britannicum sæculis omnibus per Saxones Cimbricæ accolas, & Germanos maritimos qui & Franci, infestum fuit, portus opportunus defendi posset: *Britten* vulgo in hodiernum vsque diem nuncupatur, & *Brittenburgus*, quod sonat Britannicũ castellum, à vicina oppositaque Britannia, tunc Rom. Pop. vectigale, vnde frumentum classibus ad præsidiaria Romanorũ horrea, Rheni supercilijs imposita, de quibus antea facta fuit mentio, importatum subuehebatur: ea namque vero similior est nominis origo, quàm quæ pacis argumento vocem in *Fridtenburgum* detorsit. Isti meæ coniecturæ, quam ante annos sex scripto mandaram, astipulatorem nuper nactus sum Hunfridum Fluddum Anglum, virũ litteratum;

Brittenburgus.

cuius de turri Britannica (ita enim nominat) epistolam typis procudendam dedit Ahrabamus Ortelius insignis Geographus in elegantissimo illo opere, cui Theatrum Orbis nomen est. In ea parum euariat à mea sententia, annotans ex Occidentalibus Imperij prouincijs annonam transferri per Britanniam velut horreum cõsueuisse, inde subuectam fuisse nauigijs Britannicis per ostium Rheni ad præsidiaria limitis Germanici horrea, atque ita à mercatorum vel potiùs vectorum Britannicorum frequentia, Britannicæ turris nomen secutum. At ego non aliunde per Britanniam, sed ex ipsa tanquam cella penaria Reipub. Romanæ subuectum fuisse frumentum ad limitanea Germaniæ præsidia, natamque inde nominis Britannici originem autumo. Adfert idem & alteram appellationis coniecturam à milite præsidiario è Britãnia ab Antonino loci custodiæ imposito ortæ. Adijcit & tertiam, qua putat eam turrim adlatus portus seu ostij Rheni à Batauis indigenis constructam ad defendendum periculum à Britannorum piraticam exercentium incursionibus, quas in Morinos & Batauos faciebant, vt illius gentis loquuntur Annales, creatumque exinde nomen, mutato licet ædificij vsu. Huius armamentarij vestigia reliqua, sepulta, marique adobruta latent, nisi si quando post Africi vehementis continuatam furiam, subitò sæua & immoderata tempestas à Cauro, littoris nostri tyranno, commota successerit, tunc namque nudatum arenis littus retectas à fundamentis reliquias, recedente maris æstu, spectandas præbet, quamuis eæ tenues ac perexiguæ relictæ sunt, quando studium & improbitas hominum ad inusitatum spectaculum affluentium, quicquid residui fuerat toties repetitis vulneribus (nam tertiùm aperta fundamenta mea nouit ætas) omne exhausit. Istud littus in quo armamentarij superstites reliquiæ inuentæ sunt, inattritum, neque fluctibus adesum, sed ab ipsis natalibus in hanc vsque lucem pertinaciter constans, idemque esse, quasi fluctus, sæuissima rerum Naturæ pars, vano atque irrito assultu hactenus

ctenus pulsauerint, amicus noster scribit, sed auritæ, opinor, quàm oculatæ fidei certiore testimonio innixus, siquidem maritimi homines vno ore omnes aliud narrant, ac præsertim Catuicum pagus misero armamentario nimis vicinus aliud, si effari posset, locuturus fuerit, qui mea ætate insigne detrimentum atque damnum expertus pertulit, haustis non semel mari fluctuoso domibus aliquot: quæ calamitas tam illi propria est & familiaris, vt rarò vlla maior ingruat vis aut tẽpestas (cuiusmodi plurimæ in meam memoriam incurrerunt) quin ædificia quæpiam cum solo subruant fluctus. Quod ipsum & Norduico maritimo, vico proximè propinquo, accidit, qui ad septentrionale Armamentarij latus paulo distantiore spatio inde dissidet, vbi vniuersam domorum viciniam cum puteo communi, mare paucos intra annos obliguriuit. Prætermitto silentio quod de Sceuelinga in eodem littore lippi omnes & tonsores norunt, quæ memoriæ non admodum veteris (nam vix vltra paucos supra centum annos extenditur) recordatione satis explicita loquitur, templum cum prælta turri fluctibus absorptum, ad bis mille fermè passus intra maris complexum, nusquam nunc cõparere: quo tẽpore magnificentius illic exædificatum templũ, quam remotissimè à mari, satis cum periculo ad littoris viciniam paulatim nunc accedit, quam iniuriam nuper postridie KL Nouemb. an. CIↃ.IↃ.LXX. sensit longè grauissimam, complanatis & in fœdam ruinam tractis ædificijs fermè sexaginta: ita vt interdum inter piscatores pagi incolas agitetur de loco remotiore templi fabricæ deligendo. Quare Goropij mei vt accedam sententiæ, religione deterreor, vt qui cladis passim acceptæ spectatorum pars aliquando fuerim. Itaque eius me opinionis esse non pudeat, quæ littus illud planum fuisse, & apertum, ac in Oceanum longissimè olim procurrisse existimat, limo quem Rheni fluentum secum trahebat, littoris quod atterebatur detrimentum supplente nonnihil atque sarciente, donec quadringentis abhinc annis, inaudita illa inundatione, quæ

Littus Hollãdiæ atteritur.

Catuicum.

Norduicum maritimum.

Sceuelinga.

Hollandiæ inundatio.

vniuersam Hollandiæ faciem longè lateq. operuit, obstructo fluminis cursu, steriles arenarum colles littus occuparunt, mare terras ipsamque littoris oram attriuit: nam armamentarium ipsum à Nortmannis alijsque immanibus barbaris, quos Borealis plaga nimbi instar Hollandiæ infudit, excisum soloque æquatum existimo, solas ruinas mari reliquas facientibus. Porrò in procurrente illo, quod dixi, littore, procul mari, solo argilloso & herbido (cuiusmodi totus est ille tractus, qui Rhenoburgum, Virginum nobilium cœnobio illustrem locum, & à præterlabente olim fluuio nomen sortitum, spectat) littore tamen, exstructum fuisse armamentarium, de quo hactenus sermo est, è fundamentorum positu, opinione augurantur. Quorum non absurda, nec à veri fide dissidens putatur oratio, quod neminem vsqueadeo vecordem & communi sensu orbatum fore arbitrantur, qui in sabuloso & sterili littore, quæ nunc rerum species oculis occurrit, atque in ipsis adeò maris faucibus, præsidij principalis fundamenta iacta velit, nisi idem Tragicos omnes Orestas & Athamantes dementia superet. Næ isti acutè & festiuè colligunt, reuocata ad veritatis numeros ratione, & ad liberam cogitationem. Quis enim est paulo liberalior & cum humanitatis sensu coalitus, qui grauem illum ac tetrum vicini maris halitum non reformidet? quis murmurantis eiusdem fremitum horrisonum ferat assiduè? quis elisæ spumæ aspergine madere semper velit? aut quis bruti elementi societatem colere, & inamœnam sabuletorum faciem æquis contueri oculis semper sustineat? nisi fortè Theocriti piscatores, quibus fida comes egestas nihil reliquerat. Cæterùm refragari argumento superiori, aut id reuellere omnino velle animum non induxi, si qui tamen disputatione quasi cote adhibita veritatem velit acuere, is Caligulam opponat, auctorẽ & conditorem, meo quidem iudicio, istius pyrgi, cuius stultitiam insignem ac famosam, toties in exiguo libello, Apocolocyntosi inscripto, fugillat Seneca, vt pudeat referre: neq. dissimulat impunè illi fuisse obiectam

Rhenoburgus.

Caligula conditor Brittenburgi.

Caligulæ stultitia.

obiectam Tranquillus. Omitto, quòd recepto transfuga Britanno laureatas ad Senatum literas miserit, quasi per somnium locuples, sibiq́ue ipsi persuadens vniuersæ insulæ imperium, quam cum exercitu nũquam adierat: quodq́ue simulacra pugnæ, crediderit vera fuisse prælia. Quod verò euidentius innatæ stoliditatis argumentum & indicium requiras, quàm quod confecturus bellum aduersus Oceanum susceptum, instructa acie, vmbilicos & conchas Oceani spolia repentè colligi à milite præceperit, atque in victoriæ signum, excelsum in littore pyrgũ exstrui curarit, de quo vt Suetonius loqui intelligatur, verba eius adscribam. *Postremò quasi perpetraturus bellum, directa acie in littore Oceani, ac balistis machinisq́; dispositis, nemine gnaro ac opinante quidnam cœpturus esset, repentè vt conchas legerent, galeasq́; & sinus replerent, imperauit, spolia Oceani vocans Capitolio Palatioq́; debita. Et in indicium victoriæ altissimam turrim excitauit, ex qua vt ex Pharo noctibus ad regendos nauium cursus, ignes emicarent.* Quo ex loco viri non indocti suspicantur & conijciunt, turrim, quam è ruinis in armamentarium conuerterit postea Seuerus Imp. esse illam ipsam maritimam & littoralem, cuius facta sit à Suetonio mentio, actum destinatam fuisse muneri accendendorum ignium nocturnorum, quibus cursus nauium regeretur ad prænuncianda vada: cuiusmodi pharum apud Gessoriacum (Bononiam nunc vocant) antiquitus constructam, sed collapsam, Carolus cognomento Magnus restaurari fecit ad nauigantium cursus dirigendos, vti Regino Annalium scriptor testatur, apud quem (vt locũ obiter emendem) malè, *fanum*, scriptum inuenias pro, *pharum*, & *nauigandum*, vice, *nauigantium*. Certè in Batauiæ littore eam expeditionem, Caligulæ ingenio accommodam, lusam fuisse atque adornatam, tribus verbis voluisse indicare Corn. Tacitum, videre mihi videor, quum de Brunone inter Caninefates claritate natalium nulli secundo, duce delecto, loquẽs, narrat patrem eius multa aduersus Romanũ nomen hostilia ausum fuisse,

Caligulæ stultitiæ documẽta.

Sueton. in. Calig. ca. 46.

Pharus Gessoriacensis.

Reginonis locus emaculatus.

Lib. 20.

&

& Caianarum expeditionũ (quas obiter transcurrens memorauí) ludibrium impunè spreuisse: quo verborum compendio quid magis appositè dicere potuit, quàm Caninefatem illum conuitio inulto atque impunito, linguæ effrenioris habenas liberiùs soluisse in Caligulæ insaniam, qui cum mari bellum susciperet, pro spolijs hostilibus conchularum ornamentũ, puerilia scilicet crepundia, legenda mandaret. Vbi verò potuerit ille impunitius debacchari in Imp. qui vitæ necisque ius in acie linguæ haberet, (vt de Alexandro quõdam dixerat Callistratus) quàm inter suos, hoc est, Batauos, aut proximos saltem Batauiæ finibus, nõ intelligo. De istius expeditionis in Britanniã cogitatæ apparatu, consimilia penè literis prodidit Dion Cocceius in hanc sententiam. Caligula ad Britannicum Oceanũ profectus, conscensis triremibus paululum prouectus, eueſtigio reuertit, datoque è sublimi tribunali militi signo, velut ad conflictum, animatos tubarum sonitu, iussit conchas marinas colligere, quo peracto gloriatus se Oceani victorẽ, post numeratum exercitui opimum congiarium, cum spolijs maris ostentui futuris Romam repetijt. Verùm asseueranter sententiam meam interponere, re propter altissimam vetustatem dubia ac controuersa, supersedeo, alijs, qui maiore abundant otio, & quibus rotundiore felicioreque Genio loqui datum est, libenter herbam cessurus. Quicquid sit, siue Caligulæ Pharus fuerit, siue alterius cuiuspiam fabrica, id extra dubium est, Armamentarij vsum & nomen induisse sub Seuero Imp. & ab eodem restitutum, cuius memoriam tuetur lapis è ruinis extractus anno salutis CIↃ IↃ XX, & in ædes principis familiæ Wassenariorum inde translatus, cuius hæc est inscriptio:

Dion lib. 5.

Armamentarium.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS SEVERVS
AVG. ET M. AVRELIVS ANTONINVS
CAES. COH. XV. VOL. ARMAMENTA-
RIVM VETVSTATE CONLAPSVM
RESTITVERVNT SVB. VAL. PVDENTE

LEG.

LEG. AV. PR. PR. CVRANTE CAECIL. BATONE PRAE.

Quia verò multi ignorãt fortaſſe, quid Armamentarij voce ſignificetur, tribus id verbis explicatum dabo. Eſt ergò Armamentarium munimentum muris turribuſq. contra vim inſtructum, vnde machinæ, tormenta, ſi quando vſus aut belli neceſſitas poſcebat, proferebãtur, tela & arma militi atq. ſocijs diſtribuente Tribuno aut Præfecto ſuppeditabantur. Meminit Cicero armamentorũ publicorum, & armamentarij Telluris; Plinius armamentarij mille nauium capacis. Iſtud verò armamentariũ forma quadratũ, paribus in omnes partes ſpatijs productũ, ſatis loquitur ac commonſtrat quam hîc damus, eius ichnographia è nudatis (quod ter mea ætate accidit, primùm anno ſalutis CIↃ. IↃ. XX. deinde iterũ CIↃ. IↃ. LII. die D. Pontiano ſacrata: tertiò CIↃ. IↃ. LXII.) fundamentis fideliter expreſſa: quodlibet autem vniuerſi operis latus ducenos quadragenos pedes complectitur, nimirum vicenas noſtrates metatorũ decempedas, quo menſuræ modo decempedam in duodenos porrigi pedes cognoſcitur. Turrium propugnacula in Rheni præterlabentis ripam obuerſa fuiſſe apparet, ad maiorem operis firmitudinem contra fluenti vim, & hoſtilem quoque, ſi quam piratica adferret. Procurrentes vtrinque illinc verſus orientem ſolem, hinc occidentem, murorũ ductus extra arcis aream, cloacæ videntur fuiſſe, per quas omnium purgamentorum receptacula, quicquid erat ſordium, aquam admiſſam & caſtellis receptam, proluiſſe atque in mare exoneraſſe crediderim. Saxa ingentia è fundamentis eruta, quæ vidi, quaternos pedes longa fermè erant, ternos craſſa, quæ anno CIↃ. IↃ. LII. ad quadraginta numero refoſſa annotaui. Extra arcem ripæ margines craſſioribus tabulis præſtructi erant, & palis per fiſtucas altiùs adactis præmuniti, ne ab vndis decurrentibus adederentur.

Armamentarium quid?

Armamentarij ichnographia.

ICHNOGRAPHIA ARMAMENTARII POP. ROM. QVOD BRITTENBVRGVM APPELLANT.



Visitur

Visitur apud Hagam Comitis in ædibus à me priùs nominatis, gentis Wassenariæ, alter lapis cum hac epigraphe in ijsdem ruinis reperta anno CIↃ. IↃ. XX. vtrinque à fronte pariter & tergo mutila.



Extat ibidem & tertius lapis salsi maris vndis, & pòst imbribus exesus ad modum pumicis, qui nihil admodum certi præfert, præter literarum aliquot sulcos, quæ ad dexteram malè leguntur, cuius saxi frons Victoriæ alatæ imaginem ostendit, dextra lauream coronam attollentis, læua tenentis deprimentisque clypeum. Ad sinistram aquila passis alis expressa est, orbi duabus se mutuo secantibus zonis cincto insistens, excurrentibus vtrinque tribus radijs.

IMP. CAES.
ANTO
NE
AVG. COH.
M TO RV.
PE.

In earundem ædium exteriore pariete visuntur & hac specie saxa, quorum primũ nauigium, cuiusmodi fermè Saxonas maritimam gentem vsos fuisse docui, referre videtur; alterum Victoriæ simulachrum exprimit; tertium Herculem clauigerum; de quarto quid sentiam, ignoro.






Repertus in ijsdem ruinis & quartus lapis memoratur, cuius epigraphen à se descriptam typis excudendam dedit Hubertus Goltzius, antiquitatum omnis generis altissimus gurges, quæ tametsi mutilata in fronte aræ positum fuisse illum loquitur à M. Aurelio Antonino Caracalla, annis aliquot post peremptum sua manu Getam fratrem.

Huberti Goltzij laus.



Istius armamentarij clauem in ruinis repertam, anno 1520. septenos pollices longam, & ponderosa mole prægrauem ostendit

ostendit mihi Galterus Theudericus Wassenariæ stirpis egregius assertor. Aliam hic appingendam dabo à longè subtilioris ingenij artifice profectam, in annulo effictam, quam accepi à Cornelio Nicolaio Aquano, vascularioLugdunensi, honoris caussa mihi nominando, qui tametsi à literis alienus, mirum tamen quàm sit curiosus, quamque diligens in cognoscendis veteris memoriæ indicijs, conuasandis fragmentis, colligendis & conquirendis numismatibus, quæ ex argento procusa plusquam trecenta numero, cùm isthic, tum apud Romæoburgum reperta, ex ære quingenta ipsus mihi ostendit: qui vir vt est candidi pectoris, quicquid egestum inuentúmve eo loco vel ipse extulit, vel repræsentato ære ab alijs redimere potuit, id omne liberaliter ac propenso ad bene merendum animo mecum communicauit.

Galterus Theudericus.

Cornelius Aquanus.



Inter cætera quæ integra & infracta fuere, idem mihi ostendit æneum sigillum togatum, quod in larario stetisse verisimile sit, stylobatæ insistens, & alterum Palladis galeatæ, dextera noctuam tenentis, læua hastam, quæ quamuis hinc aberat, aperta tamen manus elapsam amissamque testatur.



Item Samium poculum elegantissimi operis rubrum, è Lemnia terra, vt creditur, summi lævoris, collo angusto, cuius medijs in faucibus, ceu tubulus quispiam crenatus assurgit: ore pando quaterna foramina in cordis speciem figurata præferente, cuius interiorum ambitū quædam veluti margaritarum linea, interspersis cyanei coloris eranis distincta, tanquam limbus pulchrè exornat, quod eius cauum auri admotum maris murmuranis fremitum repræsentat: habuit istud sculptoris manu expressum hoc loco apponere.



Vidi illic & Simpulum è candida materia, cuius in sacris affundendo vino vsum fuisse solennem autumo, ampullula ea est stricti oris, ventrosa, ansata, fundo exiguo, cuius hîc picturam adieci.



Eodem in loco inuentum lychnum pensilem siue lampada æneam exhibuit idē Cornelius, hîc expressum, cui cauum est affabrè circinatum, cum imminente quadrato cælo, ad arcendum flammæ periculum, vti auguror, siue etiam contra fumi surgentis nigrorem. Præterea coctilem laterem vtrinque ceu parietibus assurgentem., qui videtur aquam pluuiam ex imbricibus præcipitantem excepisse, quindecim pollices longum, integrum adhuc, qui parte sui insternebatur & vicissim substernebatur alteris, vt quasi communicatis operis imbrem per compluuium deueherent.



Multa item & varia emblemata rotunda, quæ diuersorum animalium rictus & ora referebant, per quæ guttatim liquores fundi poterant, illæsa idem monstrauit.



Extant apud eundem quinque diuersi generis tesseræ, seu quadratæ pauimentorum tegulæ, quarum diuersitatem ipsa facilè prodit inscriptio, omnes octo in quadrum pollicum, duos digitos crassæ, omnes eandem, sed diuersimodè expressam inscriptionem ostendentes, & inferioris Germaniæ exercitum loquentes: quæ inscriptio & in imbricibus legitur tredecim pollices longis.



Vidi



Vidi ibidē & alios imbrices hoc pacto inscriptōs. LEG.XXX. Præterea figlinorum fundos, in quorum vno legebatur hæc epigraphe, VITALIS FE. in altero BOVONV. F. Capedinum quoque & paterarum fictilium fragmenta, cum inscriptione MINV. EV. F.





Nomismata idem Cornelius varia ex auro, argento, ære ibidem reperta ostendit, inter quæ conditoris pyrgi Caij

Cæsaris duo: ab aduersa parte C. Cæsarem Germanicum loquitur, auersa tres ipsius sorores stolatas nominat, Agrippinam scilicet, Drusillam, & Iuliam: alter ad locutionem Consulum præfert ab auersa. Nam quod Ortelius, ob inscriptionem lapidis qui aram à Diuo Claudio positam loquitur, putat armamentarium istud ab eo in expeditione Britannica exstructum, facilè ex Dione & Suetonio conuincitur, qui eum Gessoriaco soluisse oram & traiecisse testantur, ibique fornicem seu triumphalem arcum illi ob victoriam de victis Britannis ex Senatus-consulto positum.

Vidi & tertium cum effigie Vestæ sedentis. Item insigne numisma Septimij Seueri, qui conlapsum vetustate armamentarium restituit.



Superuacaneum foret & nimis longum reliqua Cæsarum & Imperatorum nomina, quorum numismata idem ille habet, in hisce ruinis inuenta, commemorare, quando infinitas quædam nummorum isthic repertorum, in omnem quaquauersum regionem disseminata sit.

CAPI

CAP. XI.

De Batauiæ peculio in partes plures distracto, oppidisq; ab Hollandia alienatis.

QVICQVID terrarum intra Rheni brachiorum complexum (quæ & ostia ab aditu, &, vel à flexuoso alueorum anfractu, vel ab aquarum mugitu, Cornua vetustas appellauit) continetur, id vniuersum olim vno Batauiæ nomine censum fuisse, extra omnem controuersiæ aleam est: qui enim inficiari istud velit, arbitror esse neminẽ, nisi qui aut latæ culpæ reus ferreum os induerit, aut obstinato altercandi studio, cum Plinij Secundi grauissimi scriptoris, tum Taciti Palatinæ historiæ parentis auctoritati detrahere aut illudere cogitet, quam tamẽ irrefragabilem tum Populi Romani gentium domini dignitas facit, tum ipsa antiquitatis (cui meritò ab omnibus assurgi solet) prærogatiua conuincit. Quanquam istam vnitatem fatalis quædam lex, quæ nihil in rerum natura perpetuum patitur, diuellit atque abrupit: vel natiua populorum inconstantia, qui in diuersa studia scindi, ac cum principibus, vt veteres ritus, ita nomina quoque ponere, noua sumere amant, in partes traxit. Huc accessit cognata Traiectensium Præsulum ambitio, qui siue vsurpatam, siue donatam iurisdictionem peramplam egregiè tuendo, missu quodam Herculeo, infractum Acheloi cornu confregerunt, bonamque Regum (quos olim habuit insula) portionem priuati & iuris & nominis inuolando fecerunt. Adde huc & victorum libidinem, qui aut sublata aut interciſa Regiæ stirpis serie potiorem insulæ partem sibi retinuerunt, ac in nominis sui ius transcriptum cõmutarunt, quando labante Romanorum potentia (quorum armis vt adiuta, ita vicissim & adiutrix fuit) in prædam cessit indefensa insula. Ita, talorũ in ludo vt fit, pars Cisisulanis cessit, partem beneficio Francorum Regũ possidere, eodem quo Comites Hollandiæ titulo, Præsulatus Traiectensis magna contentione, neque citra certamina, connixus est: partem

Cornua fluuiorum.

Gelriæ Comites sibi vsurparũt. Ciuitatum & oppidorum, quæ extra Hollandiæ peculium sita, Batauici tamen soli iure olim continebantur, numerus est non exiguus; quæ quo minùs silentio transmittam, religione quadam impedior, quandoquidem illustrãdæ in commune veteri Batauiæ labor hic omnis sumptus est, vt haud immeritam aliquando officij vicem, altrici, imò parenti, ciconiarium ad exẽplum refundamus. Etsi verò omnium luminibus facilè obstruat altitudine eminentis fortunæ, dignationis sacerdotalis fulgore, ac virtutis bellicæ gloria cumulatissima ciuitas Traiectum, quin tamen prima clepsydra Neomago infundenda veniat, vetustate possessionis sese defensuræ, regiæque honore, quis senior refragetur aut repugnet?

Traiecti laus.

Neomagum vetustum.

NEOMAGVM.

NEOMAGVM igitur siue Nouiomagũ (vtranq. enim scripturã inuenio in hoc nomine, quo extitisse & alia præsidiaria oppida, vt in itinere Argentoratũ, *Neomagum*, hodie *Vdenheym* dictum, & alterũ Nouiomagum infra Augustam Treuirorum, & tertium *Ingelheimum* hac ætate vocatum, Caroli Magni natalibus clarum, inter Ambianos & Suessionas lego) Batauorum caput sedesque regia omnium consensu creditur: nam præterquam quòd vero sit simile, Batonem indomitæ insulæ possessionem aditurum, locum, quo perfugium sibi pateret, extra insulam muniuisse, sedemque principalis fortunæ cõstituisse, deinde Iulium quoque Cæs. præsidium illud sibi legisse, ac Romanos præsidiariam illic legionem aduersum Germanos continuisse, certo certius est, palatio publico Francorum Regum exornatum. Reginonis enim auctoritate si stabimus, Carolus cognomento Magnus Imp. tria regnis suis palatia primaria constituit, Neomagum, Aquisgranum, & Diuodurum seu Theodonis Villam. Idem ædiculam (quam Gerardus Neomagus Dijs Manibus consecratam fuisse autumat, quum fuerit monumentum Iulio Pudenti filijsque ab hæredibus factum) Christo Seruatori solemni religione dedicauisse,

arcem

arcem collabascentem reparasse, eamque editiore tribunali, in quo sæpe ius dixerit, condecorasse memoratur. Quia verò legitur etiamnũ in fronte monumenti epigraphe, quatenus ea legi potest, non alieno loco apponenda hîc visa est.

DIS MANIBVS
C. IVLIO CLAV. PVDENTI NEOMA. VET. LEG.
XC FAN. L. ET IVNIO F. EIVS H. F. C.

Vbi obiter obseruandum est peramplam atque illustrem fuisse in hac inferiore Germania cum imperio familiam Pudentium, cuius etiam in armamentario Romano fit in marmore mentio, vbi Valerium Pudentem Legatum Augustalem nominatim vocat. eiusdem meminit & marmor quod apud Elquastum oppidum extat tale:

Pudentiũ familia illustris.

L. VALERIO L. F. PVDENTI, HIC CVM ESSET ANNOR XIII. ROMAE CERTAMINE IOVIS CAPITOLINI LVSTRO SEXTO OB CLARITATEM INGENII CORONATVS EST INTER POETAS LATINOS OMNIBVS SENTENTIIS IVDICVM.

qui honos eadem ætate collatus legitur L. PVDENTI patri eius, decreta illi insuper statua ære collato ab vniuersa plebe municipij Isconensium. At istud inter corollaria relatum esto. Vrbs verò ipsa situ atque opere permunita est, prædiues, rerumque omnium affluens, quâ Cliuensem ditionem propinquam respicit, in arduum collem assurgit, cum vetustissima arce, Iuliano, vt vulgo creditur, opere, à qua parte nemorosis montibus & frequentibus fontium scatebris amœna regionis facies se aperit: diuersa vrbis ora in paludes depressior sidit, reliquum solum tumulo fermè perpetuo accliue est. Hanc ante annos tricenos vicenos Guilelmum Hollandiæ Principem iam Cæsarei tituli insigni donatum, tradunt Annales pignori oppositse Othoni Gelrio, cui certis nominibus grandem pecuniam debebat, ea lege, vt nisi definito tẽpore repræsentata foret, ius deinceps omne Gelrio posteriſque cederet. Huic natales suos debuit Franciscus Craneueldius Iurisconsultus primi nominis, Mechliniæ Præses, scriptis illustris: debet & Gerartus

Arx Neomagi.

Frãcisci Craneueldij laus.

Gerardus Falkenburgus. Falkenburgius Neomagus, iuuenis eloquentiæ & doctrinæ omnigenæ gloria cumulatissimus, qui nõ ita pridem in obscurissimo Nonni Dionysiacõn operę, iudicij peracris & firmi periculum cum laude adijt. Eandem patriam agnouit & Gerardus Neomagus, vir non indoctus, qui rhapsodiam *Gerardus Noniomagus.* Batauicæ historiæ consuit & publicauit.

TRAIECTVM.

TRAIECTVM, Antoniã dici passim inuenio, sed quo auctore condita, aut cuius memoriam repræsentet, latere atq. ignorari video: si tamẽ comminiſci aliquid à vero non absimile & cõiectura augurari in tam alta antiquitatis caligine licet, ad Antonium Primũ Senatorem & Legatum Vespasiani, cui cum Ciuili Batauo amicitia fuerat, originem nominis referendam putauerim, quem Senatoria dignitate exutum à Nerone, falsiq́ue damnatum, pristino inde restitutum ordini & loco memorat Tacitus: Aut ad M. Antonium Iulij Cæs. Legatum, quando Galliam Belgicam subiugauit, quorum alteruter in Batauiâ tum Rom. socia præsidiarium castellum Rheni supercilijs impositum condiderit, vbi in hybernis miles esset. Nec desunt qui titulum nominis M. Antonino Pio transcribunt, vrbis instauratori; quod sensisse videtur auctor inscriptionis quæ in aduentum ad vrbem Traiect. Philippi Regis posita legebatur:

ANTONINI PII IMP. FELICIBVS AVSPICIIS VRBS TRAIECTENSIS INSTAVRATA, FELICIORIBVS PERPIENTISSIMVM IMP. CAROLVM V. AVCTA FELICISSIMAM SE HOC PRINCIPE FVTVRAM HAVD DVBIA SPE CONFIDIT.

Sed qua ratione idem hoc loco Vetera Castra, operâ & virtute Romanarum legionum quintæ & vndecimæ defensa fuisse, in alia quadam epigraphe dicat, peruidere aut intelligere me posse nego, qui præter errorem in *vndecimæ*, pro, *vndeuicesimæ*, commissum, (ita namque habet Tacitus) nouam opinionem de Veterum castrorum situ, concepisse videtur, quæ plerique omnes in Xanthum Cliuiæ oppidum referunt,

referunt,quãdo loci positus aptissimè ad Taciti descriptionem,meo quidem iudicio, quadret. Traiectum postea per Vultas,seu procliuiore auribus nostris sono Wiltos gentem efferam, mutato nomine *Wiltcburgum* dictum, sunt qui contendunt,hausta opinione ex Sigeberto Geminiacensi, qui Wilebrodum sedem Episcopalem statuisse in loco *Vultaburch* nominato scribit,qui tunc Vultraiectum nuncupabatur,à Vultarum gẽtis nomine & Traiecto compositum, quasi *Vultarum oppidum*, à voce Dtecht/ qua oppidum denotatur,non à traijciendo; quod veritati quàm sit consonum, nescio; quum *Vultaburgum* ad Rheni ripam supra Traiectum ad duo aut amplius passuum millia sedisse res ipsa loquatur, vbi ad exsiccatum Rheni alueum vicino in agro accliuis collis rudera omnis generis, & elegantioris figlinæ fragmenta, ingentemque nomismatum ex ære & argento copiam, vel leuiter refossa humo, ostendit, vti ipse oculis aspexi: quam arcem Annales à Valentiniano euersam tradunt, alij per Abotritos gentem Francis fœderatam ac sociam,fuisse dirutam soloque æquatam loquuntur, idque testantur versus tabulæ inscripti in principe Traiecti æde. Postea Dagobertum Regem Clotarij Franci filiũ nomenclaturam vrbis appetisse perhibent, Traiectumque denominasse,quòd ibi traiectus esset & telonium, vbi & pro vectura,& pro negotiatorum mercibus stipes appendebatur: quasi non multo antè extiterit Traiecti mentio in Itinerario quod Antonino tribuitur. Inuenias & curiosa indagandæ originis ingenia, quæ ab Vlpio Traiano Germaniæ Domitiani temporibus Præfecto *Vlpitraiectum*, mox P. litera extrita in tot consonantium absurdo cõcursu, *Vltraiectum* appellatum existimant, quando idem & legionem tricesimam à se Vlpiam Traianam nuncupatam statiua sua habere iusserit supra Vetera castra Agrippinam versus,non longè fortassis à Burico oppido, propter Teutoburgiensis saltus,in quo Vari Legionumque reliquiæ insepultæ, tradente fama,fuerant,in oppósita ripa incipientis metum. Quando idem

Dtecht.

Wiltenburgh.

do idem etiam Legionem Traianã, quæ nunc Drecxhuijsa vocatur, ceu Traiani domicilium, de suo nomine appellari voluerit. Equidẽ mirari satis nequeo quid sensus mentis've fuerit Lazio, viro alioqui variæ lectionis, quo non potiùs obsessus fuerit veterno, quũ subductionẽ itineris à Lugduno Batauorum Coloniam vsque ab Antonino factam prosequens, Arenatium XXVIII. mille passuum interuallo, hoc est, septem Germanicis miliaribus dissidere ab Vlpia Traiana colonia scribit, atq. inde colligit postremum hoc municipium situm esse in Palatinatu haud longè *Bodobriga*, quæ vulgo *Popardia* audit. Idem auctor veluti è lethargo experrectus, Vlpiam Traianam, auctoritate Ptolemæi lib. Geograph. secundo, & item Antonini inter Vetera castra & Agrippinam Coloniam ab auctore collocatam, claris verbis dicit. Erroris ansam dedit homini, Arenatij & Antennaci (vti suspicor) cõfusio. Cæterùm quia inter ciuitates, quas à Iuliano Cæs. receptas scribit Marcellinus, inuenio *Vtricesium* (ita namque & legit & citat Lambertus Hortensius rerum Vltraiectinarum scriptor) aut constantiore lectione *Vtricesima* in priore editione, pro qua irrepsit in posteriorem *Tricesimæ*, facilè adducor vt credam isthic V.TRIC.LEG. STAT. hoc est, quintæ tricesimæ legionis statiua & hyberna fuisse, & ab ea nomen loco inditum, præsertim quum non abludat vocis vernaculæ sonus. Verisimile enim est barbarum vulgus & rude, altioris indaginis nescium, pro, V.TRIC. expuncta notula puncti intermedia, VTRIC. coniunctim legere cœpisse, vsuque prauam inualuisse consuetudinem, ad eundem planè modum, quo inoleuit error in vocabulo Cantstadt oppidi Sueuiæ, occasione inscriptionis vulgaribus obscuræ, qui solis literarum formulis nominis positum metiuntur: siquidem oppidi epigraphe in marmore incisa quum hoc modo se haberet, LEG.ANT.STAT. hoc est, Legionis Antoninianæ statiua, resectis prioribus duobus elementis, initio *Gantstat*, postero sæculo mollioré appellationem accepit G. in C. mutato, *Cantstat*, vt ostendit Ioannes Heroldus

Wolphangi Lazij lapsus.

Lambertus Hortensius.

roldus Germaniæ antiquitatum collector. Memini ante paucos hos annos quum Antuerpiani superbissimum illum & inexhaustæ magnificentiæ murum Caroli Imp. memoriæ, gratæ vetustatis exemplum imitati, consecrassent, excisis in marmore his literis pedalibus, CALOR. V. CAES. oppidanos & rusticanum vulgus promiscuè Senacum insciliæ notasse, qui Carolo quinque caseos impudenter deputarent, velut inusta nomini iniuria, ob CAES. quod plena scriptura caseum nobis signat, vbi vox eadem accisa Cæsarem denotet his qui peritiam antiquitatis ac nomismatum habent. Quare, vt ad institutum redeam, siquidem vera est & genuina scriptura Vtricesima apud Ammianum, fieri potuit vt in epigraphe vrbis cum nota intermedia vocabulum hoc pacto scriptum fuerit V. TRIC. vnde postea vulgares homines & peregrini nomen vrbis sollicitè legentes, coalita & coagmentata in vnum voce VTRIC expresserint. Ista mea est coniectura, quam profiteri visum est cum quadam stipulatiunculæ lege, quòd Pyrrhonios hac in parte sequar, & in tanta vetustatis obscuritate atque ignoratione nihil asseueratione velim affirmare. Hanc vrbem Nortmannorũ procella ab axe Boreali effusa, incendio corrupit, omnemque sexum ferro absumpsit, Alfridi Præsulis tempore, cui calamitati vt mederetur, Dauantriam & Tielam cum dominijs Carolus Imp. honorarij loco olim concessit, quòd propter excidium vrbis sedes Episcopalis Dauantriam translata fuerat, quam inde retraxit ad pristinos lares Baldricus Cliuensis Præsul, qui recidiuam vrbem posuit, muro fossisque adiectis. Olim Archiepiscopus primus institutus fuerat tẽporibus Iustiniani minoris filij Cõstantini à Sergio Pont. Wilebrodus siue Wigbrodus, vt alibi lego (nos ex Pontificum indigitamentis Willebrordum, tutelarẽ Diuum Harlemæi nuncupamus) cognomento Clemens natione Britannus, qui Frisios Christianæ pietatis rudimento imbuit, summæ sanctimoniæ exemplum, qui pòst relicto munere, velut oneri impar ad Treuirorũ Augustam concessit, quin- *Wilebrodus.*

toque ab ea vrbe miliario inter ardua & difficilia tesqua & montium iuga, constructit monasterium *Absternacum* nomine, siue abstinentiæ argumento, siue ab absterrendo dictum, quòd loci insolentia & asperitas homines haud difficulter absterrere queat, ne religioni operatos molestarent aut interuiserēt crebriùs, quod corrupta voce hodie *Echternacum* vocitatur, cui magna cum laude & pari pietate Antistes præfuit nuper medicati (vt creditum fuit) poculi hausta intermortuus Antonius Houæus Egmondanus nostrâs, rarum bonæ vitæ & doctrinæ inter barbaros illos ventres ornamentum. Huic vrbi cudendæ monetæ ius diplomate indulsit Otho Imp. eius nominis primus, gratificaturus Eggidæ coniugi, Baldrico tunc episcopo. Eam scimus populosam & præpotentem, sed quadragena hominum millia in hostem armare posse, quando ferat necessitas, impudenti, nec ipsi quidem ciuitati suarum virium conscia tolerando mendacio, scribit Dominicus Niger: quod virus hausisse eum è Raphaelis Volaterrani Commentarijs, & Æneæ Pij scriptis autumo, qui Præsulem Traiectinum quadraginta bellatorum millia ad bellum educere, in scripta retulerunt: quod potuisse olim loci Antistitem non inficias iuerim, si ciuitatibus omnibus & oppidis, quæ non pauca fuere numero, auxiliares copias & socios imperare necessitate extrema adductus, in animum induxisset. Id quod veritati consonum magis si Barlandus adiecisset, in eodem non inhæsisset erroris luto: tantas enim vires vix monarcha quispiam contrahat, multoque minus contraxisse iste Præsul vsquam in Annalibus lectus est. Addit & alterum errorem Volaterranus, qui Naualia Ptolemæi hoc in loco constituit, longissimè à vero exorbitans. Manifestus erroris deprehenditur & Otho Frisingensis Antistes Germanicarum rerum non inscitus scriptor, qui Traiectenses Frisijs adnumerat, propiùs collimaturus, si in vtrosque & maiores & minores Frisios iuris Ecclesiastici censuram habere Præsulem Traiectinum scripsisset. Porrò miraculi vice tradendum posteritati visum

Absternacum.

Antonij Houæi laus.

visum est memorabile, quod dum ædis Deiparæ Virgini ibi sacræ fundamenta iacerentur, vorago quædam se ostendit, quæ nulla cæmentorum farctura quum oppleri posset, non carbonibus (vt in palude nobilissimum Ephesinæ Dianæ templum firmatum fuisse legitur) sed solo taurinorum tergorum substrato puluino stetit: cuius rei memoriam tuetur basis columnæ voragini impositæ, haud inepto, vt tunc ferebant sæcula, districho consignatam,

Accipe posteritas, quod post tua sæcula narres,
Taurinis cutibus fundo solidata columna est.

BATAVODVRVM.

Inter oppida Batauiæ olim peculiaria, postea Traiectinæ ditioni per Imp. Francos (quorum propensus in Episcopatum suæ gentis singulari beneficio institutum fauor ac studium multis in rebus eluxit) admensa atque addicta, primum occurrit Batauodurum prærogatiuo alia omnia superans, vetustatis præiudicio, quippe cuius minimè ambiguam faciat mentionem Tacitus, postremo eorum qui ad nos peruenere libro, vbi Germanorum (qui postea Franci dicti fuere) manum scribit adnixam fuisse irrumpere pontem qui Batauoduri recēs inchoatus fuerat, ad elicem Rheni, Leccam nuncupatū, sed quia secunda legio (quæ & Augusta & Britannica cognominata fuit, depositā isthic post debellatos à Nerone Frisios) præsidio vrbem illam munierat contra vim externam nimium validō, frustra tentata irruptio spem oppugnatorum, qui aliqua in parte fortunam affore confidebant, eluserat. Vulgaris lingua oppidum istud vocat, seruato vestigio postremæ partis vocabuli, Wijck te Durstede/ recentior ætas Durostatum, quod ipsum euenit in Marcoduro, cui Dura nomen mansit, nimium duram fati legē ante annos aliquot à Caroleis experto, quod equidem miror cur Durostatum Batauodurorū appellarit vir quidam doctus, quasi Batauoduri populi nomen sit. Hanc opibus copijsque affluentissimam fuisse vrbem memorant Annales, in qua plura quàm quinquagena abundarint fana,

cui rei (pace dixerim bona Annalium) fidem derogare paratior sim, quàm adhibere, quòd existimem Francos Imp. pro acri & inflammato studio, quo religionem, per dispositos passim præsulatus, mactam volebant, tunc téporis beatam & florentem copijs vrbem, & ob antiquitatis nomen commendatiorem, istam potiùs ad eminentem honoris dignitatisq. apicem fuisse euecturos, quàm Traiectum minoris tum famæ vrbem, nisi si quis opponat in illa Sybaride maius auocamentum ab otio sacro nouæ religioni necessario illos Principes fuisse veritos, aut in obscuriore vrbe tanquam in mustaceo splendidã magis laureolam quæritasse: vtcunque sit, à Northmannis, qui cuncta ferro & incendijs fœdè absumpserunt, excisam dirutamque omnes fermè consentiunt, contractioribusque pomerijs inclusam. Locuples satis hac ætate est oppidum ob situm ad Rhenũ commoditatemque subuectionis rerum necessariarum. Distat Culemburgo ad milliare vnum, Traiecto ad tria: situ loci peramœno, habet arcem veteris operis non contemnendam, in qua fermè sedem habere solent Præsules Traiectini, non ob amœnitatem tantùm & omnigenam commoditatem quam locus vitæ præstat, sed quod veluti secessus quidam sit secretus à turba interpellatorum, ita extra vsum vulgarem positus, quod in magna cùm sacrorum, tum profanorum frequentia euenire necesse est.

GRINNES.

Paret etiam hoc oppidulum Traiectino Præsuli, vetus reuera, Tacito non indictum, apud quem libentiùs Rhenes, quàm Grinnes voce Romanis absona legerim: quod à Classico præfecto alæ Treuirorum, militiæ togæq. artibus iuxta claro, qui cum Ciuili Batauo causam suæ gentis coniunxerat, strenuè oppugnatum fuisse scripto prodidit, fortiusque cum multorum virorum fortium cæde defensum, quòd in eo castra essent cohortium alarumque. Situm habet ad Rhenum quarto à Traiecto milliari, muris arduis & vallo cinctum, Diuæ Cuneræ, quam à Chunnis faucibus

Diua Cunera.

oblisis

obliſis laqueoque fractis interemptam loquuntur Annales, indigetum genti nuncupati,& quam cuſtodem ac tutelarem ſanctè venerantur oppidani,ſacrum.

AMERFORDIA.

Amerfordia à traiectu Amiſi, qui fluuius vulgo Eem dicitur,ſeq. in ſinum Batauicum exonerat, nomen ſortita eſt, quam Amerfurtũ eadem lege nominare malim,qua Francofurti quàm Francofordiæ appellationem multi præferre videntur,propterea quòd in furt/nõ præſidij aut munimenti,ſed traiectus ſignificatio inſit. Oppidum iniurijs Gelriorum obnoxium, quas non ſemel olim expertum fuit,neq. ita pridem,quando ad annum CIↃ IↃ XLIII. per deditionem occupatum à Martino Roſſemio,qui Iuliacenſis Reguli auſpicijs militabat,dicenda tacendaque paſſum, ad arbitrium libidinemque victoris,omni argento facto infectoq. exuitur,mundum muliebrem ornatui comparatum ſexui imbelli tradere iuſſo. Amiſus in Velauia ortus, medium oppidum intermeat, ab oriente ſole Velauia adiacet, in meridiem obtenduntur longo tractu arenoſi colles. Populus eſt ferox & martius,quique occupato per proditionem Traiecto ad annum ſeſquimilleſimum duodetriceſimum Henrico Bauaro Epiſcopo ſtrenuam operá nauauit in vlciſcendis militariter iniurijs,edendiſq. præſidiariorum ſtragibus. *Amiſius fl.*

MONFORTIVM.

Monfortium non ignobile oppidum opere ſituque loci munitum, præſidij cauſa à Gotefrido Præſule Traiectino olim ædificatum ad excludendam vim & arma ab Hollandia ingruentia,poſitum ceu in triuio, punctique obtinens vicem,quippe intra ambitum trium pari interuallo diſtantium oppidorum concluſum,quæ ſunt, Iſelſteinium, Oudewatera,& Woerdenum. Aſſidet Iſelæ fluminis ripæ, arcemque habet,cuius vicarium dominium eſt penes Dynaſtas Monfortianos. Atque iſta quidem Traiectinæ ditionis tutelam agnoſcunt oppida. Iam ſunt & in veteris Batauiæ gremio bina quæ Gelriæ peculiaria ſunt, Hueſſenum

& Tiela, & bina alia quæ Dynastas suos habét, Bura & Culemburgus. Primum illud exigui momenti oppidulum est,

Hueſſenam.

Tiela.

Rheno contiguum, & telonij iuræ notũ. At TIELA in dextra Vahalis ripa, oppidum est vtcunque frequens, oblonga facie, hinc palude prætextum, inde Rheno obsitum, suburbio in septentrionem obuerso, quod propugnaculi vicem præstat, & natura & opere longè munitissimũ, quod olim arcta obsidione circundatum à Belgis, inanes eorum conatus facilè contemsit, & pericula exiuit non sine illustri honoratæ militiæ exemplo, adiuuante obstinatam animorum voluntatem partium studio, quæ gloriæ dignitatisq. æquationem in inferioris conditionis ductore inuidebant. BVRA distat Tiela milliarij interuallo, mediocre fortunis ædificijsque oppidum, Comitatus dignitate celebre; quod Lazius multijugæ lectionis scriptor Burtinatium Antonini esse iudicat, opinionis minimè certus, vbi sextæ Legionis statiua fuisse autumat: adsitum est exiguo riuo, quem molariam fossam vulgo nominant, non procul Linga amne. Arcem habet multo omniũ validissimã; paret Philippo Guilelmo Arausini Principis primogenito, summæ spei adolescenti, nepoti Maximiliani Burani Comitis, illius qui circumferendo arma Palladis instar Gorgoneum caput vibrantis, pauorem quaquauersum aduentu suo populis incusserat, qui cum Antiocho fulminis cognomẽ, cum Pyrrho Aquilæ potuerat tueri. Hæc Oberti Gifanij patria est, qui famam laboris æmulam laudemq. cum doctissimo Lambino participare in restituendo Lucretij poëmate studiosè sategit.

Bura.

Maximiliani Burani laus.

Obertus Gifanius.

Culemburgus.

CVLEMBVRGVS Buræ vicinus adiacet alueo sinistro Leccæ fluminis, territorium habet locuples, lateq. patens, non ita pridem Comitatus titulo honorario illustratus, Philippi Regis beneficio, nuper etiã in fatali isto calamitatum, quæ totum inuoluerunt Belgium, diluuio, latam fugam Dynastæ sui iniquis oculis contemplari coactus. Velauia quoque, nunc iusta Gelriæ portio, olim à socia Germanianum tellure violenter per Drusi exercitum absciſſa, immisſoque

Velauia.

soque Rheno diuisa, atque ita Romano iuri cum Batauia haud aliena, sæpe illis auxiliares copias Germanorum cis Rhenũ sitorum appellatione, vti Tacitus testatur, notas, ad belli vsum euocantibus, hac tempestate Hollandiæ contigua, sed vt peculiaribus legibus addicta, ita maiorum nostrorum ætate illi infesta atque inimica. Hæc sabuletis, ericetis, & collibus alicubi minus fertilibus, vastaque eremo incultior, cespitumque fodinis paratior, neque subsessorum latrocinijs olim ignobilis, quina habet oppida, inter quæ caput Velauiæ Arenacum, & Vada, Rheno assident, Hattenum Isalæ; maritima sunt Elburgum, & Harderuicum. *Cisrhenani Germani.*

ARENACVM, docui antea Arneheimum, quasi imperialis aquilæ domicilium hodie vocari, Concilijque primarij ditionum Gelriæ Zutphaniæque sedem, nõ longè bifidum Rheni diuortium spectare, copiosum, elegans, & omnibus modis munitissimum oppidum. Hoc loco addendum è vetustate, ista in vrbe statiua fuisse Legionis X. quod auctoritate Taciti cõstat, quam à cristatarum cassidum insignibus, Gallico vocabulo Alaudam dictam Cæsar fidem facere potest, quanquam & Veterana & Germanica eadem pòst appellata fuerit: quam propter virtutem maximi semper ille fecit, & in rebus dubijs vsus feliciter fuit: quam ita quoque adamauit, vt quum ipsa ob excitatum tumultum militari more decimationem (id est, animaduersionem capitalem in decimum quemque militum) flagitaret, noxæ eam exemerit: quam denique vniuersam compositis bellis ciuitate donauit, quòd disciplina cultuque Romano instituta præclarè ornataque esset. VADA, Tacito dictum oppidum, quod Vaganum alij nominant, olim Rheno adsitum, nunc vicinum, solo palustri & argilloso inædificatum, natura & opere validum, quondã irrita oppugnatione à Ciuili Batauo tentatum, dum hic odij procax infestis armis oppugnandum sibi nepotem è sorore Iulium Briganticum destinat, ille pertinaciore sed exitioso sibi odio auunculum repellit, inter fortissimum quemque fortiter pugnando desideratus. *Vada. Wagheningh.*

Hattenum

Hattenum. Hattenum in læua Isalæ ripa situm, oppidulum exiguum & lutulentum, sed aduersus vim validum cum arce munitissima. ELBVRGVS ad interiorem freti Batauici sinum in littoris crepidine sedet, oppidulum quadratum, piscario negotio deditum, rerum alioqui egens, quod olim inter bella bonis fortunisque alienis deprædandis instructius fuit, quàm locupletando externo hosti. Harderuicum, pastorum seu opilionum perfugium sonat, Batauici in sinus littore seu æstuario potius sedet, quem multis annis infestum myoparonibus habuit, viuente Carolo VIII Adolphi Impij filio, viro mauortio, & (quod de Attila dictum fuit) flagello Dei in finitimos. Oppidum est valdè munitum opere, cum arce: quod ignis depastus fuit ad annum salutis tertium supra sesquimillesimum, tam furens & violentus, vt totum intra tres horas conflagrarit, fortunis corruptis omnibus, cũ multorum etiam interitu, sartis tectis seruatis quinq. aut summum sex ædificijs: oppidani piscatoriam fermè exercent. Eodem in littore, sed extra Velauiam, sui iuris solum habent Campi, ad sinistram Isalæ ripam, secundum amnis decursum opportuno loco situm oppidum, circuitu amplum & spatiosum, ædificijs splendidis & elegante structura superbis, ponte sublicio coniungitur cum Transisalana vetere Francorum ditione, vt docuisse me puto. Hanc vrbem volunt esse Naualia Ptolemæo sic dicta, fortè quòd eo loco nauigia quæ aduersum hostes & piratas instruebantur, illic apparari aut stationem habere consueuerant. Bilibaldus, alijque Portum Manarmanis appellant. Porrò sint'ne multitudinis numero Naualia Romano more dicta, an vnitatis numero Naualia primæ inflexionis, ambiguum me fecit Taciti locus in fine historiæ, vbi de loco conuentui inter Cerialem & Ciuilem delecto hunc in modum loquitur: *Petito colloquio, scinditur Naualiæ fluminis pons, in cuius abrupta progressi duces*. Videtur enim indicare apud Naualiam pontẽ sublicium fuisse destinatum cõgressui colloquioque ducum, eum, inquam, pontem qui flumen Isalam

Elburgus.

Harderuicũ.

Carolus Gelrus flagellum Dei.

Campi opp.

Naualia.

Manarmanis portus.

continenti

continenti iungit, cuius vtrinque asseres & tigna securitati vtriusque abrupta fuerint & sublata, ne per comparatas insidias alterutri periculum crearetur: neque videtur vsquam locus aut pons super Rheno opportunior commodiorque colloquio potuisse tunc extare aut à nobis excogitari: tametsi illic loco Naualiæ Beatus Rhenanus substituendum Vahalis censet. Hos Camanos quasi Campanos Antonius Scoonhouius nostrâs vir non infeliciter in historijs versatus, esse iudicauit, ac trans Isalam, qui cursum postea mutauit (vti constat) olim sedisse.

Taciti locus.

Camani.

CAP. XII.

De CL. *Ciuili regia Batauorum stirpe nato.*

PRIVSQVAM res militiæ cum magna laude gestas à Ciuili describam, non alienũ rationi nostræ fore existimaui, si quæ de eo passim memoriæ prodita extare memini, sub vnum quasi obtutum congesta proferam. Fuit CL. Ciuilis summo inter Batauos loco, regia stirpe multo cæteris illustrior, solers ingenio, militaris disciplinæ laude clarissimus, dux exemplo, miles facto, nullius laboris fugitans, & qui benè gerendæ rei occasionem è manibus elabi nũquam passus est. Animũ eius in periculis adeundis vt cætera prælia fortiter decertata, ita & postremum illud apud Vadam (Vaganum nũc vocamus) quam oppugnabat, ostenderunt, vbi in retinendis suis fugientibus in extremum vitæ discrimen coniectus Rhenum transnatare coactus est. Altero lumine orbus fuit, quam oris fœditatem nõ modò non ignominiosam duxit, vt caluitium Iulius ac Domitianus, sed vt decus & ornamentum virtute emptum verbis etiam vltrò ostentauit, laudata oculorum in spectatissimis maximisque ducibus orbitate, inter quos præter Philippum Macedonem, (quem Arimaspis genti vnoculæ cognatum falsè vocabat Aristides) Sertorium summæ sed calamitosæ virtutis ducem, & Hannibalem Pœnum repræsentabat, quorum ille dum manum ipse conserendo impigrè periculis caput

Cl. Ciuilis.

Vada, hodie Waghening-ghe.

primus obiectat, hic dum munia ducis obit, contracta è peruigilijs lippitudine, alterius oculi vsum amisere: quod malè intellectus à nonnullis Tacitus minimè dissimulauit his verbis; *Ciuilis vltra quàm barbaris solitum, ingenio solers, & Sertorium se aut Hannibalem ferens simili oris dehonestamento.* malè intellectum dixi, quòd nouerim qui arrogantiæ Ciuilem hîc insimulari autumant, quasi qui iactantiùs & non sine probro se cum fortissimis clarissimisq. ducibus æquauerit, quorum nominibus in re manifesta turpiter errantium, honoris causa parcetur. Eam fortissimi ducis gloriationem è laudis ac honoris studio profectam, nemo honesti æquus arbiter vitio verterit in illo magis, quàm in hoste Philippo prædicat Demosthenes, qui artus suos (vt ait) fortunæ prodigendos dederit gloriæ cupidine, nempe oculum Asteris Sagittarij telo euerberatum, clauiculam humeri perfractam, & crus mancum: quando & Sertorium aduersas semper ostentando cicatrices orbumque lumen, maximè gloriatum ceu præcipuo ornamento Plutarchus dicat: quem Sallustius quoq. in historijs quum laudat, quod compendio & quæstu gloriarum, fortunæ arbitrio membrorum iacturam permisisset, dicit illum maximè lætatum fuisse eo corporis dehonestamento, effosso videlicet oculo. Ciuilis veteri gentis Batauæ instituto cohortem rexit, quod & in oratione apud Montanũ Treuirum ipse fatetur, vnius cohortis præfectum se vocans, quo in munere viginti quinque annos consumpsit stipẽdia Romanis faciendo. Fratrem habuit Iulium Paulum, fortissimũ ducem, quem Fonteius Capito auaritiæ & libidinis fœditate maculosus, falso rebellionis crimine obiecto interfici iussit, vt testatur Tacitus, cuius immeritam necem graui oratione deplorat ipse apud Alpinum Montanum, conquestus egregium se pro laboribus periculisque quæ tot per annos pro Romanis dominis exhauserat, operæ pretiũ tulisse, nempe fratris interitum, iniectas sibi catenas, & exercitus sæuitiam, qui sua scelera supplicio ipsius expiari flagitabat. Constat autem Ciuilem compe-

Lib. 20.

Taciti locus explicatus.

Iulius Paulus frater Cl. Ciuilis.

compeditum iussu Capitonis ad Neronem fuisse destinatum, sed eo tyranno interea temporis è vita sublato, quæ res illi salutem peperit, Galbæ beneficio absolutum ac dimissum, neque toto vertente anno, rursus ab exercitu appetitum & supplicij capitalis postulatum, initio principatus Vitellij, qui periculo virum exemit ob potentiam & auctoritatem, qua inter Batauos eminebat, ne gentis bellicosæ studia ac voluntates supplicio illius ab se alieno tempore auerteret, tum vt cohortes lectissimorum militum Batauorum, quæ in ciuitate Lingonum consederant, sibi eo facto conciliaret atq. obstrictiores redderet, quæ vtramq. (quod dicitur) paginam facere, & magnum in alterutram partem vel amicæ vel aduersæ momentum adferre poterant, eæ namque discordia temporum (quæ breui interuallo plures Imperatores salutauerant) à quartadecima legione discessionem fecerant. Vxorem habuit, ex qua virilis stirpis prolem suscepit, cui etiamnum paruulo captiuorum quosdam iaculis puerilibus sagittisque configendos obiecisse patrem Tacitus ex fama refert. Eum filium inter motus Germanici primordia deprehensum, Agrippinenses honoratè custodiuisse ex eodem constat: cuius beneficij memoria flexus pater, obstitit quo minus in excidium vrbis direptionemq. Germania proruerit. Vxorem flagrante bello Germanico apud Agrippinam Coloniam fœderatam vrbem cum sorore sua, pignora societatis deposuerat, proditas pòst leuitate & perfidia Agrippinensium, post malam pugnam vecordia Germanorum commissam, qui omissis telis, manus Romanorum spolijs impediuerant. Soror illi fuit fœcunda plurium liberorum genitrix, inter quos numero Iuliũ Briganticum animo perduellem ipsi, & Claudium Victorem, ac Veracem, auspicata nomina, vtrunque studiosum Ciuilis cultorem: quorum ille promptissimum quemque aduersus Dillium Voculam duodeuicesimæ legionis legatum, ab auunculo missus duxit, eiusque castra ingenti strage compleuit: hic præsidium Romanorum, quod Vadæ inerat, con-

iunctis cum auunculo copijs fortissimè oppugnauit. Tertius filius Iulius Brigantícus, quem nominaui, alæ equitum præfectus, fidem Romanis datam ad extremũ vsque spiritum obstinatè coluit, inexpiabili & pertinace odio (vti plerunque proximorum inimicitiæ solent esse acerrimæ) aduersus Ciuilem auunculum imbutus, qui cum fortissimis quibusque interemptus cecidit, quum ad sustinendam vim & impressionem Batauorum apud Vadam Renesque pugnantium, impar esset. Fuit autem Ciuili vetus consuetudo & obseruantia erga Vespasianum pòst Imperatorem, ob militarem industriam, mutuamque illi amicitiam, quamdiu priuatus ille fuerat, aluerunt; quin & prætextu illius amicitiæ à Vitellio, non sine ingratitudinis quadam macula, defecisse legitur, eoque sublato iugum Romanorum à ceruicibus deiecit, Batauiamque in libertatem asseruit, vicinas ferè gentes omnes Germaniæ Galliæq. in socium bellum conuoluit. Quo ex facto considerare possumus & animo colligere quanta viri auctoritas, quanta eloquentiæ in persuadendo bello difficillimo vis atque pondus fuerit. Hæc ferè de viri conditione, ingenio, & familia comperi, nunc reliqua viri præclara bello facinora detexere aggrediar, vestigijs inhæsurus Taciti, qui Belgicæ rationes olim procurauit & exacta fide cognitas percalluit. sed priusquam ea enarrem, digrediendum mihi erit & explicandum, quæ res vt alias nationes, ita Ciuilem quoque bellum sumere iustaq. arma induere compulerint. Ei rei ansam dedit Roman. intolerabilis ac nefaria crudelitas, tyrannica violentia, & auaritia insatiabilis, id quod non dissimulat locuples testis Corn. Tacitus fidei in historia integer, Britanniæ rebellionem auaritiæ legatorum centurionumque imputans, quando extincto Icenorum Rege vastatum fuit eius regnum per Centuriones, domus per seruos, ipsa Regina Boudicia siue Voadica (vt alibi nominatur) verberibus consecta, violatis stupri iniuria filiabus, & primoribus auita hæreditate ac bonis exutis, haud aliter quàm si regionem vniuersam muneri accepissent.

Iulius Brigantícus.

cepissent. Idem non obscurè Frisios Transrhenanum populum corrupisse pacem cum Romanis memorat, magis implacabili cupiditate illorum exacerbatos, quàm quod obsequij impatientes fuerint. Nam quum Drusus exiguum illis tributum imperasset, rebus illorum angustioribus, annuum bubulorum tergorum numerum in militares vsus, non adiecto mẽsuræ modo aut firmitudinis ratione, Olenius quidam Frisiæ procurator à plebecula vrorum (ij in taurorum genere immani corporum mole sunt beluæ, inuijs Germaniæ saltibus frequentes, Frisijs nullæ) coria asper & improbus exactor flagitauerat, cuius libidini quum omnia cessissent, principiò bobus, mox agris, demum etiam liberis corporibus seruitio traditis, vbi reliqui iam nihil esset, quod implacabilem illum sinum ac voraginem expleret, cõuersa in rabiem sera patientia, sumptis armis iniurias vltum eunt, suffixis patibulo militibus, qui præsentes tributo aderant, fuga celeri elapso duce in castellum Fleuum, alioqui seruili supplicio iniustam dominationem expiaturo. Quoties Romani securos datæ fidei hostes, præter belli legem, quæ hosti quoque fidem seruat, trucidarunt? Seuerus militiæ dux Valentiniani principatu Saxones, quibuscum inducias pepigerat, ac datis obsidibus solutiùs iter facientes, ex insidijs abdita in valle abstrusis ad internecionem vsque fraudulenter cecîdit, teste Marcellino. Eadem doli mali libidine vsus Iul. Cæsar quum permulsis confirmatisque legatorum (quos Germani paciscendi causa miserant:) animis, ob tridui inducias securiores, immisso equitatu fœdissimè profligauit. Nónne Iulianus nefario exemplo Guldemundum Romanis fœderatum pacisque vinculo obstrictum, & intemerata fide clarum per insidias interemit? Gabinium Quadorum Regem à conuiuio ad quod rogatus venerat, digredientem, post hospitales epulas, officij sanctitate immani scelere violata, trucidatũ Valentiniani Imp. permissu scribit Ammianus, cuius facti atrocitate efferatæ gentes ingentem Romanis finibus cladem intulerunt. Eodem modo Paras

Lib. 28.

Lib. 16.

Lib. 19.

Armeniorum Rex nihil hostile à Rom. duce metuens, vocatus ad conuiuium hospitale Valentis iussu, inter epulas etiam barbaris sacrosanctas ac reuerendas, perforato pectore miseranda victima concidit, dispersis maximo horrore (vti par erat) conuiuis. Quid de Valentiniano adhuc dicam, qui curam omnem eò contulit, vt Macrianum Alemannorum Regem ob nimiam potentiam sibi suspectum, vel vi vel occultis insidijs tolleret immissis percussoribus? sed quum ille velociori carpento impositus dolum manusque euasisset, mirum quàm tristis frustratum successum indoluit, vt idem historicus scripto prodidit. Eadem caussa Dalmatis motuum occasioné aperuit, nihil dissimulante apud Tiberium Batone rebellionis auctore, qui pro se & cæteris pactus liberum commeatum, fide publica in castra Rom. venit, perductusque ad Tiberium pro tribunali sedentem, interrogatus cur motus illos concitasset, negauit illi, se crimini obnoxium, quin potius Romanos eiusce rei auctores fuisse, qui non pastores aut canes tuendis gregibus præficere, sed dilaniandis lupos immittere soleát, vti Dion Nicæus scripto mandauit: quod ingentis spiritus heroïcique pectoris viri dictum liberè castigantis flagitiosos Rom. mores dignissimum quod memoria teneatur, mihi videtur. Hinc est quod Arminius ille assertor Germaniæ, pugnam aduersus Cæs. Germanicum initurus, milites suos pugnam poscentes admonet, meminisse auaritiæ, crudelitatis, & superbiæ Rom. vt præ oculis habeant ea præcipua & notissima omnibus crimina in hoste notata, à quibus vel glorioſa morte, vel bellica virtute vindicare se possint. Nõ minor itaq. (vt ad carceres redeam vnde euolaui) sæuitia & dominationis impotentia, tyrannis denique nouandarum rerum occasionem Batauis attulit: Nam quum gens ista à vectigalium oneribus immunis, virtutis merito & socia haberetur, solumque viros at, ie arma ministraret imperio ad stipendium & ductu nobilissimi cuiusque è suis popularibus (magnum priuilegium) non autem Romanorum, militiæ operam

Lib. 30.

Lib. 29.

Lib. 56.

ram nauaret, fortè iussu Vitellij Batauorum iuuentus ad delectum excita, dabat nomina; ibi tum ministri cogendis cohortibus præpositi, auaritia & fœdo luxu onerabant magis ac magis delectum, suapte natura grauem & molestum, quando vel ætate fessos atque inualidos conquirunt, vt certo pretio repræsentato dimitterentur, vel annis impuberes, sed forma & liberali specie conspicuos ad stuprum rapiunt. Ea ex re orta inuidia, mox concitata seditione gens delectum abnuit: gliscentem populi motũ iuuit Ciuilis, de quo sermo est, qui primoribus gentis & inter populares præcipuis, quos in sacrum nemus (sunt auctores qui apud Vorburgum fuisse autumant, vulgo Scaecken bosch / voce non multum à veteri appellatione absona, vt à me alibi dictum est) epuli obtentu conuocarat, post cœnam & liberalius symposium in multam noctem extractum, vbi mero incaluerant animi, orationem inflammandis animis comparatam, aggreditur, exorsus à bellica laude & immortali gentis gloria armis factisque stipendijs toties illustri, illis ob oculos exponit iniurias, raptus, iugũ plus quàm seruile, legatorum vitæ necisque ius è libidine statuentium imperium, sanguinis & fortunarum vilitatem, quæ ex arbitrio præfectorum & infimæ conditionis Centurionũ pendeat; ingeniosa prædandi exhauriendiq. sui vocabula in varias mutata species, quæ hirudines illæ ad viuum cuncta exsucturæ, noua semper excogitent: præfectorum frequentes mutationes, qui postquam sanguine & spolijs regionum ditati, tanquam spongiæ, intumuerint, ad Vari Quintilij exemplum, pauperes diuitem ingressi prouinciam, eam opulenti pauperem relinquerent, pro brutis, quasi præter vocem & membra nihil haberent hominũ, subditos habentes. Addit sub ficto societatis olim validæ, nunc morientis nomine, grauia imponi onera, libera iuuenum corpora ad nefarij stupri consuetudinem abripi, in foribus adesse delectum, qui charissima pignora à parentibus diuelleret, fratres consanguineosq. arctissimo necessitudinis vinculo coalitos suprema quasi

sorte

sorte dissociaret. Docet res Romanas grauiter esse affectas ac penè profligatas, intestinis malis conuulso imperio, quod affectantes plures sanguine mutuo licitentur, militem qui in hybernis sit præsidiarius, emeritum esse & senio fractum atque exoletum, nomen magis quàm robur, non esse metuenda nomina inania & simulacra quædam legionum: esse sibi integram militiam, peditum equitumque manum validam, Germanos habere vicinos, cognatione sanguinis sibi iunctissimos, caussæ futuros vindices & adiutores, Gallias quoque à tristi seruitio anhelare communem libertatem, Romanos etiam ipsos belli potiùs spectatores fautoresque fore, quàm ex professo aduersarios, siue ob partium studia, siue quòd Vespasiano omnia conturbanti, vtcunque res cadant, belli ancipitem fortunam sint imputaturi. Dicta viri non dissonus fremitus, sed vnanimis omnium consensus comprobauit. Itaque ritu patrio conceptis iurisiurandi verbis omnes obstringuntur, illo sacramentum præeunte, ac desertoribus compositas diras carmine solenni imprecantur. Interim priusquã delectus qui mandato Vitellij nouus haberi debebat, appeteret, tota Batauorum ciuitas pertinaci consensu respuendum illum prorsusque repudiandum decernit, deinde per admissarios qui seditioni alimenta suggererent ac per nuncios & occultas literas Caninefatũ bellicosa gens & fœderata in belli societatem pertracta, sollicitata insuper clandestinis tabellis Britannica legio. Tum destinatos iam hostes astu eludendos ratus ac Lysandri consilium secutus, Leoninam vbi non sufficeret, vulpina assuta supplere cogitans, Vespasiani amicitiam militiæ rudimentis partam, illiusque partium studium prætexit, quo obtentu cohortes Batauorum & Caninefatum, iussu Vitellij, qui principatus titulũ iam circundederat, accitas per nuncium reuocat Magontiaco, quò peruenerant vrbem petituræ. Dum hæc aguntur, primi Caninefates non diu moram nectunt, Brennonem proiectæ audaciæ virum, sed illustri inter suos loco natum, ducem creant; humeris succollantium

lantium more patrio iactatum vibratumque in clypeo. Is confestim collecto tumultuario milite & euocato Frisiorum agmine, improuisò cohortium Romanarum hyberna opprimit, castra diripit, lixas & negotiatores Romanos latè dispersos inuadit, castella exscindere apparat, quæ ipsi cohortium præfecti incendio corrupêre, quòd ad arcendum hostilem impetum minus essent valida. Signa & quicquid Romani erat nominis, in superiorem insulæ tractum fugam intendunt, Aquilio primipilum ducente. Conuersus ad dolum Ciuilis præfectos probri incusat, ob desertas castellorum stationes & munimenta aduersus incursantium iniurias satis firma: curarent sua quisque, hybernacula reperere admonet, se cum copijs suis tumultum repressurum. Fraudis suspicionem mouit vltroneum consilium, quasi diuulsa ac distracta exercitus membra facilius opprimi conficique, vt res est, possent. Neque diu stetit occultum consilium, quippe quod è latebris erupit per Germanos (ita Franci nominabantur) proditum. Postquam insidiarum apparatus spes euanuit, vim apertam parat Ciuilis, Batauos, Caninefates, & Frisios generatim, in singulos quamque gentem cuneos distributam componit, atque ita instructas copias secundum amnem Rhenum in hostem ducit; vtraque acies auidè se offert certamini, quod haud diu æquo marte gestum est, transitionem ad Ciuilem faciente Tungrorum cohorte, qua repentina inclinatione rebus per socios proditis, ingens occisio & cædes perpetrata est. Parem fortunam sensit hostilis classis, quæ perfidia vectorum & remigum (quorum non minima pars Batauí erát) in manus hostium venit, dum ficta quadam imperitia non modò nautarum, sed & propugnatorum munijs officiunt, eaque turbant, aut de industria puppes ripæ hostilis crepidini obuertunt, aut denique rectores nauium & præfectos militares, nisi secum consentientes, interimunt: qua ratione quatuor & viginti naues partim captæ, partim perfugio vsæ hostium se potestati permiserunt. Ea victoria, quæ paucorũ sanguine Ciuili

ſterit, vt per ſe illuſtris in præſentia, ita magno deinceps vſui fuit: Nam præter celebre patriæ liberatoris nomen iam partum, famamque inclytam per Gallias Germaniaſque latè vulgatam, non ſolum nauibus armiſque, quarum rerum fuerant inopes, potiti ſunt, verùm etiam vna iſtius momenti ope in auxilium opportunum vicinas Germaniarum nationes attraxerunt Batani, miſſis ad id legatis belli ſubſidia confeſtim promittentes. At cum Gallijs alia ratione coire belli ſocietatem, eaſque ad amicitiam adiungere ſatagebat Ciuilis, verſatili ad omnia ingenio, nimirum vt beneficijs doniſque ad vſus ſuos traduceret, dum cohortium præfectos, quos hoc bello ceperat, gratuito & ſine mercede dimiſſos, in ciuitatem quemque ſuam ablegat: militem gregarium ab armis dimittit, facta optione & delectu libero vel abeundi vel manendi: illîc ſpolia proponebantur hoſtilia, iſthîc honorata & ſtipendiaria militia. Interim non ceſſat ſecretò omnium aures imbuere ſermonibus, inſtillâs identidem malorum infinitorum ærumnoſam recordationem, quæ tot per annos indigna perpeſſi fuerant, in graue & longum ſeruitij iugum, falſo pacis nomine velatum, præcipitati. Nos, inquit, quota Galliarum pars Batani, vacui licet à vectigalibus & tributorum oneribus exempti, arma tamen induimus, vt impotentem ac ſuperbum Romanorum dominatum, quem nobiſcum communem ſuſtinetis, & quo libertas omnis armis victa penitus concidit, exiremus, & acceptum à ceruicibus iugum deijceremus. Primo prælio fuſa à nobis illorum eſt acies, caſtriſque exuta: quid futurum auguramini, ſi Galliæ arma expediant, & coniunctis viribus ſeruitium excutiant? Italia præter exercitum aduenam & è prouincijs collectitium quantulum obſecro virium armis onerare poteſt? quibus deductis legiones certè perpaucæ defenſioni, multo minus inferédis ſignis reliquæ ſuperſunt. Id enimuero neruis omnibus contendunt Romani, vt mercenario prouincialium ſanguine, quem vilem habent, prouincias debellent, hauq ſuo. Non ſubeat vos cogitatio de

Iunij Vindicis acie, qui defectionis auctor concitatorq. aduersus Neronis tyrannidem, cum viginti Gallorum millibus commisso infeliciter prælio, suis ipse manibus mortis arbitrium occupauit, temeritatisque pœnas à se ipse exegit: is namque exercitus prauo consilio ac vi quodammodo ducem suum, aurigæ moderari habenas impotenti non dissimilem, ad arma impulit, ipse lingua bellare, quàm manibus rem agere instructior: ne nunc dicam quòd à Gallis & Germanis Rhenum accolentibus proditus fuerit & concisus. Heduos à lymphatico duce, qui se pro Galliarum assertore ferebat, in arma tractos, & Aruernos itidem nouas res molientes, Batauicus equitatus profligauit. Verginius Rufus nullo ducum, seu nominis claritate, seu rerum gestarum gloria inferior, qui maximum momentum rebus Romanis à tyrannide vindicandis & consopiendis Gallicis motibus attulit, is inter auxilia cõtra Gallos etiam Belgarum cohortes habuit. Itaque verè dicere licet Galliam suis ipsam viribus occidisse. At verò nunc par est & æquata vtriusque partis conditio, nihiloque inferiores nos Romanis deputo: nam vt illis in castris vigeat militaris disciplina, neque penes nos sepulta eadem iacet. Est nobis veteranus miles, à quo concisæ nuper Othonis validæ legiones. Patiantur illi seruitutis vincula, quibus inuisa libertas, qui Regum Imperijs assueuere, id quod Syria facit & Asia, totusque Oriens, quæ gentes sub impotente dominatione vitam trahere in beneficij loco ponunt. Multos esse in Gallia superstites, qui ante inuecta tributorum onera sunt geniti, ambiguum non est. Stragis beneficio, qua Varus Quintilius virtute Arminij liberatoris cum legionibus cecidit, Germania respirans seruitutem exuit: quo bello tentata fuit & prouocata potentissimi Imperatoris Augusti patientia, non autem Vitellij, apud quem gulæ studio infamem, cuncta temulenta, & perui-
gilijs Bacchanalibusque, quàm castrensi disciplinæ propiora sunt. Cogitate vobiscum naturæ beneficio libertatem omni animantium generi concessam, eamque non ab hominibus

modò, sed à brutis quoque expeti. Deinde in virtute verum decus esse positum, quippe qua nō proprium magis bonum habeat homo. Adde quod ope & auxilio Deorum fortiores iuuantur. Proinde oblatam occasionem ne amittite, quin vacui & expertes bellorum, occupatos impeditosque, integri fessos longis militiæ laboribus, opprimamus, dum diuersis in Vitellium Vespasianumque studijs distinentur. Facilis est & expedita via qua vterque occupari possit. Hæc similiaque spargebat Ciuilis, ad auxilia è Germanijs Gallijsque intentus: creditusque fuit duas & opibus & potentia florentissimas nationes imperio suo fuisse adiecturus, si peruenire ad institutum sibi propositum ac spe destinatum potuisset. Primos Ciuilis motus conatusque non modò non prohibuit, verùm etiam aluit auxitq. Hordeonius Flaccus, consularis ac superioris Germaniæ exercitus legatus, quippe qui consilio monitisque haud obscuris illum instruxerat, vt auxiliares Batauorum copias Vitellij imperio accitas ex itinere reuocaret, sub imagine ac prætextu Germanici tumultus, quòd iam in Vespasiani partes ille transierat. Verùm postquā aduersus rumor res trepidas vulgauit, castra Aquilij capta, cohortes cecidisse, profligatum pulsumque tota Batauia quicquid Romanorum militum fuerat, confestim Mummium Lupercum Legatum cum duabus legionibus, quas in hybernis habuerat, festinatum iter ingredi atque in hostem ducere iubet. Ille ducis imperiū impigrè exequitur, legionarias cohortes & è vicinia Vbiorum auxilia, equitatumque è proximis Treuirorum agris euocat, raptimque in hostes mittit. adiungitur & Batauorum equitum veterana turma, cui præfectus erat Claudius Labeo, iam antè pecunijs pollicitationibusq. corrupta, sed fidem simulatam ingeniosè premens, quam mox per proditionis scelus abrupit, dum stantes in procinctu Romanos deserit, transfugioq. spem commilitonum destituens, magnum operæpretium suorum rebus attulit. Romanus exercitus iustis iam viribus auctus, aciem apparat, vt rebellioni castigatæ exemplum statueret,

ſtatueret,cædemq́ue cæde expiaret. Idem fit à Ciuili, qui deletarum captarumq́. cohortium ſigna circum ſe ſtatuit, vt & hoſtium animos frangeret repræſentatæ cladis memoria,& ſuum militem alacriorem erectioremq́ue redderet.fœminarum gregem,in quibus mater ſororeſq́ue erant, & promiſcuam cõiugum turbam,cum paruis liberis, à tergo exercitus conſiſtere iubet,tum vt ad patrandã victoriam incitamenta eſſent, tum vti à fugæ cogitatione, pudore imbellis ſexus hoſti obijciendi deterrerentur ſui. Iam ſigna canere cœperant,quum ingens à viris clamor tollitur, fœminarum vlulatus tota acie perſonat. Haud eadem pari'ue alacritate clamor à legionibus ſurgit, quorum animos vt pauor cladiſq́ue recordatio defixerat, ita à priſtina virtute deflexerat equitum Batauorum præſens defectio,qui pro ſiniſtro cornu locati,perfugio illud nudarant, facto hoſtiliter à conuerſis in ſuos paulo ante cõmilitones impetu. Vbi Romanarum legionum virtus & conſtantia rebus afflictis ac propè depoſitis ſe oſtendit,quæ ſeruatis ordinibus, armaque retentans, pedem retraxerunt, effugioq́ue conſeruatæ in Vetera caſtra(qui locus nunc Xantho oppido Cliuenſis ditionis occupatur) ſe condiderunt, diſiectis in turpem fugam ſociorum auxiliaribus copijs. Labeo Batauus, qui perfugorum alæ præerat,Ciuili æmulus oppidano certamine (vt ſolent populares quibus par potentia nobilitaſq́ue eſt, ſimultates æmulatione alere) eiq́ue aduerſus,iuſſu Ciuilis iniectis vinculis captus,in Friſios extra conuentum paullo pòſt amandatus fuit,ne diſſenſionis ac diſcordiæ ſemina excitaret retentus, néve interemptus vir ſtrenuus magnoq́. natu ipſi inuidiam pareret: quanquam ille non multo pòſt corruptis pecunia cuſtodibus elapſus ad Voculam legatum in Vbiorum ciuitatem perfugit, maiora viribus illi pollicitus. Eodem tempore Batauorum & Caninefatium cohortes auxiliariæ, quæ delectu acto ſtipẽdia Vitellio faciebant, Italiam petituræ, ex itinere reuocantur Ciuilis literis per nuntium miſſis: quibus perlectis omnium animi repentè

auersi sunt ab instituta profectione, itaque præter solitum superbia ferociaque elatiores factæ, donatiuũ itineri poscebant, geminari insuper stipendium, augeri quoque alacriorum equitum numerum flagitabant, nulla assequendi quod postularant spe, sed vt discessioni seditionique ansam quærerent. At Flaccus importunæ postulationi indulgens multa concesserat, ex quo ingentibus illius pollicitationibus inflati, acriùs instabant impensiusque exposcebant, quod sibi negatum iri præscibant. Eò tandem erupit audacia, vt contempto Flacco, quem præter socordiam senium pedumq. debilitas contemptiorem faciebant, patrias sedes inferioris Germaniæ repeterent, Ciuili se coniuncturi. Flaccus communicato cum tribunis militum ac centurionibus consilio, quid tali in re fieri oporteret, consultat, rebellésne imperio obsequétes redderet vi adhibita, an coactum & expressum militis obsequium, vt infidum, rebusq. suis incommodum valere sineret. Sed siue ingenita ignauia, siue ministrorum socordia, qui exequi periculosam pugnandi cum veteranis rationem horrebant, cùm ob lubricam incertamq. auxiliarium copiarum fidem, tum quòd tumultuarij subitarijque militis, qui legionũ supplemento scriptus erat, delectu parum fidendum videretur: illos inuitos non esse cogendos aut contra voluntatem retinendos iudicans, discedere permisit, suosque castris continere statuit: mox tamen pœnitentia ductus, factumque etiam improbantibus illis ipsis suasoribus, per literas Herennium Gallum primæ legionis Legatũ, qui Bonnam præsidio tenebat, monuit, vt obstructo itinere Batauos imperium detrectantes, intercluderet, ne pateret transitus, se cum exercitu assecuturum ac rebellium terga impugnaturum: id quod facto procliue fuerat, si interceptos vtrinque medios clausissent. Sed ab incœpto destitit Hordeonius, literisque discordibus prioris consilij institutum reuocauit, monuitque ne moram abeuntibus iniceret: quæ res mouit suspicionem, bellũ seri accendique voluntate ducum, qui è cædibus compendium facerent, illorum

lorum astu & fraude, non militum socordia aut hostium virtute accidisse quæ euenerant, & quæ deinceps expectabantur mala. Batauí castris Bonnæ propinquãtes, per fidum nuncium Gallo suam sententiam exponunt, non esse sibi animum vt Romanos bello iniuriáve lacessant, quibus tot per annos mercede militassent, se diuturnæ militiæ atque inutilis labore perfunctos fessosque, desiderio patriæ moueri, ac quod reliquum est ætatis in otio quî transigant affectare: absque maleficio iter se facturos si nemo vim adhibeat, quòd si arma opponantur, haud inultos ferro viam aperturos. Legatus dum lenta cũctatione tempus extrahit, à militibus compellitur prælij fortunam tentare ac periclitari. E legionarijs tria millia, & tumultuarius è Belgio miles, cum paganis lixisque (qui stolida iactantia ac procacitate ante periculi experimentum cœlum tantumnon territare consuerunt) è castris repentè prouolant, Batauos numero impares multitudine circũdaturi. At illi militiæ impigri, & antiquæ disciplinæ memores, densatis ordinibus agmẽ aduersum perrumpũt, coniectisq. in fugam Belgis, legionem loco pellunt. Ibi dum fœda fuga dispersa acies palatur, vallumque & castrorum portas effuso cursu petit, ingens edita fuit strages, completis ruina cadentiũ suisq. telis intereuntium fossis. Hac patrata victoria Batauí iter incœptum prosequuntur, Coloniam Agrippinã ad dexteram relinquentes de via publica nonnihil declinant, neq. hostilius quidquam reliquo in itinere ausi, pugnæ ad Bonnam commissæ occasionem legitimam excusant, quasi petitæ pacis repulsa afflati vim defendissent. Ciuilis veterani agminis accessione auctus, & iusti iam exercitus dux, inter ancipitem spem metumque dubius, dum belli molem populique Romani potentiam secum animo reputat, vniuersos dare nomina Vespasiano, sacramentumque dicere compellit, eademque religione obstringere se duas legiones, quas in Vetera castra fuga peruasisse diximus, missis ad id legatis postulat. Reiecta fuit contumeliosè petitio, responsumque nec se proditoris

perfidiam

perfidiâ ſecuturos, nec perduellis conſilio vſuros: agnoſcere Vitellium Principem, pro quo ſpiritum citiùs depoſituros, quàm fidem: itaque deſinat ad arbitrium nutumque ſuum res Romanas fingere atque temperare, cogitetque breui libidinis ſceleriſque pœnas iuſtas luiturum. Quibus nunciatis Ciuilis ob contumeliarum aculeos ira inflammatus, Batauiæ ciuitatem vniuerſam armat, Tencteros Bructeroſq. in ſocietatem belli attrahit, & prædæ cupidine, belliq. proſperè geſti fama prouocati Germani Tranſrhenani vires ſuas coniungunt. Aduerſus ingruentis vndique à fœderatis gentibus belli metum, duarum legionum legati Mumius Lupercus & Numiſius Rufus vallum reficiunt, mœnia reparant, ſed quæ municipij oppiduliq. imaginem repræſentabant proximè caſtra, domicilia diutinæ pacis beneficio ſecura hactenus, ſolo æquant, ne ex hoſtium vſu forent. In eo erratum eſt, quòd frumentum, quod in caſtra conuehi copioſum potuerat, rapi permiſerint, quo factum eſt vt paucorum dierum ſpatio confectum abſumptumq. fuerit, quod neceſſitati diu ſuppetiſſet. Ciuilis ripa vtraque fluminis Germanorum cuneos diſponit, quò terrorem geminaret obſeſſis, ipſe medium agmen cum Batauorum robore obtinens, equeſtribus copijs hinc inde patentes per campos inſultantibus. Accedebant eôdem nauigia aduerſo Rheno acta. Deinde veteranorum ſigna, & ferarum ora ac ſpecies horribiles è ſyluis prolatæ, cumulando terrori in conflictibus (vt ſuus cuique genti mos eſt) comparata armamenta, obſeſſis pauorem incuſſerant, repræſentata ob oculos quadam belli ciuilis pariter & externi imagine, quando & cum ſocijs commilitibuſque pugnandum eſſet, & aduerſum externos: quid, quòd & obſidentibus ſpem potiundi caſtris excitabat valli amplitudo, quòd duarum legionum ſtatiuis inſeſſionique aliâs exſtructum, nunc vix à quinque millibus armatorum defendebatur, quorum vicem ſuppleuerat ingens lixarum multitudo, quæ ad bellici rumoris initium vndiq. affluxerat, bellique miniſteria implebat. Porrò Veterum

terum castrorum situs is est, vt pars in tumulum editiorem molliter assurgat, pars in planitie sedeat, quo loco vix quidquam munitius & ad reprimendos Germaniarum motus insultusque opportunius iudicauit olim Augustus, quippe quem nunquam tentaturos ratus fuit, neq. in illud discriminis adductum iri rem Romanam, vt barbari vltrò ad oppugnandum illum fuerint descensuri. Quæ fiducia effecerat vt de loci natura munimentisque securi nihil vltra laboris suscipiendum sibi putarint in reficiendo muniendoque, viribus suis atque armatura confisi. Bataui & Transrhenanæ gentes suum singulæ locum seorsum præcipiunt, stationesque occupant, vnde eminus rem iaculis gererent, quo separatim suæ cuiusq. virtutis specimen innotesceret. Postquam emissa in irritum tela turribus ac murorum loricæ adhærere viderunt, vulnerariique desuper missilibus saxis ipsi cœpere, magno clamore impetum in vallum faciunt, admotis scalis nonnulli scandere, alij per testudinem è scutis supra capita elatis continuatisq. irruptionem facere, rursus obsessi strenuè se defendere, supra stantes sudibus crebris pilisque muralibus conficere, aut contis præcipites impellere. Ita per initia illos stolidè feroces, rerumque successu nimium elatos, fefellit primus impetus, ab incœpto destituros, nisi prædæ cupiditas spem remorata illos continuisset in tolerandis aduersis. Vbi hac via res non procedebat, machinas murales fabricari cœperunt, nouo & inusitato ipsis artis tyrocinio, ac propterea rudi atque deformi: quumque deesset industria solertiaq. adornando operi, monstrarunt transfugæ & captiui rationem struendi contabulandique è materia pontis, quem rotis substratis prorsum agerent ad muros, eo consilio vt partim isti pegmati insistentes, de loco superiore velut aggere prælium conferrent, partim occultati intus è latebris muros molirentur ac dolabris subruerent. Verùm susceptus frustra labor, opusque informe excussis catapulta saxis afflictum dissolutumque fuit, crates vineæque quas admouerant, iniectis hastis, pice igniq. ali-

mento illitis corruptæ fuere: quin & oppugnantes immissis ignibus appetebantur, vnde re iam penè desperata, destitere experiri vltima, consiliumque ad trahendam obsidionem mutarunt, rati ea mora frangi compelliqúe ad deditionem posse, neque ignari alimentariæ rei penuria breui laboraturos, tum ob raptum frumentum, tum quòd abundabant multitudine imbellis ætatis: iuuabat illorum exspectationem proditionis spes, quam inopia plærunque parit, deinde seruorum perfidia, adhæc belli natura, in quo varij surgere solent casus rerumque inopinati euentus. Interea Ordeonius intellecto castra obsidione premi, auxiliares è Gallijs copias quantas potest contrahit, eas habito delectu Dillio Voculæ decimæ octauæ legionis Legato tradit, vt magnis itineribus secundum amnem contenderet, matureque obsidionis periculis occurreret, ipse interim segnem moram apud Magontiacum trahere, inuisus odiosusque suis, quæ res illi exitium properauit. Neque verò dissimulanter ferebant, ea ex vrbe Batauorum cohortes liberè dimissas bona ipsius gratia: dissimulasse Ciuilis machinamenta, data atque accepta fide Germanos flagitij socios adhiberi, illius opes atque potentiam auxilio Flacci conualescere, non aliter quàm Primi Antonij & Mutiani adiumento creuerint res Vespasiani: apertas quidem simultates & vim arceri, oppositisque armis frangi, sed dolos fallaciasque latentes cauere non posse: Ciuilem ducis pariter & militis obire munia, ipsum aciem disponere, in procinctu stare: at Flaccum valetudinarium, artubus inualidis infirmum, è lecto mandata hosti quàm suis vtiliora dare atque præcipere. Itaque proditoris nece expiandam esse fortissimorum militum virtutem, ducis socordia hactenus torpentem atque eneruatam. His similibusq. inter se verbis seditionis plenis tumultuosisque in Ducem vsi, acri insuper ira excanduerunt ob allatas à Vespasiano, rerum summam tunc affectante, ac propterea Flacci animum in suas partes solicitante, literas, quæ quòd celari res detecta non poterat, pro concione militi recitatæ

citatæ fuere iussu ducis, qui vt conscientiæ suspicionem ab se remoueret, compeditos tabellarios ad Vitellium duci iussit. Hac ratione placatis nõnihil animis, Bonnam vbi prima legio hybernabat, peruenere: quo loco nondum resederant iræ ob acceptæ cladis memoriam, cuius culpa Flacco assignabatur, quòd dictitarent illius consilio iussuque concursum esse aduersus Batauos, iniecta spe aduenientis à Magontiaco exercitus, eaq. proditione dum nulla sequuntur auxilia cladem ingentem accepisse. Ista clam haberi neque cæteris exercitibus aperiri, aut Imperatori exponi: quod factum si fuisset, potuisse vnius perfidiam occursu prouinciarum opprimi. Ordeonius ad purgationis sui perfugium conuersus, literarum omnium exemplaria, quibus auxiliares se copias exciuisse docebat, non è Gallijs modò, sed & ex Hispanijs ac Britannia, legionibus legẽdo præiuit, pessimoque & in futurum nocituro exemplo instituit, vt vexillarijs tabulæ nondum obsignatæ in manus darentur, vulgoque militum priùs quàm ductoribus prælegerentur. Tum verò seditiosorum vni manum inijci iussit, ad ostentandum magis ius pœnæ in rebelles vsitatum, quàm quòd vnus culpæ totius molẽ sustineret. Deinde in Agrippinensem coloniam traductæ legiones, eôdem copiæ è Gallijs accurrêre, quæ magnum principio Romanis momentum attulerunt opportunis admodum auxilijs, sed paullo pòst repentina voluntatũ inclinatione ad Ciuilem defecerunt. Interim augescentibus Germanorum rebus, plæræq. ciuitates dum partim amissam libertatem vindicare satagunt, partim depositò seruitio in alias imperium affectant, arma contra Romanum nomen induêre. Isthinc præsens exarsit exercitus iracundia, quam vnius militis, quem seditionis reum dux fecerat, cohibere non potuerunt aut reprimere vincula: neque destitit ille imperatoris sui conscientiã obterere, quasi crimine seditionis attentatæ in periculũ capitis vocaretur, qui ab ipso ad Ciuilẽ vltrò citroq. internuncius crebrius cõmeasset. Dillius Vocula admirabili animi con-

ſtantia ac firmitate vſus, clamantem fidemque hominum obteſtantem militem ad ſupplicium rapit, quo malis in ecto terrore compreſſa fuit omnis ſeditio, reditumq. ad obſequium. Sic conciliata gratia Dillium cunctorum vocibus & aſſenſu ducem delectum, ſummæ rerum præfecit Ordeonius: manſit tamẽ ſuperſtes in diſcordibus animis ſcintilla furoris, quem accendebant inopia atq. egeſtas à ſtipendio pariter & frumento: deinde rebellio Galliarũ delectum & conſueta tributa recuſantium: accedebant eodem cœli inuſitata ſiccitas, & aquarum prodigioſa penuria, quæ Rheno nauium vſum negarant, commeatus terra marique intercluſus, crebrioreſque per totam ripam ſtationum arcendis à vado Germanis diſpoſitarũ operæ, qua occaſione rem alimentariam abſumi acciſioremque indies reddi, neceſſe erat. Porrò aquarum, quam dixi, inopiam vulgus ſtolidum & ſocors prodigij loco habere, proque ira cœleſti interpretari, quaſi mutatis inuerſiſque rerum naturæ vicibus Romani imperij fines ſuis deſtituti munimentis hoſti obijcerentur. Itaque fortuitam & quæ caſu aut ex aſtrorum lege euenerat tempeſtatem, ad fatalem imperij occidionem interitumque trahebãt. Inde Noueſium peruentum, vbi decimam tertiam legionem ſibi, & Herennium Gallum legatum curarum ſocium ac participem Voculæ coniunxere: mouere tamen in hoſtem potentem non ſuppetijt animus, atque ita apud Geldubæ caſtellum ſtatiua communiuere, vbi miles iam diſciplinæ immemor ac nuper adſcriptus colligere ſe in aciem, aduerſus hoſtilem inſultum durare, vallum ducere, aliaſque belli artes meditari edoctus fuit atque exercitus: tum vt ad virtutẽ præda incitamentum adferret, ac in poſterum animaret, in Gugernorum (qui Iuliacenſes nunc audiunt) agros exercitũ eduxit Vocula, quòd cum Ciuili ſocietatem illi coïerant: pars exercitus in caſtris apud Herennium manſit. Eo fortè tempore proximè caſtra nauis oneraria frumento onuſta vado adhæſerat, quam quum hinc Germani, inde Herennij miles ad ſuam ripam pertrahere

Gugerni qui?

pertrahere ſummo molimine conarentur, augeſcẽte vtrinque cohortium ſubſidio, iuſta propè acie collatis ſignis conflictum eſt, manſit penes Germanos abreptæ nauis victoria cum nõ exigua Romanorum ſtrage. Legato Herennio crimen perfidiæ pro ſua ſocordia, qua rem malè geſſerant (vti plærunque ſolet ignauiſſimus quiſque culpæ propriæ conſcientia alios onerare) intentant, lacerata veſte è tentorio protrahunt, pulſatum verberatumq. iubent è vinculis delictum profiteri, pretium & occaſionem proditionis aperire. Redit in mentem Ordeonij factum, in hũc inuidiæ materia quæritur, eum proditionis auctorem, Gallum miniſtrum vocant: eoque res venit vt intento mortis metu ſubactus illorum libidini acquieſceret, & inſcio immerentique Ordeonio proditionis nomen imponeret. Ita aſſeruatus aliquamdiu in cuſtodijs, adueniente demum Vocula vinculis abſoluitur, ſeditionis auctoribus morte multatis. Mirum verò quantopere in eodem exercitu duo pugnãtia, vitium ac virtus, ſimul regnauerint, & ad peccandum licentia, & in caſtigatione ſcelerum maleficiorumque patientia. Id certè conſtat gregarium militem Vitellij obſequio proniorem, ſplendore ac dignitate præditos Veſpaſiano fuiſſe addictiores: quæ ſtudiorum diuerſitas effecit, vt poſt flagitia quibus ſe inquinarant, viciſſim ederentur ſupplicia, quadam delicti pœnæque conſequentis viciſſitudine. Interim Ciuilis fortia facinora per vniuerſam Germaniam ſecunda fama increbuerant: illum cuncti cœlo tollere, cum illo datis fidei obſidibus nobiliſſimis quibuſque ſocietatem confirmare, illius arbitrio iuſſuq. proximos ſibi fines Vbiorum Treuirorumque vicini depopulari ac vaſtare: alij tranſito Moſa in Menapios, Morinos, extremoſque Galliarum agros incurſiones facere; Præda vndecunque ingens conuecta, ſed immitiùs cum Vbijs actum, quòd hi Germanicæ originis eiuratione, ob prælatum Agrippinæ agnomen, odium implacabile incurrerant: ſiquidem eorum cohortes in vico Marcoduro (Duram hodie nuncupamus) ſocorditer nimiſque

otiosè extra hostilem metum agentes oppressæ deletæque fuerunt. Vbij tamen vindictæ cupidine flagrantes, prædas è Germania repetunt inulti primò, mox per insidias circumuenti cecidere: vsqueadeo iniquior fortuna quàm fides secuta illos per omne belli tempus fuit. Subactis compressisq. Vbijs rerum successu elatior ferociorq. Ciuilis ad obsidendas apud Vetera legiones animum adiecit, adhibitis vbique acribus custodijs vigilijsque quibus viæ erant obseptæ, ne quis nuncius occultè perueniret ad castra, de aduẽtu auxilij spem illis facturus. Machinarum custodiam Batauis mandat, Germanis prælium flagitantibus copiam subruendi valli oppugnandique facit, prælium que redintegrare si fors velit iubet, iacturam leuem æstimans in tanta multitudinis affluentia: nulla quies aut remissio à labore, neque nocti parcitum est, quam peruigilio inter epulas transegere, circũ pyras & accensas lignorum strues accubãtes, quæ res multam cladem ipsis attulit, dum aut inconsiderata ac dementi temeritate ebrij hostem oppugnantes cadunt, aut è tenebris ad ignem lucentem conspicui certis telorum ictibus configuntur. Qua re cognita Ciuilis, ne sic inulti sui more pecorum occumberent, totis castris ignes restingui, perque tenebras pugnam obeundi potestatẽ facit. Ibi tum dissono strepitu cuncta misceri, nihil certis ac destinatis ictibus geri, nihil consilio aut virtute, casus ancipites fors regere, ad clamorem vnde ille cunque ad aures peruenerat, circumagere se quisque, arcus obuertere, tela destinare, nullus denique inter fortuitos euentus virtuti locus, vbi fortissimũ quemq. sæpe ignauissimus sternebat. Germani effrenato ac præcipiti furore occæcati in mortem ruebant: contrà Romani periculorum gnari vallique lorica defensi præpilatas sudes & saxa non temerè in confertos euibrabant: quòd, si cunde à vallũ molientibus sonitus redderetur, aut si qui, dum scalas applicant propius hostem accesserant, eos obiectis clypeorum vmbonibus deturbabant, elapsos è manibus eminus telis missilibus impetebant, & si qui fortè in valli fastigium

gium euaserant, pugionibus configebant. Hunc in modum exacta nocte, vbi se laboribus periculisque perfunctos arbitrantur, nouam atque integram Batauorum aciem ob oculos prima lux ostendit, qui validam & gemino tabularum corio constratam turrim, aduersus prætoriam portam, quâ militaris via æquior planiorq; est, promouerant: cuius molitionem vt impedirent, inutilemque redderent, vastas asserum moles in viam prouoluunt Romani, ipsamque turrim adacta trabe perfractam deiecere, nõ sine ingenti superstantium strage atque exitio. Itaque tentata eruptione repentina, in attonitos perculsosque inuecti, feliciter depugnarunt. At legionarij, militaris rei peritia longoque bellorum vsu exerciti, maiora etiã ausi, machinam tympani instar suspensam ac funibus libratam, in hostem promouere, qua subitò demissa, vel singulos, vel plures, sicubi cõfertiores consisterent, sublimes in altum abreptos, conuerso machinæ libramento intra castrorum aream effundebãt. Ea res ingentem hosti terrorem incussit, ita vt Ciuilis reiecto oppugnandi consilio, quasi deposita potiundi spe velut deses otiũ acturus, assidere ad Vetera decreuerit, submittens interim nuncios occultos, qui magnificis onerati promissis, legionũ animos pertentarent, si quâ ad defectionem solicitari possent. Ista ferè in Germania gesta sub id tempus, quo ad Cremonam Vitelliani bis profligati, cecidere; cuius prœlij euentum Primus Antonius scriptis ad Flaccum literis significauit, addito Cæcinæ consulari edicto, in Vespasiani verba cunctantem exercitum adigentis. Literarum fidem confirmabat locuples testis Alpinus Montanus cohortis aduersæ præfectus, victus, sed cladi superstes. Hæ literæ in diuersa studia motusque egerunt militũ animos: in quibus auxiliares è Gallijs copiæ ab inclinata iacenteque Vitellianorum fortuna desciuerunt confestim, vsitatum mercenario militi, qui neque odio in hostem depugnare, neque fideli amore suos complecti, atque ita militiam citra animorũ affectionem sequi consueuit. accedebant ad id velut incentiuum

Præfe-

Præfectorum adhortationes. Ex ijs veterani cunctabundi tergiuersabantur, sed ijdem mox impulsu Ordeonij Flacci, instigantibus eodem vrgentibusque tribunis, sacramento auctorati dedere nomina, quanquam inuito parumq. sereno vultu voluntatem suam abunde satis testati, quando inter cætera præeundi solennis sacramenti verba, Vespasiani nomen vel de industria silentio inuoluunt, vel exili murmure, submissaque voce illud immurmurant. Recitata deinde pro concione Antonij ad Ciuilem epistola, militem exasperauit, suspicioneque imbuit, ad partium socium dictatá fuisse, hostiliterq. de Germanico exercitu scriptam. Neque multo pòst allatis apud Geldubam (nũc Coloniensis ditionis vicum) vbi Vocula statiua habebat, perlectisque pro concione literis, idem factitatum, idem quoque motus extitit. Montanus ad Ciuilem ablegatus, additis mandatis, & cœpto bello abstineret, néve insidiosè sub vmbra & obtentu externæ expeditionis occulta arma circumferret. Quòd si Vespasiani partes capessat, auxilioque adiuuare habeat in animo, cumulatè ipsum caussæ satisfeciſſe, & pulchrè habitura se initia. Ciuilis vsu callidus ac tegendis consilijs obscurus, Montani sermonẽ excipit versatque, & illi astutè respondet: sed posteaquam aduertit impotentiorem ingenio ferocioremque Montanum, ac rebus nouandis serò intentum, cœpit conqueri & suam vicem deplorare, susceptos labores & adita pericula, toto viginti quinque annorum interuallo, in castris Romanis exantlata commemorare. Videórne, inquit, tibi egregium militaris operæ ac laboris præmium assecutus, quod fratrem germanũ Iulium Paullum intentato falso rebellionis crimine necarunt, mihi catenas iniecerunt, è quibus Galbæ beneficio liberatus, in discrimen salutis denuò adductus, sanguinarijs totius exercitus vocibus ad supplicium tãquam hostia nuper deposcebar, nunc postliminij iure talionem & vindictam ab ingrata pernicioſaque gente stat animus repetere. Quid autem vos Treuiri cæteræque peregrinæ nationes, quas vt mancipia

pia Romani duro seruitij iugo premunt,quæ vos præmij spes sustentat,quod operæ pretium expectatis profuso toties in prælijs sanguine,præter ingratam,quæ meritis honorem non reponit, militiam,speciosam verbis, re inanem: nisi tributa nunquam finem habitura:nisi virgarum contumelioſa verbera:nisi capitali supplicio destinatas secures,ac denique supercilioſum Legatorum imperium dominationemque crudelem atque impotentem. Metuendáne vobis tantopere Romana videntur arma, vbi ego cohortis olim vnius præfectus,cum Caninefatibus Batauisque,quota, dij boni,Galliarum,si verum æstimabimus,portione,castra illorum patentibus immensisque porrecta spatijs, non alio formidoloſa nomine, corrupimus, aut circumsessa ferro inediaque ad deditionem compellimus? nos in dubiam libertatis seruitijue aleam imus, victores libertatẽ pristinam vindicabimus, victis eadem manebit seruitus. His verbis inflammatum,ac meliorum quæ nunciaret spe imbutum abse dimittit. Montanus vt re infecta inutilique legatione perfunctus redit,occulta premẽs dissimulansq. quæ paullo pòst in propatulum venere. Ciuilis copiarum partem penes se retinet,veteranos & è Germanis impigerrimũ ac promptissimum quemque ad opprimendum Voculam exercitumque amandat, ducibus Iulio Maximo & Claudio Victore è sorore nepote.Hyberna hostium ad Asciburgium in præsidio collocata,in ijsque ala equitum,raptim ex itinere oppressa sunt, adeò subita & inopinata impressione in Voculæ castra irruperunt,vt illi tempus explicandæ aciei defuerit,& alloquendo militi, id solùm in tam improuiso tumultu admonere licuit,vt in mediam coirent aciem, eamque sub signa collecto milite firmarent: quod dum faciunt, ipse auxiliarem manum vndique submissam circumfudit: equestre deinde agmen adoriri hostem ausum,excipitur instructis paratisque ad pugnam Germanorũ ordinibus, itaq. cuestigio in fugam compulsum terga ad suos conuertit:cædes inde cruenta,non prælium,exoritur. Neruiorũ agmen,

latera Romanorum destituta nudat, siue perfidia attactum, siue metu consternatum. Inde ad mediam aciem quam legiones obtinebãt, penetrant, quæ amissis signis intra vallum fugam cœptabant, quando ecce de improuiso facies & fortuna pugnæ superuentu noui auxilij mutata est. Siquidem Vasconum mercenariæ sed paucæ cohortes iussu Galbæ conscriptæ, ac iam demum euocatæ, castris fortè (vti inspératos repentinosque casus Mars belli secum trahit) propinquantes, exaudito confligentium clamore, hostem intento infestoque agmine castra oppugnantem à tergo adortæ cædunt: ita vt trepidatio pauorque maior quàm pro numero Germanos præliantes occuparit, dum suspicantur vniuersum exercitum Nouesio Magontiacoq. superueniſſe. Hoc errore, qui Germanis pulchram & spectabilem victoriam corrupit, Romanorum fuere confirmati animi: ita alieno auxilio, in quo fiduciam collocarant, vires suas recepere. Occubuit è Batauo peditatu fortissimus quisque: equitatus saluus euasit cum militaribus signis, & captiuis quos in prima congressione rapuerant. In eo conflictu plures è Romanis desiderati fuere, sed segnis numerus & bello grauis, inter Germanos fortissimus quisque cecidit. Neuter ducum culpæ exors fuit, imò cladem ambo meruerant, quòd fortunæ propitiæ defuissent. Ciuilis namque si maioribus copijs in prælium descendisset, præterquàm quod hostem castris exuisset, à tam exiguo Vasconum agmine nõ potuerat circumcingi. rursus Vocula feliciter otiosus, neque in hostem inquirere, deque eo certior fieri laborauit per emissarios & exploratores: quæ causa fuit cur vix è contubernio progressus, victus fuerit. deinde parta per Vascones victoria, non curauit hostem eueſtigio persequi, sed extracta dierum aliquot mora, deinceps in hostem motis castris contendit: quem si maturè adortus, & fortunæ ad vota affluẽtis euentum fuisset prosecutus, legiones apud Vetera obsessas eodem cursu liberasset. Explorarat interea obsessorũ animos nihil cunctatus Ciuilis de facienda deditione, velut potitus victoria

victoria profligatis ac deletis Romanorum copijs, simulq. ad ostentationē veri circumferri propiùs castris signa, captiuosque circumduci iubet, quorum vnus quasi vitæ saturitate quadam facinus audax & memorabile aggressus, rei gestæ veritatem magna voce vt exaudiri posset, exponit, à fide veri dissidere eorū verba prædicans: quem simul cum dicto Germani illic contrucidarunt, quam rem dissimulatam oportuerat, ne, quod accidit, indicij fides ex eo confirmaretur: auxit fiduciam conspectus procul ignis è vastatis ardentibusque villis consurgens, qui victoris exercitus aduentum manifestabat. Vocula loco vnde à castris conspici poterat, signa collocat, fossa valloque circummunit, vt, si prælio decertandum foret, impedimētorum agmini (quod ad iniurias opportunum ægre defenditur) & sarcinis consultum esset, ipsique expeditiùs pugnarent. Neque moram attulere quin signum pugnæ dari sibi à duce efflagitarent, quasi minabundi, id quod in morem verterat. Itaque nullo opportuni temporis habito delectu ad instruendam aciem, inconditum agmen & de via fessum, pugnam inijt aduersus Ciuilē, quem non minus explorata & cognita hostium vitia, quam suorum virtus erant, ac propterea fiduciam addebant. Varia vsi sunt fortuna Romani, apud quos seditionis incentiui & auctores plæriq. trepidare & fugam adornare: alij nuperæ victoriæ memores, locum quem ceperant in conflictu tueri, cum hoste manus conserere, se pariter & propiùs stantes strenuè hortari, reparataque in ordinem acie, elatas in altum manus ad obsessos protendere, indiciumque facere, vt commodam iam occasionem è manibus non amitterent, qui de murorū corona prospectantes quid ageretur portis omnibus eruptionem faciunt. Ibi tum casus fortuitus ingens ad cladem victoriamque momentum attulit, dum prolapsus equus Ciuilem effusum humo allisit, corpore cùm suo, tum equi pondere grauiter afflicto. vnde confestim vulgatus per vtrunque exercitum peruasit rumor, vel mortuum, vel grauiter saucium, dictuque incredi-

bile quantum hinc pauoris ac consternationis inuexerit, illinc alacritatis plurimum. At Vocula nec fugientem hostem persequi, aut cædendo tergis instare laborauit, solùm augendo vallo, turribusque pluribus ad castrorum munitionem erigendis intentus, quasi mox redituro è fuga hoste ad priorem obsidionem: quæ res effecit vt non vanam prorsus falsamque de se præbuerit alendi belli suspicionem, qui victoriam quam in manibus toties habuerat, effluere siuisset: quum tamẽ re nulla præterquam paucitate copiarum tum Romanus exercitus satisceret. Ipse impedimẽta legionum, lixas & calones cum cætera bello inutili turba Nouesium ablegauit, vt inde terrestri itinere frumentarium subsidium vehiculis conueherent, quòd Rhenum amnem hostiles obtinerent naues. Primum autem agmen ne viso quidem hoste tutò & liberè ab omni insidiarũ excursionúmve metu iter fecit, infirma etiamnum & ægra Ciuilis valetudine è prædicto equi lapsu. Deinde vbi denuò ingressos iter qui frumentariam rem aduectabãt, per nuntios intellexit, cum subsidiarijs cohortibus, securos, velut alta in pace consopitos, milite procul à signis dispalato, & sine armis (quæ vehiculis subuehebantur) licentiùs errante, Ciuilis composito agmine inuadit, instructis nõ vno loco insidijs, quibus pontes & viarum angustias insederat: pugnatum est agmine in longum porrecto, & ancipiti Martis alea, in noctem vsque, quæ prælium diremit. Geldubam petiuere cohortes, castris ita vt fuerant etiamnum integris, quæ præsidio militari ibi relicto tenebantur. Dubium non erat quin res in maximum periculum atque extremum penè discrimen Romanis fuisset adducta in reditu, quòd pauciores essent qui frumento conuehendo adiuncti fuerant, & prægrauia onere vehicula adducerent, fugæ importuna, nisi Vocula è quinta & decimaquarta legionibus apud Vetera à Ciuili obsessis delectum millenarium agmen, militem maximè trucem & duces exosum exercitui suo adiunxisset. Maior quàm imperata fuerat multitudo vnâ erupit, apertè palamque præse ferens,

ferens, nolle se diutius inedia macerari, qua legati vtantur insidiarum vice, vt militi obsequium exuenti, ac rebellionem cœptanti immineant. Relicti in castris conquerebantur se parte legionum orbatos, atque ab omni spe derelictos. Ita gemino deflagrarunt seditionis incendio milites, quorum alij reditum in castra constanter abnuebant, alij ducem Voculam vti regrederetur reuocare non cessabant. Interea dum Ciuilis Vetera cum exercitu circumsidet, Vocula Geldubam, inde Nouesium properat, velut Ciuili occupandam Geldubam permittēs. Ciuilis haud procul Nouesio equestri pugna collatis signis prosperè conflixit. At Romanus miles à seditione non alienus, siue res secundiores vota implerent, siue aduersarentur, ducibus suis infensi, in quos ira & indignatio exarserat, meditabantur exitium. Itaque concitato tumultu, præsertim auctis iam accessione quintanorum & quintadecimanorum viribus, donatiuum flagitant, intellecto pecuniam à Vitellio submissam. Nec diu moram largitioni gratæ futuræ interponendam ratus Ordeonius, donatiuum Vespasiani nomine elargitur. Hinc nata seditionis occasio & fomes, quæ in noctem producta in neruũ erupit, postquam exsaturati epulis vino incaluerant: tum etenim cœtus quos agitabant tenebris obscurantes, iram in Ordeoniũ conceptã olim recordatione reuocare cœperũt. Itaq. dum veterum factorum memoriam obliteratam, præsentium cura renouat exasperatque: dum legatorum ac tribunorum nemo furentibus refragari aut obsistere audet, victo noctis tenebris sublatoque pudore, itur in tabernaculum eius, lectoq. detractum trucidant. Idem exitus Voculæ parabatur, sed salutari consilio mutatus in seruilem amictum cultus, periculo eum exemit, accedente noctis obscuræ beneficio. At enimuero postquam cõpresso iam impetu restinctoque tumultus ardore, supplicij metus obuersabatur ob oculos, factique tædebat, emisere circum ciuitates Gallicas centuriones, adiunctis epistolis instructos, qui auxilia stipendiaq. obnixè deposcerẽt. Ipsi interim

nunciato Ciuilis aduentu, vt insitum est atque innatũ vulgo, vt, vbi deest gubernator ac rector, præpostera consilia maximè sequatur, rationi non obsecundet, & animo facilè concidat consterneturque, arreptis turbidè armis, moxque abiectis vniuersi effusè capessunt fugam. Tum verò res aduersæ & improsperè cadẽtes discordiæ fons ac seminarium hos inter & superiorem exercitum extitere, dum isti suam caussam ab illorũ maleficio seiungunt, dissociantque. Interea quanquam interfecto iam Vitellio principalis fortunæ insignia Vespasianus adeptus fuerat, mansere tamen superstites Vitellij imagines in castris pariter & proximis Galliarum ciuitatibus. Primani, Quartani, & Duodeuicesimani pœnitentia commoti, Voculæ duci se coniungunt, vbi in Vespasiani verba sacramento solenni adacti, ad liberãdum obsidionis periculo Magontiacum ducti fuere. Soluto obsidio exercitum qui è Cattis, Mattiacis, & Vsipijs constabat, prædæ copia onustum, ac propterea bellando saturum, nec incruentum, adoriuntur Romani longè lateque dispersum, atque hostium aduentus ignarum. Treuiri quoq. fines suos ab incursionibus Germanorum egregio opere militari tuebantur, perducto vallo fossaque perpetua cum lorica ad corporum defensionem exstructa: ita accidit vt mutuis se cladibus & Treuiri & Germani conficerent: neque diu tamen ea obstinata pro Romanis fides mansit integra, aperta mox rebellionis vomica. Siquidem vulgata per Gallias Germaniamque mortui Vitellij fama, duplicatum exarsit bellum. Ciuilis namque deposito dissimulationis velamento, apertè iam in populum Romanum arma vndique ciebat. Galliæ quoq. animos erexerant: nam post Ordeonij cædem (qui coniurationem ita suppresserat clamque habuerat, vt nihil vnquam detectum fuerit) inter Ciuilem Classicumque alæ Treuirorum præfectum, missis vltro citroque crebris internuncijs communicata fuere consilia. Porrò Classicus genere atque nobilitate magnisque opibus, suæ ciuitatis facilè primus habebatur, quippe Regia editus stirpe, omnibus belli

belli togæq. artibus eminens, qui non obscurè ferebat maiores suos prætulisse inimicitias populi Romani societati atque amicitiæ. Cõiunxere se Iulius Tutor natione Lingon, & Iulius Sabinus Treuir: illum ripæ Rheni præfecerat Vitellius, hic præterquam quòd ingenio leuis & inconstans erat, falso nobilitatis titulo glorioſaque stirpis ostentatione tumens, generis originem ad Iulium Cæsarem referebat, quem quum in Gallijs bellum gereret cum proauia sua stupri commercium habuisse iactitando ad gloriam vertebat. Hi secretò ab alijs coquebant consilia, animosque pertentabant eorum quos consilijs suis haud alienos iudicabant, ac data acceptaque fide societatem illis firmabant. Itaq. apud Coloniam Agrippinam communicandis secretis ædes priuatæ deliguntur, quod ciuitatis fidem ab huiusmodi cœptis abhorrentis suspectam haberent: non defuere tamen qui ex Vbijs Tungrisq. vicinis societatem consilij coierint, sed multo maxima pars è Lingonibus Treuirisque fuit.

CAP. XIII.

De Hollandiæ appellatione, deq. Selandia nonnihil.

RES omnes de quibus narratio instituitur, triplici modo atque ratione in medium proferuntur, nimirum aut historicè, aut poëticè, aut fabulosè. Historia disertis verbis memoriæ prodit atque explicat quod verum est, quodque contigisse & factum nouit. Poësis figmento ingenioso adumbrat res fictas & commentitias, quæ nunquam acciderunt, vt planè factæ gestæque videantur, id quod Vlyssea Homerica, Mimi, & Comica argumenta dilucidè ostendũt. In Fabula res à veritate prorsus alienæ, quas esse falsas quiuis odoretur, nec vnquam fieri potuerunt, exponuntur: veluti quum è Titanum cruore Nicander, è Medusæi capitis sanguineis guttis serpentum genus enatum esse Apollonius Rhodius & Lucanus canunt. *Historiam nuda & simplex decet veritas, nullo maculata fuco*, vbi narratur quod ipse videris, quod compereris, cuius periculum feceris, quod auctoritate

Historia.

Poësis.

Fabula.

Historia veritatem spectat.

ctoritate communire, quod commentariorum fide obtinere possis. Cum qua tametsi dissideant reliquæ duæ, tamen in causis & originibus adiumentum ab ipsis petendum sæpe venit, tum ad coniecturæ probabilitatẽ, tum ad illustrationem rerum quæ tractantur. Qui interitum Vlyssis Annalium monumentis consignabit, diuersam necis quæ traditur occasionem narraturus, scribet eum à filio Telegono ignoratum & per imprudentiam necatum serrato marinæ pastinacæ (vt Oppianus ait) aculeo, quem à matre Circe acceptum, & iaculi mucroni insertũ arte Vulcani, Eustathius annotat: quod alius Poëta retulit ad Larum qui Trygonis seu pastinacæ radio emisso eum interemerit: nonnulli in equum fuisse transformatum, exemplo Hecubæ quæ in canem abijt, finxere, vti Sextus Empiricus commemorat.

Mors Vlyssis variè narratur.

Consimilem ludum excitauit mors Æsculapij (quem medicinæ auctorem vetustas stulta credidit) fulmine cœlesti extincti, quando tactum scribit Stesichorus quod Capanea & Lycurgum duces, qui in expeditione Thebana occubuerant, ad vitam reuocarat, vt Panyasis quod Tyndarum defunctum: Eratosthenes & Apollodorus quòd Hippolytum iniquitate nouercæ circumuentum vitæ restituerit, quem non à morte vitam iteraſſe, sed profugum è Troezene, eius ope valetudini restitutum, voluit Staphylus: at Philarchus quòd Phinei Regis Paphlagonum filijs oculorum lumine orbatis, visum restituerit, in gratiam matris Cleopatræ Erechtheidos: Pherecydes quod Delphis quotquot è vita emigrarant, eius ope reuixerint: Orphici, quòd Hymenæo, alij quòd Glauco Minois filio vitalem auram afflasset: Polyarchus Cyrenæus quòd Proeti filias ira Iunonis in furorem actas medicari præsumpserit: Damascenus propter Darij Lacedæmonij filium, si rectè vertit interpres, sideratum fuisse ait. Telesarchus denique quòd Orion eius beneficio vitã recuperauerit. Vnde velut è speculo liquet, quàm variè argumentum multiforme, & Poëtæ & mythographi pro arbitrio versent, fingant, atq. in diuersas rerum formas

Æsculapij interitus prodigiosè scriptis traditus.

transf-

transfigurent,ad modum figulorum,qui eadem ex argillæ massa,cantharum,vrceum,scaphium effingunt. Itaque, vt ad institutum reuertar,in rebus indefinitis, obscuris, controuersis, nullaque certa ratione circumscriptis, vt iudex esse debet historicus, quo verũ artificiosa indagine exquirat,ita vel inprimis id operosum est illi & arduum,cauere ne in alterutram voraginem impingat,neq. temerè quisquam eò pertingat perfectionis, vt nusquam Sirenibus illis, quæ incredibilia & manifestò falsa occinunt, aurem accommodet. Quare vt in exemplis,quæ commemoraui,non omnes causæ veræ esse possunt,simulq. consistere, est tamen vna quæpiam cui tribuere fidem historicus artificiosa ductus coniectura debet: verbi gratiâ,de Vlyssis in equum transformatione, aut de Laro, quis non primore statim fronte auditum auersetur & fastidiat? quod verò ex vulnere facto vi radij pastinacæ mors sequi potuerit, physici & naturalium caussarum ventilatores facilè obtinebunt,qui radium illum lœtale habere virus prædicant. Consimilis est ratio de Æsculapio,cuius etsi multiplex interitus occasio tradatur, vnam tamen solã fuisse contenderim,quòd videlicet quum ob artis medicæ prosperum successum vltra humanum fastigium tumidus efferretur,diuinosque affectaret honores, imò vt Deo sibi thus adoleri ab ijs quos valetudini restituerat,tanquã ipsi nexu obnoxijs,interposito etiam iureiurando,vellet à vindice Deo percussus fulmine interijt. Ita in caussarum inquisitione, fictas, vulgatas, & fabulosas commemorare potest historicus,velut ex animis senticetum illud reuulsurus,vt dum arbitri vices gerens verum subijcit, fideliùs depactum istud insideat,& fides in dubijs per illum afferatur stabiliaturque. Non dissimilis varietas spectata est in regionum aut vrbium nominibus, quemadmodum (vt ab vno exemplo reliquorum ratio cognoscatur) Mycenas Agamemnonis imperio inclytam vrbem, Pausanias à Perseo conditam ob ostentum quo capuli ensis caput eo loci ipsi exciderat, nominatamque scribit: quod & Nicander

Hiſtorici iudicium.

Medela fabulæ de Vlyſſe.

Radius paſtinacæ.

Medela fabulæ de Æſculapio.

Mycenarum nominis origo variè fabuloſa.

confirmat in Alexipharmacis. Chryſermus Corinthius in Peloponneſiacæ hiſtoriæ primo in hoc diſcrepat, quod excidiſſe quidem capulum Perſeo profitetur, ſed quòd poſteaquam illũ inuèniſſet Gorgophonus Epidaurius regno exutus, ex oraculi iuſſu, vrbem inde nominaſſet. Teſtatur Pauſanias aliam ſe nominis cauſam accepiſſe, de fungo, quem dum ſitibundus è terra reuellit Perſeus, manãte inde aqua, quæ ſitis incendium leuarat, expletus, nomẽ inde loco Mycenas dixerit, eſt autem μύκης dictio æquiuoca & pro fungo, & pro capite capuli. Cteſias Epheſius ad vlulatum ſororum Meduſæ refert, quæ obtruncata à Perſeo Meduſa, quum deſperarent ſe poſſe percuſſorem aſſequi atque intercipere, grauem vlulatum ediderunt, mugitui non abſimilem, à quo locus populari ſermone appellationem traxerit: rurſus alij Iũs mugitum huc reuocant. Auctor libri Heſiodo attributi, quem Ηοίας μεγάλας vocãt, refert denominationem ad Mycenen Inachi Argiuorum Regis filiam, Homericis verſibus notã. Euripidis ſcholiaſtes à Myceneo Spartonis è Phoroneo nati filio conditam appellatamque vrbem annotat, cui opinioni refragatur Pauſanias. Quorſum hæc tam multa? partim vt oſtendam quantæ hiſtoricum circumuallẽt res, vnde difficulter emergi poſſit, quantæque difficultates in iudicando ſubeundæ illi ſint: partim vt appareat haud nuperum eſſe ac nouum certamen contentionemque de vrbium regionumque appellatione. Neque verò minor opinionum diſſenſio atque diſcordia, ne dicam nunc ambitio, diſcrepantes noſtratium animos in partes varias traxit, de Hollandiæ, quæ Batauiæ bona pars eſt, appellatione; quam dum mecum conſidero, animoque contemplor, rationem reuoco ad iudiciorũ moroſitatem, quæ neminem patitur facilè priuato iure cedere, omitto philautiæ animis inſitæ ſtudium, quæ cæcũ noſtri amorem nobis inſtillat, qua in parte præiudicata opinio plurimum valet, imò aliud non facit, quàm quod amnis turbidi more ingeniorum arua oblimat; vt hîc Iſocratis prouidentia planè ſit

In hiſtorico requiritur iudicium ac delectus.

Opiniones de Hollandiæ appellatione.

Iſocratis induſtria.

nè fit opus, qui duplex pretium exigebat, ab his, qui prauis vſi doctoribus, ad diſcendum meliora mentẽ aliter imbutam adferebant: difficile enim eſt quod penitus inſedit inueterauitque, exſtirpare, veteresque auias de pulmone reuellere, quod Satyricus quidam dixit. Nobis certiùs aliquid de origine noſtra in medium adferre aut ſaltem probabilioribus documentis inniti licet, quàm alijs gentibus. Brabanti Brabonem fictitium ſocium commilitonemq. Iulij Cæſaris, quem Regis Arcadum (Euandrum eos deſignare velle ſuſpicor, quem multis antè ſæculis vixiſſe conſtat) filium nugantur, gigantis interfectorem, nomẽ genti ſuæ indidiſſe hariolantur. Scoti neſcio quam Pharaonis illius, qui Erythræo in mari, dum temerario animi ſtudio profugos Hebræos perſequitur, ſubmerſus perijt, ſororem, ſuæ gentis cum nomine conditricem, ſomniant. Brutum Æneæ pronepotem, Syluij filium nominis auctorem Britanni memorant. Francioni Hectoris (ſi dijs placet) filio originis ſuæ honorem Franci tranſcribunt. Ita vt militaris planè ac regia cœperit eſſe ſemita, ad locorum cognomines perſonas, natalem ortum nominisque occaſionem referre, illis, ceu conditoribus gentium, vrbium, regionumque appellationem acceptam debere, ac iure poſtliminij proprietarios nominis facere: quo modo à Iulio Caroli Brabonis filio conditore ſuo, Iuliacum nomen accepiſſe fabulatur Amardus Zyricæus. Eundem non puduit Tornaco clariſſimo inter Belgas vrbi nominis auſpiciũ venditare, à Torno quodam duce, quum priùs Hoſtilia & Neruia appellaretur, vt ait. Miror, quod non Turnum potius, Æneæ victimam, Virgilij poëmate famoſum, pro Torno hactenus obcuro & ignoto nobis omnibus, nominarit. Sed omnium recordiæ impudentiæq. ſepta longiſſimè tranſiliere in his rebus, Beroſus, Manetho, iam ante à doctiſſ. Goropio è ciuitate hiſtoricorum eiecti meritò atque exterminati, & Marius quidam, quos omnes ciusque farinæ alios miſſos facio, ad rem, quæ in controuerſiam vocatur, properás. animus enim eſt litem

Brabo.
Brabãtiæ origo commentitia.
Scotorum fabuloſa origo.
Brutus.
Britanniarũ origo à Bruto.
Francio
Francorũ fabuloſa origo.
Iuliacum vnde?
Tornaci appellatio vnde?
Marij impudens figmentum.

Hollādiæ etymon à lignis.

conteſtati, non cum iudice in rem meam vertere. Hollandiam ergo à ſyluarum ſaltuumq. frequentia, quibus commune cum lignis nomē in lingua indigena eſt (nam & ſyluam & lignum promiſcuè Holt / vel Hout dicimus) maior ſcriptorum noſtratium numerus nomen obtinere voluit: quod vt in vulgus probent qui cauſam volunt obtinere, omnia arbuſtis olim inhorruiſſe referta prædicant, toto quaquâ patet Hollandiæ tractu, quandò quicquid fermè ſpatij eſt inter Harlemum & pagum cui *Norduici ſyluæ* nomen durat hactenus, quod ad XII. M. P. extenditur, quercubus fagisque aſperum & incultū olim fuerit. cui rei documento ſunt frequentes quaquâ verſum ſcrobes, exciſarum arborum monumenta: indicio eſſe ijdem memorāt immenſum ſoli ſpatium in noualia conuerſum, arboribusque viduum, quod Dionyſij tyranni minas, quas in Locrorum agros effuderat quondam, ſenſiſſe videtur, coactis humi canere cicadis. Certè, vt verum fatear, non abſurda eorum eſt oratio, quod ipſe memoria repetam intrà quadragenos proximos annos centurias aliquot iugerum, hoc arborum honore orbatas, totos etiā ſaltus & nemora procubuiſſe, ita vt colendi agri ſtudio penè exoleuerit copia illa ſaltuum, quam auorum memoria perfrequentem vidit. Taceo tot pagorum nomina in Walt / vel, vt nunc loquimur, Woud exeuntia, qui à ſyluis vocati fuere. Taceo de *Nemore ſacro*, cuius Tacitus meminit, quod ſuperioribus Batauiæ locis extitit, epulo Ciuilis memorabile: quanquam ſunt qui inter Lugdunū & Delphos id extitiſſe ſibi firmiſſimè perſuadent, apud Vorburgum, quo loco arx ſtetit vetus, ſeruareque in hunc vſque diem nominis corrupti veſtigium, vulgo dictum Scakenboſch / tranſpoſitis nonnihil literis, quaſi Sacrenboſch. Taceo de *Luco ferali*, quem Hagæ Comitis propinquum & ob horrorem inacceſſum fuiſſe memorāt. Id verò ambiguum non eſt, quod littus etiam Hollandiæ arboribus obſeſſum non negant magno natu homines, qui mihi in plauſtris littus Norduico vicinum obeunti narrarunt, ſua memoria

Hollant / quaſi Holtland.

Nooztwijkerhout.

Sacrum nemus.

Vorburgum arx.

Scakenboſch.

Sylua feralis.

memoria frequentes arborum truncos in ipso littore extitisse, qui nunc diminuto ac decrescente semper littoris spatio, intra maris gremiũ redacti aut extriti fluctibus lateant. Cui historiæ non dissentit Plinius, qui haud procul Cauchis populis altissimas quercus ipsa littora obtinere, maxima nascendi auiditate, memoriæ proditum reliquit. Quam viri summi auctoritatem tantum abest vt eleuem, vt etiam Tessalici littoris conditionem comprobare dicti fides possit. nam apud Tessaliam insulam Batauorum septentrionem versus inter procurrentis littoris salebras (quod immenso spatio decreuit in tanto sæculorum decursu attritum haustumque) ingentem arborum syluam stetisse, trunci reliqui magno numero docent, quorum iniuria importuosum & stationi nauium iniquum littus illud efficitur, in quod si fortè aduersa tẽpestas nauigantes adegerit, vt iactis anchoris firmare naues cogantur, vna eademque necessitas etiam præcidere illas compellit, quando inter altissimis fibris actarum quercuum radices impliciti anchorarum dentes, nullis ergatis, nullo vectium molimine, liberari aut expediri possint, eademque ex causa retia iacere eo in littore prohibentur piscatores: vtrunq; aurita fide cum ab alijs, tum ab eius insulæ Prætore Boshusio, quem honoris causa nomino, viro militari, & omnigenæ historiæ auidissimo lectore, didici, qui inter cætera illud mihi affirmauit hæc meditanti, ante annos plus minus quadraginta relatum fuisse in publicos commentarios, operâ & industria quæstoris Petri de Santo, viri integri, testimonium annosi senis Tessali, qui ætatis annos centum vigenti vegeto adhuc ingenio pariter & corpore numerabat, qui sua memoria stetisse in illo littore syluam sanctè religioseque asseuerarat: nisi quis fortè reliquias illas insularum esse velit, quas Plinius si vera & explorata scribit, vastas complexu radicum, fluctibus suffossas, & ventorum flatibus propulsas, nauigasse ingentium ramorũ armamentis, commemorat, quas postea in vada Rheni ostio Fleuo propinqua appuliisse, & hærentes coaluisse non absonũ vero videatur.

Plin. lib. 16. cap. 1.

Cauchorum littus arboribus consitum.

Tessaliæ littus olim syluosum.

Boshusii laus.

videatur. Præ cæteris rei fidem munit roborum multitudo, quæ cùm nostra, tum prior ætas passim effodit ex agris pratisque, & in tectorum scandulas ac tigilla serris dissecta expetiuit, quas arbores Rheni eluuionibus prostratas olim & limo arenisque haustas ac terra adobrutas, alij vi maiore procellarum, cui ope nulla humana obuiari potuerit, procubuisse, penè pro comperto affirmant. Quam profligatorum arbustorum stragem incidisse in annum salutis octingentesimum ac sexagesimum, triennio ante inaugurati & Comitatu Hollandiæ donati Theuderici Primi aduentum, monumentis Annalium mandatũ inuenio. Sunt auctores qui ruinam stratarum arborũ transferunt ad Wilebrodi Archiepiscopi Traiectini preces efficaces, quibus diuini numinis euocata potentia, *Nemus sacrum* Deorũ falsorum simulacri consecratum, prostrauerit, reuulsis ab imis radicibus quercubus, quãdo à Sergio Pontifice destinatus Archiepiscopus primus Traiectensium, dono Pipini Francorum primi ex præfecto prætorio Regis sedem ibi Episcopalem obtinuit supra centũ sexaginta annos ante illud tempus. Hæc ego adminicula eorum defensionis adieci, quæ verisimiliorem nomenclaturæ rationem facerent, sed tamen non satis valida aut inexpugnabilia munimenta, quæ euincant nominis legem ac necessitatem, ceu πιθανάγκην quadam adhibita. Illa verò frigida eorum est & ieiuna oratio, qua opinionem suam superficiariã stabilire contendunt, manuscriptorum codicum fide, qua tamẽ Achillei argumenti loco vtuntur, scriptoris barbari atque inelegantis auctoritatẽ sequentes, qui annis abhinc fortè trecentis etymon non improbabile commentus, vulgarium autibus (qui sua ætate priora vetustioraq. ignorarunt) facilè potuit approbare initio Historiæ suæ: at hi temerè (vt fit) persuasi, neque altiorem cogitationem in iudicij trutina expendentes, virus illud quod hauserant, in libros ita describẽdo à se propagatos tanquam ex vno fonte diffuderunt, vnde persuasionis origo. Multo ineptiores magisque friuolas nugas sparserunt, qui ab Arboricis

Arborũ strages quo tempõ? Ann. 860.

Arborũ strages qua ex causa.

boricis populis nominis occasionem ortam existimarunt, quasi Arborici ab arboribus dicti fuerint, Francorum fœderati, quorũ Procopius græcus scriptor meminerit, quum Abotritis socijs vsi sint Franci, quæ lectio vt verior pro irreptitia vitiosaque Arboricis, auctori restituenda est. Quæ verò gens illa fuerit, dicetur postea. Iam qui à soli cauitate etymon vocis aduocant, ratione probabili inniti quidem videntur, quando omnibus in explorato sit tellurem regionis minimè esse solidam, sed palustrem, ad pedum pulsum vacillantem, nixuique facilè cedentem: quod soli nostratis ingenium ita graphicè accurateque describit Mamertinus, vel quicunque alius fuit Panegyrici Maximiano Herculeo dicti auctor, vt viuis pictorum coloribus nemo exactiùs repræsentauerit, cuius verba vt à mendis repurganda legi debent, hæc sunt, ne fastidium pariam bis eadem propè ingerendo: *Quanquam illa regio diuinis expeditionibus tuis Cæsar vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Vahalis interfluit, quamq; diuortio sui Rhenus amplectitur, penè (vt cum verbi periculo loquar) terra nõ est, ita penitus aquis imbuta permaduit, vt non sólùm quâ manifestè palustris est, cedat ad nixum, & hauriat pressa vestigium, sed etiam vbi paulo videtur firmior, pedum pulsu tentata quatiatur, vt sentire se procul mota pondus testetur, ita, vt res est, subiacentibus innatat, & suspensa latè vacillat, vt meritò quis duxerit exercendum fuisse tali solo militem ad nauale certamen.* Huiusce rei & vacillationis dico & innatationis documentum præbent prata quæ immissis tignis confirmantur, ne æstu maris vehementiore, aut inundatione altiore, quæ sæpius accidit, abripiantur, & item alia quæ crescente aquarum mole incrementum sequuntur. Irenicus quidam ab aquarum cauitate vocis etymon deducit, similique ratione Batauiæ Græcam originem confingit à βαθὺ, quod profundum significat: quo dicto quid ineptiùs, quid ridiculum magis excogitari potuit, qui nos tantum non Hybridas facere aggressus est? Longiùs à vero discedunt, qui à *fæno*, cuius

Arborici populi.
Abotriti populi.
Procopius emendatur.
Hollandiæ aliud etymon, à cauitate.
Panegyristæ locus de Batauia.
Prata Hollandiæ natantia.
Irenici error.

Hollant/ quasi Hoylant.

cuius lætissima est, *Hoylandiam* dictam autumant, quòd pascendis accommoda bobus armentisque, fœnificijs plæraque olim destinaretur, quod etiamnum depressiore insulæ parte obseruatur, quando altiora quæque arua sationi dedicentur, postquam hydromylæ vtilissimo inuento aquas latissimè exonerando, aruorum ingenia mutarunt. Hactenus ferè prodideram, quãdo aliud fortè agens incidi in Collectanea Medici Goudani, qui huic texendæ historiæ labori manum quondam admolitus fuit (cuius manes rectè conditos stylo lacessere, hoc est, cum larua luctari nolim) vbi magno auctore inditam regioni nomenclaturam seuero supercilio asserit, sed, vt liberè dicam, paradoxon mihi neque exspectatam, nimirum à Carolo Caluo Francorum Rege,

Carolus Caluus Theuderico Hollandiam donat.

qui Comitis titulum Theuderico primo, beneficio haud postremo, contulit: quasi Rex ille quum indomitum ac ferox gentis nostræ ingenium animaduertisset, quemadmodum etiam armatus rei periculum fecerat, quod odio exterorum rebellionem semper cœptaret, Batauiæ nomen mutari, & ex re præsenti Hollandos, quasi Incitatos, ab Hollen/ nuncupari voluerit. Effertur autem propriè vocabulum illud de equis, qui panico quopiam terrore perciti, rapiuntur in præceps, quando cum equis differtur auriga, nec audit currus habenas, vt Virgilij significantissimum versum huc obiter accommodem. Inuenioque eandem à Ioanne Stella, Philippi Regis historico eloquentissimo, rationem delibatam esse, siue ab alio acceptam tradiderit, siue ijsdem Collectaneis adiutus dignam duxerit quæ referretur. Quod si ipsam veritatem altè abstrusam nobis iste in lucem protulit, quid prius, quid've antiquius hoc nomine à Rege potentissimo indito, nobis esse debuerit? nobis inquam, quibus vt obsequij gloria debetur, ita auctoritatem regiam defugere immane flagitium & inexpiabile fuerit. Libet verò appendicis vice adijcere, Hermannum cognomento Contractũ, qui quingentis ab hinc annis in illa barbarie scripsit,

Holle quid? Hollãdiæ etymon absurdũ.

Phladirtinga Hollandia.

Hollandiam nominare *Phladirtingam*, à municipio vetustissimo

stissimo quidē illo, vt videtur, quod *Vlaerdingam* præsens ætas vocitat, totam regionem æstimans, id quod perabsurdum mihi visum fuit. Hactenus ferè, quid alij de Hollandiæ appellatione senserint prodiderintque, commemorare prolixitatis breuitatisque medius institi, nunc meam aperire sententiam est animus, ne inofficiosa mora lectori officiam. Ego itaque firmiter Hollandiam Gothicæ Danicæve gentis coloniam esse persuasum habeo, vt & Zelandiam: quod antea quàm doceam, deducendarum coloniarum præcipuam rationem ex Halicarnassæo, qui eam, vt cætera omnia, luculenter explicat, commemorabo, in hanc fermè sententiam. Quoties, inquit, ingenti multitudinis incremento auctæ essent ciuitates, vt necessaria ad victum alimentorum copia cunctis non suppeteret, aut tellus, ex cœli iniuria intemperieque, contractiorem frugum hubertatem protulisset; vel similis quæpiam calamitas communis incidisset, quæ necessitatem amputandæ multitudinis suaderet, siue ea res vtilitates fructum præbitura, siue noxam esset allatura, tum verò quantū hominum vertentis anni curriculum in lucem effuderat, Dei cuiuscunq. numini consecrabant, armisque instructos educebant extra fines. Quod si rebus feliciter gestis partaque victoria Dijs grates persoluerent, mactatis priùs de more victimis, in coloniam emittendos optimis ominibus prosequebantur: sin cœlestem iram expiarent, ac præsentium malorum finem Deos precarentur, similiter faciebant, sed mœsti, & à suis in colonias profecturis veniam petebāt, qui digressi, ceu patrio Solo perpetuum carituri, nisi sedem ipsos recepturam conquirerent, terram quamcunq. vel belli iure captam, vel amicitia adiunctam, patriæ in loco habebant. Ea lege vsos Aborigines, glisscente immensum multitudine, idem scribit. Sic Vinnuli patrio idiomate à promissis quas alebant barbis Langobardi vocati postea, lætissima sobolis aucti propagine, cuius alimentis Scandinauia non sufficeret, trientem populi vniuersi sorte ductum, ducibus Ebore & Agione, nouas sedes quærere

Hollādia Danorū colonia.

Coloniarum deducēdarum ratio.

Aborigines. Vinnuli Langobardi dicti.

compulerunt, tradente Paulo Diacono. Ad eundē modum Celtarum Regem scribit Liuius, quum prægrauante multitudine regnum exonerare cuperet, sororis suæ filios impigros iuuenes amandasse, quæsituros sedes quas Dij augurijs dedissent, atque ita ductis sortibus, additisque quantas ipsi vellent, copijs, vnum Hercynios saltus, alterum Insubres tenuisse. Consimili planè ratione barbari aquilonares (quos illa tempestas ab axe cui subiacent Nortmannos, nostra ætas etiamnum Noremannos vocitat) cælū cum solo mutaturi, quòd abundans hominum turba vix regi posse videretur, nobiles duas insulas Olandiam Zelandiamque, constante in hunc vsque diem appellatione inclytas, quæ in extremo Codano sinu, à Scandia exiguo freto dirimuntur, cum socia manu deseruere, ventisque vela facientes, classe Batauorum Mattiacorumque agros tenuerunt. Iam qui constituendis colonijs destinati regionē aliquam occupant, verso solo, plærunque solent similia veteribus sedibus loca deligere, quibus nomina imponant, & patrijs vocabulis quibus assueuere, fluuios, arces, oppida, municipia, vicos, ornare. Sic commemorat Polybius grauissimus veracissimusque scriptor, Tarentinos, quibus coloniæ deductæ ius ac indubitata cognatio cum Lacedæmonijs intercedebat, amnem qui vrbem præterlabitur, Galesum, ad similitudinem Laconici illius Eurotam nuncupasse; diserteque ait consimilia multa & intra ciuitatis mœnia & extrà in agro, nomina extare, ad Spartanum ritū concinnata. Similiter Agrigentum, eodem teste, Rhodiorum colonia, Iouis Atabyrij fanum, quod apud Rhodios religiosum fuit, & celebre, consimile in edito monte dedicauit. Quin & Helenus Priamides, qui Neoptolemi morte in partem regnorum venerat, in Chaonia Epiri, oppidulum Troiam cum arce Pergamo dicta, condidit, magna paruis assimulans, addita & imagine Scææ portæ, indito quoque riuo pertenui, qui oppidulum alluebat, cognomine Xanthi Troiani amnis, vt ingeniorum fons Maro indicat, quòd tali imagine præsentis fortunæ acerbitatem

Celtarū emigratio.

Nortmanni, eorumq; emigratio.

Olandia & Zelandia insulæ in sinu Codano.

Coloni nouas sedes veterum nominibus ornant.

Tarentini à Laconibus orti.

Agrigentum Rhodiorū colonia.

Helenus patriæ loca assimulat.

tatem optimè leniri posse putaret. Neq. diuersa causa motos Nortmannos, insularum quas reliquerant nominibus, nouas colonias donasse, qui veritatem ad rationem reuocat, iudicabit. Quòd si quis dubiũ velit facere, quòd vetus nomen, aut (vt verius dicam) vsitatum Olandiæ (quam scribendi ratione secutus fuit & Chrysostomus quidã Neapolitanus, qui non inerudita epistola nostram insulam moresque ad Nugarolũ Comitem describere voluit, quam huic capiti à fine adijciam.) nomen creuerit, accessione aspiratæ auctũ, næ ille in nodo scirpum quæritat: nam si cogitet ille apud maiores nostros frequentiore in vsu fuisse aspiratam, atque inde diuturnitate vsus receptam inoleuisse, admirationem facilè exuet. eius rei documentum dabunt vetustissima membranaceorũ codicum exemplaria, quæ vocibus nonnullis etiam à consonantibus initium sumentibus, H, (siue illa aspirationis nota, siue litera dicenda venit) præfixerunt, vbi Hrenus scriptum inuenias, Hlotarius, & Hludouuicus; vnde fieri potest, vt error irrepserit in libros, qui præferunt Klotarius, pro Lotarius. Nolo nunc Arrij stultâ pronunciatione aures onerare, quem Catullus *Hinsidias*, & *Chommoda*, pro *Insidijs* & *Commodis*, dixisse sugillat. Nolo Florentinos in societatem huius legis aut consuetudinis loquendi vocare, quibus aspirata in ipsis faucibus sibilat propè omnibus in verbis. Satis sit vocem patriæ genitalem, siue ab ipsis Nortmannis, siue à nostratibus tunc vsitatè sic loquentibus, aspiratæ pronunciationem sumpserit, Hollandiam hactenus per aspirationis notam & in sermonem quotidianum ac familiarem confluxisse, & in calamius vsurpatione transisse. Sed de ea re satis copiosè, nunc venio ad Annales nostros, qui obliterato in tanta vetustate vero, neque adiuti alijs è re literaria subsidijs, fabulosè narrant germanos & vterinos fuisse fratres Battum natu maiorem & Salandum, qui cum ingenti suorum manu vertentes solum, nouas quæsitum sedes profecti sint, atque ille Batauiam Rheni insulam, hic Selandiam occuparit, suisque

Florentinorũ vitiũ in pronunciatione.

Hollandia pro Olandia.

H veteribus semper in ore.

Annaliũ nostrorum commentum.

Battus & Salandus fratres.

nominibus vtranque dixerint, nimirum vsitata illa & planè regia via, de quâ alibi à me dictũ est, Annalium auctor vsus in hoc videtur: additur fabulæ, Batauodurum à Batto illo conditum, miræ atq. inauditæ amplitudinis vrbem, quam diruerint posteà & solo æquauerint Dani cum Nortmannis tempore Hungeri, vndecimi Episcopi Traiectensis: simili æmulatione exstructam à Selando arcem Metellobur-

Metellobur-gum.

gum patris sui nomine dictam. Sed animaduerto veriſſimè dici, nihil esse difficilius, quàm decorè fabulam scenicam repræsentare. Quod si nugator iste malè feriatus Annalium concinnator, qui lectorum luminibus glaucoma istud parum prospicientibus offudit, cogitasset Selandos alio no-

Mattiaci.

mine Latias Musas olim dixisse, nempe Mattiacos, tunc quum Hollandi ijsdem Batauieramus, potuisset directiùs aliquanto ad veritatis scopum collimare, ac probabiliore narratione irrepere, & philalethiam insinuare, nimirum Batauos & Mattiacos è duobus germanis fratribus principem inter Cattos locum tenentibus ortos, quorum vni nomen fuerit Batoni, siue, vt ipse appellat, Batto, alteri Mattio

Mattium caput Cattorũ.

(quandoquidem Mattium Cattorum caput agnoscat Tacitus) qui cum ingenti populatium suorum multitudine patrio solo extorres, aut nouam coloniam quæsituri, vnus Rheni insulam, alter adiacentes eodem tractu insulas à se occupatas, nominibus proprijs insigniuerint. Aut si vernaculas & domesticas appellationes quærebat, cur non Olandum potiùs cum fratre Selando substituit? eosque coniunctis viribus classibusq. fraterno sodalitij fœdere expeditionem tentasse scripto prodidit? Quod si alterutram viam institisset, probabilia & consentanea dignitati vtriusque populi dicere visus fuisset, neq. vereri debuerat, ne in poëtici figmenti structuram ista commentatio assurgeret, quæ veri

Zallm.

similitudine sese vltrò approbaret. Nam quod Zallum Scytham alius quidam exciuerit, zelotypiæ aut æmulationi hominis ignosco, qui reliquorum exemplo hospitem & peregrinum exulem pari fermè interuallo è Scythia gentis suæ conditorem

conditorem eduxit,quo Galli Francionem suum è Troia. Quare vt fabulis nuncium remittamus,& veritati propiores certum aliquid statuamus, Hollandiæ nomen ex hac occasione factum censemus. Scandinauiæ littus prætexit Olandia insula,fortassis à lupulacei potus ceruisiǽve bonitate antiquitus nuncupata,quod vernacula Cimbrorũ lingua etiamnum *Ol* (cuius vocis deprauatæ reliquijs superstitibus Britannia eundem potum *Ael* nominat) Cereale poculum vocetur. Eidem littori obtenditur & altera insula Selandia,in hunc vsque diem seruans nomen,Hafnia (quæ *Copenhauia* nunc dicitur) celebri emporio & academia nobilis.Hæ à Nortmannis ac Danis (quæ vox abietinis & piceis in syluis eductos homines, id enim est *Dannemans* significat) habitatæ,quum graui indigenarum multitudine laborarent,instructis classibus Britanniam,pulsis domitisq. veteribus colonis,sui eam iuris fecerunt, armisque victricibus occupatam tenuerunt,Galliæ oram infestam classe habuerunt, Batauiam quoque inuadendam sibi putarunt,non tam præsumpta auidis animis opum cupidine incensi,quarum spem faciebat insula nullis vnquam tributis Rom.obnoxia, & præclaris sempiternæ militiæ stipendijs ditata, quàm quòd opportunitas insulæ,medio in cursu inter Britanniam & genitales terras iacentis,eos illexerit. Itaq. eam adorti suæ ditioni subiecerunt,immaniter in victam debacchati sunt,& antiquato veteri nouũ Olandiæ Holládiǽve nomen indiderunt,id honori patriæ datum. In quod autem tempus ista calamitas & mutatio nominis inciderit,exactè aut certo affirmarè non licet;quòd,vigente omniaque confusè obtinente barbarie,historiæ & scripta silerent. Veri tamen sit simile incidisse in annum salutis IↃ. CCC. XXXVII. quando ab illis Batauodurum ferro & incendijs vastatum, Frisijsque (qui Hollandiæ pars sunt) tributum imperatum est,vt Sigiberti testimonio liquet: eiusdem calamitatis sortem sub idem tempus experta & Walachria,quæ potior Selandiæ pars erat,ita vt existimem tunc potissimè Nortman-

Olandia insula.

Ol, ceruisiam significat.

Hafnia emporium.

Quando Hollandiã inuaserint Dani.

Walachria insula.

nos cuncta ad arbitrium & libidinē ſuam trahentes, & crudeli, ſuperba atque impotente dominatione, (quæ victoriæ natura eſt) vſos, nominis mutati duram legem impoſuiſſe.

Hungerus Epiſcopus Tr.

Qua tempeſtate vixiſſe Hungerum, vndecimum Traiectenſium Præſulem, furori aduenæ gentis ceſſiſſe, atq. exulatum abiiſſe legas. A quo tempore inſulam Rheni tyrannide ſæua oppreſſerunt, arces & oppida ferro & igne graſſati exciderunt, donec viceſimo ſexto pòſt anno Theudericus primus Comitis titulo & regionis iure donatus eſt à Carolo cognomento Caluo, ea lege vt Nortmannos poſſeſſione deturbaret atque exueret, id quod & præſtitit. Cæterùm lectori rem non ingratam me facturum reor, ſi iſthîc loco haud importuno Chryſoſtomi cuiuſdam Neapolitani, vt inſcriptio præfert, epiſtolam non inelegantem adiungerem de Olandia, quæ quòd libelli iuſti modum non impleat, viſa mihi eſt huc transferenda ne intercidat, quam reuocata ad calculum ratione ſcripſiſſe videtur anno ſeſquimilleſimo quarto & decimo. Ea ita habet ad verbum.

Theudericus primus Holl. Comes.

OLANDIA *omnis (ſicuti ego ab incolis intellexi) paſſuum ambitu fere ſeptuaginta milliū cōtinetur: eam à Septēntrione ac Oriente magna pro parte Oceanus; ab Occidente bicornis Rhenus abluit; à meridie quæ nunc dicitur Gelria, olim vt multi volunt, Sicambria terminat. Terræ natura eiuſmodi eſt vt ab Oceano ad interiorem partem ſit paullo deuexior, ſed Rhenus accepto Moſa, multiſq; alijs fluminibus, licet bipertitus, & mutato nomine in mare influat, tanto tamen aquarum fertur impetu ac magnitudine, vt Oceanum ipſum longè propellat, & tam influens, quàm refluens ſupra triginta millia paſſuum inundet, ac alterius penè maris ſpeciem reddat. Quinetiam veluti à vaſtioribus aquis indignetur abſorberi, cum Oceano tamdiu luctatus, ab omni (quod ſupra memorauimus) pelago illius amarorem excludit. Quapropter iratus ille, vt opinor, ab hinc tres & nonaginta annos licentiùs egreſſus fines, magnam Olandiæ partem & in ea duos ſupra ſeptuaginta pagos immerſit, è quibus omnibus vnum tantum*

tum infantem elapsum natu grandiores affirmant, & cum eo felem, vt in ijsdem fortè cunis vterque inuentus innatauit. Heu rem dictu, nedum visu miserabilem! Enauigaui ego, nec paruo quidem nauigio, loca illa quæ adhuc extant quæ meminerint aratris proscissa, & ferratis peruia plaustris. Visuntur adhuc multis in locis turrium cacumina, quæ tanquam aliqua sepulchrorum monumenta, cadauera ibi oppidorum ab aquarum gurgitibus tumulari, prætereuntes cõmonent. Hæc maria sic Olandiam ambiunt, sic passim interfluunt, ac per crebras fossas & canales intermeant, vt fasciatim, modò aquæ, modò terræ veluti zonis quibusdam distincta cernatur. Neque vrbs vlla pagúsve est, quò non curru pariter & mari possis duci. Neque vsquam in tota regione, quantumuis penitissima, esse possis, vnde trium horarum spatio ad mare non posses excurrere. Loca ferè omnia palustria sunt, non tamen inuia, vt non inaquosæ viæ quâ currus commeant, suggesti is vt plurimum aggeribus, non silice aut coctili latere, sed quadrato cespite in ordinem posito passim stratæ, hinc atque hinc aquarum fossæ lintribus ac nauigijs innatantur. Tum crebri illices, in quos excrescentes aquæ deriuantur, paludosa & vix aliud, præterquam pecori pabulũ subministrantia distingunt arua. Mortales ipsi æquè propemodum in aquis ac in terris degunt, ita vt amphibia quàm terrestria animalia verius dixeris. Vrbes fossa & muro cinctæ duodecim perhibentur. Pagi & villæ, quæ neque magnitudine neque cultu, quibus uis oppidis cedant, supra sex & triginta, tum vici, compita, & magalia, sic passim interiecta, vt vix quoquã oculos vertas, vbi non aliquod ædificij occurrat genus. Vrbes ipsæ plenis aqua fossis & lateritijs mœnibus cinctæ sunt: nam saxi & tophi expers omnino regio est, tum amplissimos ac adamussim dimensos vicos habent, & eos quidem glarea, nauigijs aliunde inuecta, stratos, nulli luto, nulli cœno obnoxios. Curiæ, Prætoria, templa, xenodochia, & cætera id genus publica ædificia, plærisque in locis augustissima: priuatarum ædium vna ferè omnium facies, vna structura est, lateritij parietes in altum

haud

haud multum assurgũt, sed in acuminatam formam, pinnisq; quibusdam ad decorem distinctam, desinunt. Intus è regione ostÿ (nam inferiora ædium ferè omnes incolũt) abacus & paries ipse aduersus, grandioribus ex nitenti ære peluibus & peltris (vt aiunt) omnis generis lancibus & poculis instructi, prætereuntium oculos ad spectandum inuitant ac radianti quodam fulgore luminũ aciem penè perstringunt. Bone Deus quis vasorum nitor, quis lectulorum, quæ mensarum lautitia, quis mantilium, quis mapparum candor? qui sedium ornatus, quæ denique parietum, quæ soli, quæ rerum omnium cæterarum munditia? Cænaculorum, diætarum, cubiculorúmve pauimenta leui aspergunt arenula, vt si aliquid immundum in ea casu aliquo decidat, si cœnosa fortasse cuiuspiam vestigia in ædes inferantur, fœdari pauimenta non queant, sed verri scopis eue stigio sordes facilius possint, antequam solo inhæreant. Hominum genus, vt planè inspexisse videor, maximè industrium & negotiosum, sed versutum & callidum. Addo etiam essedarios, qui currulem vectationem exercent, subdolos & in aduenas præsertim, lucelli cuiuspiam captãdi gratiâ fraudulẽtos. Mulieres vt pulchræ, vt lacteæ, vt simplici munditia omnes, ita partim mercaturæ pertractandæ, partim lanificio aut linificio potiùs, dies & noctes intentæ. Victus omnibus parcissimus est, secundario pane, aut lacte macerato, aut butyro leuiter oblito vitam ducunt. Tum si quando se volunt inuitare vnctius, aut bubulas, aut ouillas carnes pridiè coctas & in sextum interdum diem seruatas apponunt. Has ego intuens auerti statim iubebam, videbar enim inspicere semilacerũ & vt tu festiuissimè dicere soles, quatriduanum aliquod cadauer è sepulchro aut scalis gemonijs ad mensam pertractum. Bucularum & equarum ingens numerus, illarum lacte non magis aluntur, quàm ingentes caseos quosdam conficiunt. Equarum seruitio ad currus trahendos, quorum in Olandia frequens vsus est, magis vtuntur. Hanc ego ferè totam regionem sex diebus perlustraui, aut percurri potiùs. Sed audi rem miram. Est ibi Vrbecula quædã apprimè concinna,

cui

cui nomen est Roterodamo, in eam & proficiscens & rediens, duabus noctibus sum diuersatus. Cumq; miro quodam studio diligentius illam quàm cæteras pertractarem, nescio quo pacto factum est, vt illius intuitu vix mihi oculi possent expleri. Cognoscebam sanè illam & magnitudine & opibus multis alijs cedere: occultioribus tamen nescio quibus causis, ea mihi placebat impensiùs. Mœnia, portæ, strata viarum arridebant mihi: parietes ipsi, tecta, ædificia omnia vltrò mihi videbantur adulari, denique cœlum illud nitere purius & aura spirare nescio quid diuinius: vernari propinquus ager, tepere circumfusus aër, herbæq; ipsæ ac salicta, quibus Olandinus ager maximè consitus est, olere nescio quid amabilius videbantur. Dum id stupeo mecum, & caussam eius rei tacitus quæro atq; vestigo, tandem cuiuspiam relatu cognoui ea in vrbe auras primi hausisse luminis, primum illud Latiæ atque Atticæ linguæ lumen Erasmum. agnoui extemplò hinc illud cæli nitere defecatius, hinc illos aëris vernos tepores, hinc illã arborum, herbarum, locorum olentiam tam suauem. Vah quanto repentè perfusus sum gaudio, quàm benè mecum actum censui, cui fortunatum illud solum intueri contigerit, quod fortunatum ac salutare illud Germaniæ sidus aliquando protulisset. Veneratus igitur loci genium, vrbis mœnia ter & quater exosculor, tum pijs quibusdam conceptis verbis, nutriculæ illius diuini hominis vrbi bene precatus, inde pedẽ extuli. Sed quum postremò ad illam Oceani partem peruenissem, quæ haud procul ab Harlemo vrbe infremens magnis arenarum cumulis longè lateq; campos replet, è curru statim prosiliens Oceanum patrem rerum salutaui. Sed vbi tam dirum Olandiæ vitricum illum fuisse animo subijt, qui tot oppida, tot ædificia, tot mortales vno haustu absorbuit, magnis eum conuicijs & inanibus diris sum execratus. Deinde quantam rem egerim, diu mecum contemplatus, quòd homo iam sexagenarius à Lucanis vsque in Italia ortus ad extremum illum orbis terrarum limitem venerim, tot montes, tot siluas, tot flumina tranans, tot terras, tot maria emensus, tam audax, tam memorabile

facinus dignum censui, quod aliquo posteris monumento testificatum relinqueretur, ac sicut Herculis quondam, iter erectæ ad Gades in Atlantico mari columnæ, Alexandri expeditionē ad Caspias portas positæ aræ, Pompeij arma ad Pyrenæos montes illata, defixæ identidem columnæ testantur: Sic & nostros quoque tam longæ viæ labores & tam magnos ausus insigne aliquod monumentum memoriæ hominum commendaret: qui enim magis meruerint prædones illi hostes humani generis, suum ipsorum nomen illustre ac æternum fieri, quàm ego meum? cùm illi regnādi libidine ac propagandi per fas & nefas, imperij auiditate, quietos & insontes populos vexare bellis, cædibus, rapinis, incendijs omnia vastare ac diuina & humana permiscere nō veriti sint. Egò videndi tantum studio ac ea perdiscendi, quibus & mihi & alijs prodesse possim, tantum viæ percurrerim, tam multa pericula, tam multos labores exhauserim. Tantumq; abest vt indigenas quospiam infestem aut expilem, vt vel illorum plærisque pecuniolam meam vltro impertiam, dum pretio mihi hospitium & victum in diem paro. Iure igitur æternitati nominis nostri consulendum statuens, pro copia rerum & temporis angustia, cùm in arenarijs campis illis, neque marmoris neque æris vlla daretur facultas, ingentē arenæ cumulum congero, eum viridāti cespite munio, ac dispositis circumquaq; in valli modum crebris iuncorum manipulis sepio, tum rem ipsam duobus versibus signo,

Erexit molem Chrysostomus, vrbis alumnus
Parthenopes, studio qui hæc littora adusque videndi.

Rides fortasse me qui tam imbecillum opus contra tam vastas æquoris ac ventorum procellas satis firmum putauerim. Ne mirere: ab ipsis Olandis Oceani accolis exemplum cepi. Villas illi habent, ad ipsas vndarum fauces positas, eas ibi sepiculis quibusdam ex simplici stipula vel iunco intextis muniuere, illarum obice contra præruptos vndarum montes & terrificos Oceani fluctus se satis superq; tutos putant. Sed ego mi Comes pro epistola iam libellū ad te do: dum longo literarum

alloquio

alloquio intermissæ consuetudinis nostræ iacturam me iuuat resarcire, dumq; tecum partiri bona fide studeo, quicquid ipse de Olandia properantibus oculis haurire potui: nam ne omnia oppida circumirem, néve diutiùs vsquam immorarer, pestilentia quæ plærisque in locis grassatur, prohibuit.

CAP. XIIII.

De Hollandiæ Comitatu in plures partes & segmenta diuiso.

HOLLANDIÆ Comitatum, quando ita placuit Francorum Regibus à reliquo corpore Batauiæ separare, ceu in frusta dissectum, ambitiosiùs describere laboris superflui foret, vt è diuerso negligentius, socordis animi ac supinæ operæ probro incessendum. Quare Asiatici cultus & ieiunæ humilitatis medius regiam viam ingrediar, de qua idem dici posse animaduerto, quod olim de Ægypto traditum accepimus, nimirum quòd Nili amnis beneficium illa fuerit, hoc est, quòd limo ac cœno, cuius affluentē copiam Nilus vbi alueo crescit inuehere solet, incrustatis oblimatisque aruis ingens incrementum acceperit. Hoc namq. persuasum plærisque est, maiores nostros rerum suarū nimium sategisse, quando oppositō aggerum vallo limum, quo Rhenus stagnans agros & pascua saginabat, stercorabat, & altiores reddebat, excluſere: quod si omissum ab illis studium illud fuisset, putant à multis iam annorum centurijs non futurum aggerum præsidium tantopere necessarium, Rheno non minus, quàm olim Nilo, νέαν ὕλην, id est, nouum semper & annuum cœni sterquilinium aruis illaturo: imò existimant annorum aliquot tolerantiam, damnum & molestiam illam fuisse facilè compensaturam aruorum cremento, quum præsertim potuerint, si ab inundationibus periculum immineret, ad editiores tumulos (tribunalia nominat Plinius) perfugere, quos extructos manibus è cespitibus aggestis, in omnem euentum habuisse constat locis humilioribus, ad experimenta altissimi æstus, in quos receptus patebat pe-

Ægyptus Nili beneficium.

Hollandia Rheni munus.

Tribunalia.

bat pecori,armentis,pastoribusq. contra fluctus. Sed ijdem homines,si illis temporibus,quibus maiores nostri gnaui & non desides vixere,fuissent, diuersum opinor censuissent: ita ingeniosam curam inquies & inexpletus animus ad longinqua solet extendere. Est ergo Hollandia,pars insulæ Batauiæ, contigua illi statim à Culemburgo & ad Goricomium,ita vt reliqua superiorque Batauiæ pars sola quatuor oppida retineat,ab Holládiæ hæredio separata: deinde Traiectensi adhæret ditioni;quæ,relicto ad dexteram extra suos fines Iselsteino,Monfortium includit cum pagis & arcibus aliquot intra Vectam amnem. Quod extra eum est, Goeylandia vocatur,tria complectens oppida, Wesopum, Naerdenũ,& Mudam,exiguo interstitio disiuncta. Quod agrorum in austrum vergit à Rheno medio,intra Mosæ supercilia clausum,Australis Hollandia dicitur, cui ad occasum Mattiacorum,hoc est,Selandorum insulæ adiacent cultoribus frequentes,& tritici bonitate ita celebres,vt bina illîc iugera colonum magis beare dicantur & augere, quàm quaterna Brabantica:quas post medium ostium Rheni fluminis ad Orientem sitas loquitur Dominicus Marius Venetus,vento magis inania effutiens,quum Selandia in Africum potiùs excurrat. in hoc non minus vanus, quàm in Batauoduro, quod Butatodurum ipse appellat, sub quod statim subsequi Bonnam vult, alio longè situ quàm Ptolemæus censuerit, eamque Batauorum ineptissimè stultissimeque asserit, fortè quia legerat apud Tacitum ductu Ciuilis Batui Bonnam occupatam: consimili errore Batauodurum pro Aquisgrano accepit Ptolemæi interpres. Nimirum verissimè dicitur, Multos inueniri thyrsigeros, sed paucos Bacchos. Rursus post Rhenum mediũ statim Kinnemariorum ditio,seu Caninefatum, secundùm arenariorum collium tractum in longum porrigitur; post eos Westfrisij,quos Cis-rhenanos aut minores Frisios ego nomino, versus ortum iacent,qui cum Caninefatibus simul, Frisiabones velut in sinum receptos includũt, qui Waterlandiam ab aquis,

Hollãdiæ metatio.

Goeylandia.

Hollandia Australis.

Dominici Marij error.

Ptolemæi interpretis error.

Caninefatum tractus. Westfrisia.

Frisiabones. Waterlandia.

ab aquis, quarum iniuriæ obnoxia est, nominatam habitant inter perpetuas paludes & pratorum longas tænias fossis incilibus vndiq. diuisas. Hæc vniuersitas omnis terrarum, cum insulis adiacentibus Tessalia, Wieringia, & Flielandia, vno Comitatus Hollandiæ nomine censetur. Eam à plaga mundi occidua, Britannicum mare, à Septentrione Cimbricum ambit & littora pulsat, ab ortu Solis fretũ amplum Frisiam procul aperit, ad Euronotum Transiselana & Velauia, ad austrum Traiectina ditio obtendũtur. Totum Hollandiæ corpus diuiditur à chorographis in Austrinã Hollandiam, Kinheimariam, Westfrisiam, Waterlãdiam, & Goeylandiam. Austrina semper auctoritate & dignitate superior fuit: cuius caput Durdrechtum nemo ignorat. De Kinheimaria, dixi prius vbi initium habere existimem, & finem, eamque Caninefatum regionem esse docui: de quibus litem controuersam mouisse veluti de industria coniuratis animis visi sunt Diuæus & Stella, sed discussisse nubilũ illud abundè me puto, nisi fortè sint qui præiudicata opinione imbuti, veri lucem nõ admittunt, illorum instar qui in Platonico specu beatæ suo sensu vitæ assueti sunt, quibus si fortè discedente ac diducta hiatu tellure, repentinus lucis fulgor infundatur, quanta cõtinuò turba oritur, quanta existit animorum indignatio? diem detestantur, beneficium in iniuriam vertunt, donec assuetudo & veritatis notitia erroris caliginem exemerit animis: quos ego longũ valere iubens, ad Caninefates nostros venio. Eorum etymon è locorum & regionis quam incoluerunt natura ac conditione coniecturâ colligo, quandoquidẽ vera nominum impositio cum rerum ac gentis ingenio conuenire ad quadrum solet: eam verò cuniculorum esse refertissimam feracissimamque, vt alio loco à me commonstratum est, nemo ita peregrinatione alienus est qui nesciat. Itaque iam tum à prisco sæculo Caninefates audiuere, vt cuniculorum raptores, hoc est, *canine fatres*, molli pronũciationis lege ad Frisicum idioma propius assonante, à præhendendis cuniculis, vel per con-

Hollãdiæ termini.

Australis Hollandiæ dignitas.

Kinheimaria.

Caninefatum etymon.

Caninefates vnde dicti.

uicium,quòd eos in cadis condirẽt ac victorum more compingerent ad vſum ſeruandos;niſi exterminata canina litera per Romanos pronũciationi ineptos *Canine fraters*,vt cuniculorum comedones helluonesque nominati fuerint.Illud verò memoratu dignum eſt,non procul Hemſkercka, tumulum accliuem viſi, in omnes æqualiter partes editiorem,in ipſo fermè ſoli Caninefatium meditullio ſitum,in quo retroactis ſæculis ſoliti ſunt Hollandiæ Comites,vt Kinheimariæ domini, in frequenti ac ſolenni popularium & nobilitatis conuentu inaugurari ditioni illi,ac mutuo ſacramento imbui cum Principem,tum nobiles cum vulgo.

Kinhemus fl. Hos ego portum habuiſſe & alueum quo Kinhemus defluebat,non procul Crabbedamo exiſtimo,quãdoquidem in Caninefates appuliſſe Nortmannos Danóſve cum claſſe ante annos fermè ſeptingẽtos Regino Prumienſis teſtatur.

Weſtfriſia. Caninefatum caput eſt Harlemum. Weſtfriſiam à poſitu orbis ſic hodie nuncupatam Friſij minores ſeu Ciſrhenani incolunt,gens olim fera, inquies, & ſeruitij impatiens,vti docebunt res cũ Comitibus fortiter geſtæ,nunc pacis otijq; tranquillitas pariter & opes magnæ ferociam ex animis priſtinã exegerunt.Agros ea habet feraciſſimos,ſumen quoddam terræ.Ex hac Nortmannos,qui ijdem & Dani dicuntur,prædas egiſſe principatu Pipini patris Caroli Magni,ex Einhardo liquet.Hæc videtur vnâ cum Kinheimaria faſces agnouiſſe & imperium Gotefridi Danorum Regis,quandoquidem cum claſſe Nortmannos huc intraſſe ex Reginone conſtat,cui innumera damna & clades terris inferenti,Friſia ex pacto conceſſa eſt,cum Giſela Lotharij filia matrimonij fœdere illi coniuncta,vt luſtralibus aquis tinctus nouamque religionem amplexus Chriſto nomen daret.ſed ſera pœnitentia admiſſi in extimam regni ſui oram hoſtis, Carolus cognomẽto Craſſus Imp.cùm non audèret palam & aperto Marte bellum illi Regi facere,eò quòd ſciret Friſiam hanc inacceſſam eſſe exercitui,propter innumeros diuerſarum aquarum decurſus, & impenetrabiles paludes,

dolo,

dolo,quàm virtute tollendum eum potius iudicauit. Itaque clandestinis insidijs ille petitus sub specie amicitiæ, & ad colloquium vocatus,immisso Eberhardo percussore nefariè interéptus est, vt cõmemorat Prumiensis Regino. Meam de Frisijs sententiam antea exposui,vt hîc iteranda non sit, ne cramben recoctam,prouerbio notam,fastidiosa ingenia obijciant. Huius etiã,nunc Rex, nunc dux Radbodus apud Ecclesiasticos istos scriptores nominatur, quem apud Medenblicum regium Palatium sedemq. habuisse vulgò creditum est. Goeylandia videtur cognationis aliquid habere cum Ostergoa & Westergoa ditiunculis Frisiæ Transrhenanæ, sed qua ratione, id verò me fugere fateor, alijsque quibus ea loca sunt notiora benignè aperiendi materiam præbeo,vt in publicum ea prodant & cognitionem adiuuent. Dicam tamen quod sentio,si vlli fuere inter Batauiæ populos Cauci,vt à Plinio commemorantur, eos Goeylandiam tenuisse,olimq. Cauclandos, velut Caucorum ditionis incolas,deinde paulatim senio linguæ Goeylãdos transnominatos crediderim. Hæc obiter de Hollandiæ secũdum nonnullos diuisione dicta sunto. Regionis ambitũ ad sexaginta milliaria extendi audio, latitudo perexigua est,quandoquidem è meditullio eius, creditur viatori patêre aditus ad extremos ipsius fines in latum trium horarum spatio,vel etiam hinc ad Oceanum,illinc ad maris sinum,est,vbi latitudo non æquat milliare. Ex quo æstimari potest deductam à reliquo corpore Hollandiam,longæ tæniæ aut litui potiùs incurui faciem præferre. Memorabilis verò est maiorum nostrorũ industria & digna gentis huius gloria,quòd cùm Rhenus & Mosa in plures singuli ramos & brachia alueosque diffusi regionem quaquauersum intersecent,illi tamen haud contenti hoc naturæ beneficio,arte & industria hanc adiutarunt, passim emissaria,opportunos euripos, & aquagia adiunxere, vt aduentu discessuque commeantium aduenarum commercia alerentur,dum commoditas subuectationis studia hominum accendit, atque incitat,& vt ex frequen-

Radbodus Rex Westfrisiæ.

Medenblici arx.

Goeylandia.

Cauci.

Hollãdiæ circuitus.

Maiorum nostrorum industria.

frequentatione quæstus vberior increscceret. Neque hos intra terminos stetit vigilantia illa, quin ductibus aquarum adiecerint & Pontes longos (*Kaeydijckos* appellant) qui inter paludes, quibus omnia abundant, aggesti, tramitibus anguſtis peditem deducãt vltrò citroque, vt & aquâ & terrâ commeatus pateat cunctis. Nec illa obliteranda est progenitorum sollertia, quâ prospexerunt accretioni agrorum extrà aggeres, quos ijs locis erexere, quibus regurgitãs æstus alluuione quadam accrementum gigneret: agrosq. eiuscemodi gentili vocabulo *Poldros* propriè appellarunt, qui è fluuio aut mari, cui loco æstuariorum postea fiunt, educti aggestis pontibus longis aggeribusque ab aquarum iniuriâ obsepiuntur. Fortè quod è stagnis, quæ *Poli* vulgariter dicuntur, recuperati fuerint, quæ melior etymi ratio esse mihi videtur, quàm à *Volis*, hoc est, equorum pullis (πῶλος Græci vocant) quorum pastioni vtiles sint & commodi, id quod Meieri somnium est. Illud verò indignum fuerit, quod silentio à me transmittatur de Hollandia loquente, eam habere clarum sæuitia & periculi magnitudine formidolosum monstrum, alteram Scyllam, vt si quid diuinitatis inesse immanibus rebus, pestibus, monstris censendum sit (quod ideo fortassis finxit antiquitas, quòd per ea plecti punirique scelera diuinitus crediderint) huic, de quo dicam, loco eam quoque opinionem affingamus. Dedit Natura Siculo freto Charybdin & Scyllam, quam sæuis canibus succinctam latrare fabulantur Poëtæ vtramque naufragijs infamem: dedit Euboiæ Caphareum importuosum & procurrentibus cautibus formidabilem montem: dedit & Libyæ Syrtium metuenda vada: eodẽ iure addiderit Hollandiæ eam quam Caninam syluam accolæ nominarunt, quòd murmurantis maris fremitus & vndarũ fragor perpetuis latratibus eum locum circumsonet; & continuatis nocte dieque assultibus tundat, conuellat, dissipet. Cuius furori opposita surgit moles immanis, mortalium manibus laborata, quam verè Cyclopeam dicas, ardui mõtis caput superans, propugnaculum infirmum

Pontes longi qui?

Poel.

Volen.

Meieri Flandri somnium.

Rebus humanis quomodo insit diuinitas.

Scylla.

Caphareus.

Syrtes.

Thontsboſch.

Cyclopea moles.

infirmum futurum aduersum canes illos, nisi assiduis operis confirmaretur,& crescceret semper decrescendo;quando mare illud prodigum,quod ludit sub mole illa depressum amplius,quàm quo telum robusto lacerto excussum adijci possit,cuncta aut haurit & absumit, aut in tempestate eiectat. Vidi namque ducenaria marmora pilarum instar fuisse euibrata decumanis fluctibus in planiciem moli subiectam. Eam verò molem ordines palorum inter se validè confibulatorum altè depacti & fistucis adacti dissepiunt, spatia intermedia farcturis opplentur aceruanturque,quæ constant immensi ponderis saxis aggestis. Anniuersariæ fabrorum atque opificum operæ assiduè illam communiunt, delectis viris ex optimatum numero pro magistratu illic agentibus, quæ trabes conuehunt,saxa comportant, marmorum pondera moliuntur. Moles autem illa ad tria passuum millia secundum mare littoris loco exporrigitur, Cauri furori inprimis obnoxia, desinitq. apud Pertemum tribus milliaribus Almeria diſtum, pagum captura musculorum nobilem,quos è conchyliaceo genere delicatissimos candidissimosque inter omnia littora educat in furiosissimi Oceani salebris natos,& saxis trabibusque adhærescentes,præ quibus facilè Lucrina conchylia despuas. Isthic initium capit Zipa vadoso naturâ mari, intercursantibus tenui alueo æstuarijs, quod de Illyrici orâ retulit Plinius, quod solum aggerum indagine cinctũ,& ad vndecim nostratium iugerum millia ambitu complexum, nunc hominum cultum admittit,tractatuque mansuescit, seminiumque cum fœnore discit reddere, vbi piscium ludebant agmina inter algas,anteaquam Nicolaus Nicolaius vir diuina ingenij vena præditus,maioreque fortuna dignissimus, animum adiecit ad cingendũ aggeribus immensum illud agrorum spatium, in quo Salinas instituit non ita pridem virtutibus non minus quàm gentilitijs imaginibus clarissimus heros Bucholdius,destinatis ad conficiendum salem concreto coactoque humore lacubus,ijsque summâ industriâ ita comparatis,vt

Petten. Musculi Pertemij delicatissimi.

Zijp.

Nicolaus Nicolaius Io. Secundi frater, Zipam obualat. Salinæ in Zipa. Bucholdij labor.

iniuriam aëris præuisam non sentiant. Hoc territoriũ quod Hollandia in beneficijs ponere & æstimare auctarij vice, quando alibi detrimentum ceperit, poterat hactenus, turbulentissima Autumni tẽpestas immani diluuio adobruit ante biennium: quando, proh dolor, ipsis anni Septuagesimi KL. Nouembris multi illic mortales cum pecore & armentis interiere hausti aquis, passis eandem calamitatem plærisque Belgij terris maritimis; quando quicquid illic culti fuit, & fœcundæ glebæ, aut altis arenarum puluinis tectũ, aut salsugine maris enectum & sterile redditum fuit.

CAP. XV.

De Hollandiæ natiuis bonis & dotibus.

POSTQVAM Batauiæ situm & magnitudinem Rheni ambitu circumscripsi, Hollandiæ nomen vnde natales suos referat explicui, nunc vt ad regionis dotes ac peculiaria naturæ largitricis bona, inde ad gentis mores, ingenia, ritus, & quæ his gemina sunt & similia stylum cõuertam, æquum esse existimo, quod par & mutuum beneficium patriæ reponi à nobis nequeat, quippe quam chariorem nobis esse decet, quàm nosmetipsos: quando & immortalitati à Dea oblatæ patriam licet asperam & insolentem anteposuerit Vlysses Homericus. Quæ lex quum in bruta etiam animantia, quæ nidulorum suorum amore tanguntur, transierit, quid absoni facturus sim, si de ea benè mereri satagam, quæ lucis huius vsuram mihi fœnerat, si vicem genitrici rependam, si non modò debita laude non fraudem, sed gratiam insuper referam, quæ beneficijs me cumulat atque adauget. Inuenti fuere qui immeritas laudes & indignas rebus pariter & personis attribuerunt, velut Busiridem immanissimum hominem flagitijsque notissimum Isocrates, Helenam Græciæ bustum & Ilij ruinam Stesichorus encomio celebrauit: Alcidamas mortis laudes, Phauorinus quartanæ febris, Synesius caluitij, laboris Heraclides Lycius, stultitiæ Erasmus, somni, & muscæ alij quidam cõtexuere.

Patriã amare omnes decet.

Laudes immerẽtibus tributæ.

Quæ

Quæ si ita sunt, quis tam iniquus fuerit censor, qui inuideat iustum præconij honorem in patriam conferri? Est igitur hac tempestate Hollandia regio longè maxima parte palustris, solo depressiore ac demerso plærisque locis, multis etiam natante, non in nouum modò, sed in adultum quoq. ver, quâ Traiectinos fines respicit: stagnis & euripis passim irrigua, lacubus immanibus, quorum finem nulla oculorum acies metiatur, diuulsa: alicubi aruorum culturis distincta, arboribus pomiferis consita, aut nemusculis amœnam faciem ostensura: tertiam fermè partem mari obiecta sabuleta occupant, sterilia quidem illa, sed cuniculorum fœcundissima: arbustorũ magna raritas est, quæ olim, vt diximus, abundarunt. Aquarum multitudinem quæ demissioribus aruis grauis est, & stagnantibus innatat, frequentioribus hydromylis exonerant, ita vocantur molæ aquariæ, quaternis instructæ alis, quæ vento operam dante circumaguntur, & pinnato tympano aquas in altum euehũt, atque in euripos & inciles fossas eiectant, inuento valdè vtili ac prope necessario, quæ altioribus aggeribus vtrinque coërcitæ & in maiores latioresque aquæ ductus corriuatæ per emissaria opportunis locis fabricata, quotiescunque maris reciprocantis æstus refluit, in maris sinum aut amnem, aquas effundunt. quam rem ne per somnium quidem cogitasse veteres colonos autumo, vnde tanta agrorum vilitas. Alij demersos illos agros magno studio impendioque educũt, melioresq. reddunt, inducto ex arena corio pedem cubitúmve alto, quod desuper infuso cinere, & luti aliarumque quisquiliarum & sordium reiectamentis fimóve stercorant, insigni profectu & successu læto. Regionibus nonnullis rerum miracula & dotes Poëtæ pariter & scriptores assignant, sed singulas. Sic Gargara prouentu tritici celebrãtur, Panchaia thuris, India aromatum, Chalybes ferri, Vmbria armentis, Lydia aurifero flumine Pactolo, Fortunatas insulas à viris iusti tenacibus habitatas summis laudibus prædicat Homerus fabularum notus parens, vbi inarato solo fruges prodeant, fortuitis & sponte-

Hollandia palustris.

Hydromylæ.

Studium melioranda agros.

Regionũ singulares dotes.

sponte enatis vitibus iuga montium vestiantur, grauentur vltroneæ arbores vbere pomorum fœtu, vulgoque promiscuum olus ad graminis vicem crescat: quæ munera, qui velit rem ipsam expensiùs examinare, inueniet si minus nostris, multis certe terris cõmunia, vbi illaborata tellure frumenta citra culturam agrorum nasci possint (vt apud Aquitanos odorati frutices omnibus passim semitis) præsertim vbi matura semina è glumis elapsa, vltroneæ sationis instrumenta fiunt: vitis per se racemos fundit: arbor quamuis non putetur falcibus fert poma: & edules herbæ læto semel seminio è terra exeunt. Quid ergo inauditũ aut stupendum ille ante cæteras illis insulis tribuat, non video. Laudat Mamertinus aut Belga orator qui Panegyricum Constantino dixit, Britanniam omnibus à natura cœli solique bonis donatam, non omnino falsus, quam neque nimius hyemis rigor exasperet, neque feruor æstatis exurat, ac proinde tanta segetum fœcũditate redundet, vt & Cereris & Liberi muneribus sufficiat. quo dicto non illam vini prouentu (quo caret) abundare ostendit, sed ita circumfluere frugum copia, vt non ad panificium modò & alimentum annuum satis sit, verùm etiam excoquendo vino factitio ceruisiæque suppetat. Addit quod eadem innumeram, vti res est, pecorum multitudinem alat lacte distentam & velleribus onustam. Nolo hîc, neque possum, vel Fortunatis Insulis vel Britanniæ Hollandiam nostram componere, nedum æquare, ne hinc inuidiam colligam, illinc fabulosum Saturnij aurei ve sæculi somnium pro fide historica adducere velle videat. Soli bonitatem in alendis armentis extollere nobis licet, in cæteris mediocritatem probare, cœli clementia destituimur, hyems nobis maturior asperiorque, vis vẽtorum infestior aërem turbat, præcipuè Caurus, qui Hollandiæ peculiaris tyrannus additus videtur, arboribus hostis, satis inimicus, valetudini aduersus, procellosus, marisque turbator. Halicarnassæus regionis opes metitur, & quidem rectè, in fructuum quos producat nõ vno genere, non in feracibus solùm

Britãniæ fœcunditas.

Mamertini locus explicatus.

Hollandiæ soli bonitas.

solùm aruis, quæ præter fruges vix aliud quidquam magnopere proferant ad communem vsum: eamq. optimam iudicat, quæ sibi maximè sufficit, exoticisque & importatis rebus minimum indiget, cuiusmodi prædicat esse Italiam. Cuius viri testimonium tantum abest vt eleuem, vt etiam oculatus arbiter maximè comprobem. Neque verò Italiæ nostram hanc Helenam componere est animus, benignæ tamen parentis Naturæ qualescunque opes prædicare, quibus contenti simus, quis inuideat? Prouidentia diuina ita comparatum constitutumque in rebus humanis videmus, nulla vt sit regio tanta feracitate, quæ non aliqua ex parte alienæ opis adminiculum requirat, neque id alia de caussa, quàm vt societate commercioque mutuo gentium, voluntates & amicitiæ stabilirentur hominum, firmareturque ea ratione animorũ hinc inde cõsensus. Habet regio ista agros frugiferos quoque, & quidem luxurioso ac opimo frumento supra modum scatentes, sed qui tantillo in spatio & in regione, qua vix aliam populosiorem inuenias, ad suppeditandam tantæ multitudini alimoniam sint impares, neque frugum vbere sufficere possint. Pascui ergo agri bonitate cum alijs certare & verticé attollere nobis licet, absit dicto inuidia, vnde præcipui reditus ac prouentus existunt, siquidem è caseis & butyro, quæ exportantur in externa loca, in singulos annos ducẽties sestertiũm cogi putatur, quæ summa ad decies centena Caroleorum millia extenditur, præter ea quæ in quotidianum alimentum, quo vix alio bona tenuioris fortunæ hominum pars victitat, cedunt. tot illa boum armentis abundat, tam læta vaccarum parens ac nutrix est, his copijs quàm Britannia longè superior, siue opimitatem & aruinæ vbertatem spectes, siue laxiores capacioresque vberum sinus, qui triplo plus lactis fundunt: sola cornuum celsitudo & vastitas in Britannicis bobus excellit. Constat namque aliquibus Hollandiæ partibus boues æstiuis diebus, quatuor & quadraginta lactis heminas in mulctralia singulas refundere. Habent aliæ prouinciæ aurario- *Boum opimitas.*

rum & argentariorum metallorum riuos, aut ærarias plumbariasque fodinas iactant, quæ bona negauit nobis naturæ inuidia, hoc, de quo dictũ est, liberalitatis genere damnum illud dissoluens atque compensans: quando ijs, quæ nobis superant, vberrimi prouentus copijs, non finitimas modò prouincias, sed & longè dissitas, Galliam, Hispanias, Africæ littora, & antarcticum nostroque oppositum orbem instruimus atque explemus quodammodo. Lactis bubuli, quod caseo fertilius est, præstantia atque excellentia summa, vt & butyri omnium iudicio hîc est, quantumuis stolido conuitio Plinius butyrum barbararum gentium laudatissimum cibum, quo à plebe discernantur diuites, appellare non dubitarit. De Caseorum bonitate cum quibusuis etiam nationibus in certamen venire non erubescat Hollandia, non dubitanda palmæ gloria, nisi exoticas delitias fracta luxurie & profunda ingluuie palata præferrent, nisi rerum venalium pretijs maioribus accenderetur gulæ ingenium, & (vt dictitabat Heliogabalus) orexis. Laudatissimum caseum Lunæ imagine signatum, sicut & Vestinum, Epigrammatarius commendat, neque dissentit Plinius: sed ille sola molis magnitudine vt pluribus sufficeret, hic vt obsonij vicem pani coniunctus præstaret, commendationis caput secum adferunt, si rectè intelligantur Martialis versiculi, qui in Xeniorum libro extant:

Lactis bubuli præstantia.

Butyrum.

Caseorũ Hollandicerũ bonitas.

Heliogabali dictum.

Caseus Lunensis & Vestinus.

Martialis versus declarati.

Caseus Hetruscæ signatus imagine Lunæ,
Præstabit pueris prandia mille tuis.
Si sine carne voles ientacula sumere frugi,
Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

Quæ verò non in quouis etiam nostro gregali & vulgari caseo bubulo dotes istas quisque agnoscere possit. Nunc luxuria, quæ per improbam lasciuiam parata & facilia fastidit, gratiam præcipuã Parmensi caseo & Placentino tribuit: at nostra Tessalia metas lactis dat anchoræ forma signatas, celeberrimi inter primas nominis, illique vicina Grinnia, principatus tamen illi defertur, qui apud pagum Comitis Arenæ

Parmensis caseus.

Tessalicus & Grinnius caseus.

tis Arenæ vocabulo insignem, Graueſandium inde dictum, conficitur, qui acri ſucco ſitim alere, & poculi gratiam accendere creditur. Proxima palma Edammenſi cedit, quem Parmenſi nihilo inferiorem, ſi vetuſtatis accedat commendatio, cenſores iſti, qui præſtatiora omnibus alijs eduliorum domicilia veſtigant ad modum Cybiraticorum illorum ſodalium, de quibus apud Ciceronem eſt, prædicant. Atque iſta quidem vna eſt & verè aurea hubertas, quam lactis, caſeorum, & butyri larga copia inuehit, vnde ceu è diuite Amaltheæ cornu mirum quanta opum affluentia Hollandiam ditet. Addunt rerum longo vſu periti bina alia hubertatis genera, quorũ alterum in copioſa alecum (præter alios omnis generis piſces) captura, fidem omnẽ ſuperante, conſiſtat: alterum in infinita cuniculorum fœtura, è qua ſola collectum in caput fœnus annuum centies & quadragies ſeſtertiũm excedere creditur. De alecibus pòſt mihi dicendum. Cuniculorum innumeram multitudinem alit paſſim regio, ſed in collium arenariorum ſubterraneis ſpecubus, quos ſibi effodiunt, potiſſimum, animalia ſatis plantisque damnoſa, quod non ignorauit Strabo, *Leberidas* eos nominans & γεωρύχους λαγιδεῖς, velut lepuſculos telluris effoſſores, in Leberidum nomine nonnihil deceptus: quandoquidem vocabulum iſtud in cuniculorũ ſobolem recens enatam, ab omni prorſus pilo nudam conuenit, orta inde parœmia. Quorũ numeroſiſſimas copias tametſi in Gymneſijs ſeu Balearibus inſulis fuiſſe prædicet, ita in immẽſum auctas, vt ab Auguſto (quo viuo Geographiæ ſuæ libros ſcripſit) militare auxilium contra earum prouentum & iniuriam meſſes populantium, poſtularint, aſtipulante huc & Plinio (vnde eſt quod animal iſtud λιμοποιὸν, velut annonæ penuriam faciens famemq. inuehens apud Erotianum dicitur) nihil tamẽ ad has noſtras copias accedere crediderim: neque enim barbaries illa ſatis inſtructa canibus ac viuetris fuiſſe videtur aduerſus graſſatores ſuos, quemadmodum gens noſtra, quæ nõ ſolùm ſepes arundineas aut è ſtraminibus con-

Graueſandium caſeus.

Edammenſis caſeus.

Cybiratici canes.

Cuniculorum multitudo.

Strabo lib. 3.

Lib. 8. ca. 55.

Cuniculorum captura. bus contextas iniuriæ opponit, verumetiam Gallicis canibus insidiatur & venando occupat, aut immissis in specus multifores viuerris, erectos supernè capit, vel in sagenulas specuum ostiolis obiectas compellit. Hi vt fœcunditatis inuictæ sunt (quippe quum è coniugio vno intra vertentis anni curriculum septuagesima proles fermè existere queat) ita gratissimo in cibatu habentur. Leporum quoque non infelix prouentus est, agris præsertim altioribus, nobilitatis præcipua venatio. Ceruorum etiam & damarum toto illo collium arenariorum tractu cum interiectis conuallibus, qui Egmondam vsque ab Hagensi nemore in longum porrigitur, magna frequentia est, quorum examina sæpenumero certam perniciem satis adferunt, ea depascendo absumendoque, aut cubilibus suis obterendo, si fortè repagula perfregerint, aut ex incuria aperta inuenerint. nam furcillis erectis excluduntur, quibus transuersa tigna triplici aut quadruplici ordine alta, ad felicium agrorum margines posita, perpetuam sepimenti cratem per miliaria aliquot continuare agricolarum vulgus tenetur. Horum non eadem nostris venatoribus capiendorum ratio, quæ Gallis & Britannis in vsu est; qui plærunque plagarum indagine aut carbaseo septo includunt circundatos: nostri verò numellarijs canibus per insidias sparsim dispositis, exceptos inuadunt, aut in agmen Dianium aliunde vrgens reijciunt, vbi conficiantur. quod si canum dentes eludat fera, pateatque effugij spes, in littus se proripere solet altoque mari innatare, donec tuta circùm omnia, & ab hostili satellitio liberum littus animaduerterit. quod commodè facere putatur, quòd ceruini pili intus sint caui, qua occasione sustentantur in natatu, non secus quàm vesica vento inflata vrinator solet. Hagano in nemore videas & pascétem capreolorum gregem, latiusculis cornibus, corpore ceruum mentiente, pelle maculosa in pantherarum modum, vti ab Oppiano describuntur in Cynegeticis, quos ἴορκας & alibi δόρκας nominat,

Cuniculorum fœcunditas.

Lepores.

Cerui.

Dama.

Ceruorũ venatio.

Pili ceruorum concaui.

Capreoli.

Oppian. li. 2.

Capreoli, inquit, *corpus cerui, maculisq; notatum*

Tergus

Tergus habent varium, pardo non dispare cultu.

Quid dicam de equis, quos generosos, præstantes, torosos, idoneosque ferendæ panopliæ, sed succussatores plærosque ea pars Hollandiæ producit, quam Cisrhenanam Frisiam dixi, & Caninefatum regio, fœcundior illic equarum nobilium, quæ ducendis matronarum pilentis in Italia expetuntur, ad luxus ostentationem. Australior regionis pars lacertosos quoque & optimos profert. Ingentem equorum nobilium vim exportari quoquouersum, docebunt pagi aliquot mercatu equorum frequentissimo celebres, quos inter decantatissimi sunt Valkenburgus Wassenariæ gentis dominium, Scorelium, pluresque alij. *Equi Hollan.*

Auium concentum alibi gratiorem ad fontes & viridaria, vt in Brabantia lusciniæ, quæ nobis non canit aut perrarò, non negarim: at captura nusquam gentium felicior, institutis ad id quæstuosis admodum auiarijs, in quæ illices aues manſuefactæ feras pelliciunt primò, eas deinde catulus artem edoctus latratu consternatas diffugere in caueas cogit, vbi aucupis manu intereunt ceu in carcere. Quid memorem iucundissimam & nobilitati promiscuè expetitam earũ auium capturã, quas *Scolopaces* Olympius, *Rusticulas* Plinius, *Rusticas perdices* Martialis vocauit, vulgus *Sneppas*, mensarum delitijs dicatas, quas autumnalibus mensibus, in quibus deciduo foliorũ honore viduantur arbores, capere solent expansis inter arbores raras dissitasque, nebulis, hoc est, pensilibus retibus, albescente diluculo, & dubiæ lucis crepusculo, demissisque audito auium plangore: quam capturam cum aue eleganter à Nemesiano expressam non possum hoc loco non adscribere: *Auium copia.* *Auium ingeniosa captura.* *Rusticarum auium captura.*

——— Præda est facilis & amœna Scolopax,
Corpore non Paphijs auibus maiore videbis.
Illa sub aggeribus primis, quà proluit humor,
Pascitur, exiguos sectans obsonia vermes:
At non illa oculis, quibus est obtusior, etsi
Sint nimium grandes, sed acutis naribus instat,

Impresso in terram rostri mucrone, sequaces
Vermiculos trahit, atque gulæ dat præmia vili.

Has auiculas Ausonius videtur existimasse eas quæ à vitibus ἀμπελίδες dicuntur, & periphrasi quadam descripsisse, ni fallor, quas Hesperio dono mittens, dicit crepero sub lucis Eoæ, præcipiti volatu in retia delatas esse: versus eius sunt,

Vel qui lucentes rapuit de vitibus vuas,
Pendetq́. nexus retibus,
Quæ vespertinis fluitant nebulosa sub oris,
Vel manè tenta roscido.

Ausonij versus declarantur.

Vbi lepidè & nebularum quibus capiuntur rationem, & tempus vtrunque capturæ accommodum depinxit, quod ipsum, vt, & cognitio non omnibus obuia, me in digressionis istius voluntatem adduxit. Nunc ab auibus ad aleces, de quarum prouentu, præcipuo insulæ ornamento, vt dicam, promissi fides postulat. Ea voce *arengos* nobis dictos pisces intelligo, argenteo quodam squamarũ fulgore, noctu præsertim, lucentes, dodrante vix maiores, quos è *Thrissarum* genere statuit Rondiletius grauissimus piscariæ rei iudex, *Leucomænidas* Franciscus Massarius vocat, & cum *Gerribus* Plinij confundit. ego insistens Cæsaris iudicio, & cum multis loquendum censens, *aleces* nomino, quòd PriscIano & Sosipatro nobilissimis Grammaticis ita placere approbariq́ue video, qui *alecem* pro pisce muria condiri solito accipiunt. Sunt autem ex ijs quos ἀγελαίους Aristoteles, *gregales* nostri nominant, quòd agminatim per Oceanum ferantur palabundi, tanta interdum multitudine, vt oppositis retibus sisti nequeat impetus, quin illa rapiantur, ac liquidi æquoris faciem offuscent. quæ caussa est cur tam copiosa sit illorum in retia infusorum captura. Nam postquam ex Arctoi maris latebris discedentes, id quod præcipitante iam vere solet fieri, velut commutatis natalibus in æstiua contendunt, tum verò classes variæ, inter quas Hollandica, Selandica, Frisica, Flandrica, Gallica, Britannica, & Scotica, quasi ex condicto ad euitandas simultates & contentiones, partitæ

Alecum captura. Arengi.

G. Rondiletij iam.

partitæ inter se certas ac definitas stationes, sub Britannia, Scotiæ ora,& Orcadibus, singulæ pro viribus isti piscium generi insidiantur nauigijs rotũdis,aluo panda, obtusa prora,*Busses* nuncupant,quas rectiùs *domicilia maris* cum vulgo nostrate,quàm *pelagi vehicula* cum Æschylo vocare liceat.Hi pisces viui,quo ad eius fieri potest(nam simul cum deserto sàlo vitam quoque protinus exspirant) per iugulatorem eundem & euisceratorem,cui præ cæteris omnibus liberalissima merces datur, aperto prius iugulo exenterantur, dein per salitorem condiuntur, festinatis operis, inde conduntur salsamentarijs cadis (*orcas* Latini dicunt) postea venditi,per alecarios cupariosque de integro stipantur,inani turba quæ lactibus aut ouis caret, numero submota, noua muria obruuntur, postremò per delectos iuratosque arbitros bonitatis fides exploratur,sigilloque addito obstringitur, non absimili religione à vetere, qua Dianæ sacerdos Lemniam rubricam (quam *minij glebam* Celsus vocat) probatæ notæ sigillo impresso insigniebat, vti testimonio Galeni constat. Atque istud quidem primũ genus alecum est,conditaneum,seu muriaticum nominandũ cum Plauto:alterum est quod leuiter salitum in fumario fumo duratur,vbi auri vel æris potiùs colorem ducit, vnde *Soretum* voce Gothica Galli id genus nuncupant,quòd subruffus ad atrum accedens color ea lingua *Sorus* vocitetur. Ista alecum piscatio quantum operæpretium, quãtam Reipub. Hollandicæ vtilitatem præstet, quo ore efferam ignoro, quando non vnius,sed plurium ciuitatũ salus & fortunæ inde pendere propemodum videantur: inde plebs vrbana pariter & rustica victum quærunt,æs alienum dissoluunt,familias sustentant, opes qualescunque conquirunt, aut partas tuentur. Constat namque Oudewateram, Woerdenum,Roterodamum,Sciedamum,Brielam, neq. ignobilia neq. exilia oppida(vt de alijs taceam)præcipuas inde fortunas traxisse, plebem omnem propemodum in texendis tragulis,euerriculis,sagenis,reliquoque instrumento omni reticulato,quo

Bussæ naues quales?

Aleces fumo durati.
Bucking.
Hang.
Soretus.
Sorus color.
Vtilitas & emolumẽtum ex alecibus.

piscatio instituitur, item in torquendis restibus, vnde retia plectuntur, toto anno occupatam habere. Ex quo facilè æstimare potest quiuis, quantum momenti ad omnia positum sit in huius piscationis fausta vel aduersa captura, de qua dici potest, quod de Fortuna extulit Plinius, quod vtramque paginam faciat. nam cùm secunda piscatione decrescit minuturque rerum omnium fermè edulium pretium, aduersa augescit atque intenditur: neque sola huiusce tunc calamitatis vim regio nostra experitur, quinimo & ad alias celeriter trãsit doloris sensus, eò quòd in magnam Europæ partem diffundatur ea merx, vtcunque res ceciderint, vendibilis & expetita. Iam si velim, postquam piscario in foro res vertitur, nostri maris delicias omnes recensere, tempus me deficiat. Neque verò obsoniuorum (quo nomine dicebantur olim qui piscibus delectabantur) conuitium in nos distringi velim, aut Romanæ luxuriæ nota inuri, quam non veritus fuit attingere Cato, quum nimium vero elogio testatus est, pluris Romæ piscem vænire, quàm bouem, propterea quòd piscibus luxum metirentur, (vt Asinius Celer qui mullum piscem octo millibus nummûm emit:) cui rei attestatur ganeonum prouerbium, quo se mutuò ad indulgendum comessationi prouocantes, dictitabant, σήμερον ἀκταίσωμεν, hoc est, vt verbũ fingamus, *Hodie littorisemus*, volentes innuere gulam cœna è piscibus explendam, vt à Plutarcho relatum est. Tolerabile tamen illud studium fuerat, nisi in peregrinis lautitijs popinones illi ac gurgites, quibus vitæ modulus culina erat (vt lepidè Varro dixit) ingluiem exatiandam duxissent, vti in Satyris auctor ille ostendit, quando è Lucrino lacu conchylia, è Benaco anguillas, alosas è Tyberi, asellos Pessinunte, Rhodo acipenserem, rhombos Rauenna accersèrent, vt alia omittam infinita, ne prolixitatis tædio odiosus fiam, quum hæc omnia abundè delicatis palatis nostrum mare vnum suggerat. Pamphili fabula, secundum Aristidem, narrat vrbes aliquo tempore dissidijs mutuis agitatas, quum rogo fuissent impositæ, subitum

Alecum faustam capturã annonæ escariæ vilitas sequitur.

ὀψοφάγοι.

Romanorum luxus in piscibus.

Prouerbium.

Pamphili fabella.

subitum vigorem in artus rediuiuos recessisse, & inopinato imperio auctas, non potuisse tamen exprimere, vnde incolumitas illa nata, vnde tam repentinum bonum extitisset, non magis quàm qui è somno euigilat, opes modò visas ostendere. At Hollandia Oceano (quem *rerum originem* ausus est Homerus nominare, alij rectiùs *mundi baltheum* dixere, Cyrillus *terræ inuolucrum*, quòd complexu suo tellurem cõtineat) copias suas omnes, vt debet, ita & acceptas fert, ac grata memorque beneficia immortalia agnoscit, illum meliore ratione aurifluum, quàm Nilum suum vetustas, dignatur, quòd huius ope & merito merces vndecunque terrarum importatas accipiat, eo pacto nullius indiga, rursusque quibus ipsa copijs abundat, per nauigia exportet, commercij causa terras quascunque non inaccessas petens: quo dum peruio vti licebit, (licebit autem dum rerum vniuersi ordo suis constabit legibus) non defuturas sibi opes, sed perennaturas confidit. Sed ne arcem ex cloaca (quod dici solet) facere velle videar, aut ex humili tumulo Olympum attollere, me ipse oppugnabo aliquantisper, neque ibo inficias, nostram patriam non circumfluere tantis copijs, vt alienæ opis non indigeat, absit vt id in animum inducam. Haud nego eam robusteis lignis alijsque carere: quibus bene accidit quòd non perinde, vt olim, abundemus. tunc enim culti agri minus esset. nunc tantam eorum vim nauigia & celoces nostræ è Noruagia & Vestophalorum syluis aduectant, vt difficulter quis crediturus sit, tantũ trabium, quæ ædificiorum fabricæ destinantur, aut ad aggerum munimenta aduersus maris impetum comparantur, extare posse. Quis vsquam in ditiuncula (si ita appellare fas licitumque est) à syluis nuda, tantum nauium mari innatare vidit? Conferant in vnum nauigia sua aut classes Regna aliquot, non æquabunt numerum, si vel triremes in supplementum aduocent, quarum in procelloso furiosoque pelago nullus hìc vsus esse potest, vt periculo suo didicerat olim Drusus. Nam præter minorum nauium vim, quæ innume-

Oceanus.

Lignorum inopia Holl.

Nauium numerus immẽsus.

ræ ad conuehendas vltrò citroque merces, vtensilia, ceruisiam, alimentariam annonam, epibatas & vectores, inter adiacentes ac contiguas regiones, Oceano abstinent, quantus, dij immortales, est onerariarũ nauium numerus, quas Græco vocabulo *Holcadas* vocamus! quas mille aut minimum octingentis pauciores non esse crediderim, quæ in cunctas orbis habitati partes commerciorum causa vela faciunt, nulla anni temporum tempestatumque reuerentia, aliter quàm Romana quondã constituit seueritas, quæ maria claudebat & referabat statis anni temporibus: proculcata adhæc maiorum nostrorũ (qui genituræ meæ initia paululum præcesserunt) religione, qui nisi cõsignatis tabulis testamentorum, expiatisq. mentibus, mare non tentabant, solutis immutatisq. nunc priscis moribus, & antiquatis institutis, quasi per summum vitæ contemptũ & religionis ludibrium. Earum verò holcadum nonnullæ in Gallias enauigant vini salisque gratiâ: nonnullæ Hispanias petunt, aromatum, salis, olei, vini, aluminis, sacchari, & fructuum caussa: aliæ Liuonios, Borussos, Sarmatas, Gedanum, Vandalos, Cimbros, frumenti secalicei gratiâ adeunt: sunt quæ extremam Thulen (Islandiam à glacie concreto solo nominant hodie) sub axe iacentem quærunt, vt duratis vento piscibus saburrentur, eodem periculo etiam Bergos Plinio non incognitos vestigantes. Neque desunt quæ malos nauticos velificationi destinatos, naualem materiam, & sectilia de robore ligna, vtensilibus, cupis, dolijs, arcis, & intestino domorum ornatui copiosum apparatum è Norwagia requirunt: atque hæc omnia cum quadam vitæ proiectione audent homines, sui prodigi, vt merito Zoroaster eos, audacis Naturæ opificia nũcuparit, qui fragili se ligno & tabularum compagibus credunt, *digitis à morte remoti. Quatuor aut septem*, vt Satyrographus inquit. Sed vt ad institutum reuertar, vicem prope castrorum præstant nobis naues: sunt prætoriæ loco ducum, catascopia exploratorum, graues & onerariæ lignatorum, corbitæ frumentatorum, sunt & aliæ pro pabu-

Thule Islandia.

Homines πολυμηχανότατης φύσεως τεχνάσματα.

Hominũ proiecta audacia in nauigando mari.

Naues loco castrorũ sunt.

pabulatoribus & aquatoribus. Itaque tametsi nobis alicubi syluæ extent cæduæ, alneta sint frequentia, concædes & trunci arborum lignorum aliquantas strues, cõcinnatosque ramorum ac virgultorum fasces ministrent, haud suppetit tamen tanta eorum copia, quæ Martialis Flaccique votis responsura, perennem & larga manu exstructum focum onerare possit: quæ Mattiaco in agro longè minor est. Verùm prouida rerum parens Natura alia via nobis affatim prospexit, qua inopiam lignorum leuaremus, & quidem meliùs, quàm nonnullis inter Scythas populis, qui lignorum egentes, ossibus ignes alere scribuntur, nimirum fossitio cespite, qui è terræ fodinis erutus, sole excoctus, ventoq. arefactus, igni alimentum obuium, minimeque contemnendum præbet, estque tuendo igni fomes, quàm Promethea illa ferula, paratior. Huius tam copiosa materia & luxuries in lucem profertur, & per vniuersam Hollandiam Zelandiamque annis omnibus crematur, atque in alienas regiones tanta cespitum syluа, quibus multæ nauium centuriæ onerantur, exportatur, vt vix annos pauculos suffecturam eam non sine caussa quis existimare possit: ita vt, quod de Hispaniæ metallis Posidonius orator dixit olim, iure huc accommodari queat, esse θησαυρὸς φύσεως ἀενναὸς καὶ ταμιεῖον ἀνέκλειπτον, hoc est, perennis atque affluentis Naturæ opes, & inexhaustum penum. In quo fodiendo mirum quanta sit laboris indefessi sedulitas, quàm pertinax hominũ patientia contentioque, vt sperare videantur è subterraneis latebris se in lucem producturos Plutonem ipsum diuitiarum Deum: quod scitum refertur Demetrij Phaleræi de metallarijs fossoribus, qui argenti fodinas in Attica exquirebant. Materiæ huius cespititiæ plura sunt genera, quæ colore, leuitate, & pondere materiæ, adhæc cineris, quo se obruit, bonitate & candore, differunt atque examinantur. Primum genus vile est, rarum, inane, fungosum, valdè leue, color illi impluuiatus, qui rubiginem parietum è pluuiæ defluxu natam mentitur: quod genus deterrimũ est, neq. vsui ciuium expetitum,

Ligna alendo foco.

Cespites fossitij.

Cespititiæ materiæ copia.

Posidonij dictum.

Demetrij Phaleræi dictum.

Cespitum genera plura.

expetitum, seruit ferè cortinis ceruisiariorum inflammandis & concoquendis; quod accensum vultus è viuido colore plumbeos, cadaueroſos, laruisque assimiles homines facit, tetramque exhalat mephitim: quo odore non rarò etiam animi defectus (vti præsentius in bituminosis carbonibus fit) conciliatur, quem sal insperſus tollit. Alterum densius est, furuum, segmentis virgultorum intermeantibus & paluſtribus cannis interciſum, grauitate mediocri, promiſcui vſus. Tertium ponderoſum, laterum coctilium duritiam quandam imitans, quod cæteris natatu fluitantibus solum subsidit aquæ immerſum, tardeque ignem cõcipit, sed conceptum diutiſſimè continet, cinereum colore, ſabuloſoque ſolo effoſſum. Est & quod è ſalſuginoſa terra conformatur in glebas, Zelandiæ domeſticum, Dariam vulgus vocat. de qua Plinium ſenſiſſe credibile est, vbi Cauchorum in æſtuarijs maris Oceani degentium, inopem turbam, luto terráve (vtroque enim vocabulo vtitur) vento magis, quàm ſole ſiccatis, & cibos coquere & membra frigore rigentia calefacere teſtatur. quæ verba eius propè definiunt cuiuſmodi ceſpitum genus ſit Daria, nam & lutum est, vbi permaduit, & terra, vbi aruerit expreſſo madore. ſic enim ait: *Captum manibus lutum ventis magis quàm ſole ſiccantes, terra cibos & rigentia ſeptentrione viſcera ſua vrunt*. Præter hæc est quod verriculis è fundo aquæ extractum pingui luto conſtat, quæ materia in lacus quoſdã quadratos, vbi aqua priùs redundans diffluxerit, affunditur & complanatur, poſtea arefacta in metas rariores aggeratur, vt vento perflatæ ſoliq. penetrabiliores ad vſum durentur. Habent & inopes ruſticorũ familiæ inter Ciſrhenanos Friſios peculiare ceſpitum genus in teſſellas, prius dictorum more, cõformatum, fimo bubulo conſtans, interſperſis ſtraminis, arundinum, fœni quiſquilijs, ad ſolem æſtiuum excocto: ſed cuius fumus infeſta acrimonia ſic vrit oculos, vt lippitudinem facilè conciliet. Hactenus Naturam haud nouercantem nobis, ſed cùm in arcendo frigore corporibus, præſertim gracilibus (quod

Darij turff.

Ceſpites è ſimo. Schocken.

Euripidi

Euripidi cum Cicerone placuisse video) infesto, tum in fouendo calore vitæ amico benignam, hoc est, pro inopia nos cumulatos domestica pariter & externa copia, inuenio. Percurram obiter vnum præterea atque alterum nostræ egestatis argumentum, non aliò comparatum, nisi vt intelligatur, nullam regionem vndecunque beatam, aut felicitatis numeris omnibus perfectam dici posse, quãdo ita Deo opifici vniuersi, mundi animo, à primis rerum primordijs placuit; pro ea quam gerit rerum humanarũ cura, ne in vnam cuncta largitatis suæ munera semel effunderet, singulis nonnulla benignitatis parte mutilatis, quo sic admoniti mortales discerent mutuo auxilio, & adiumento subleuari, in mutuis opibus subsidijsque conquiescere, per commercia bonorum, conspiratione amoris consentire, & societatis vinculo conligari. Affluentia itaque lini lanæq. copiosa nos deficit, illîc agrorum paucitate, hîc raritate pecoris, nulla tamen regna linificio, siue linearum telarum textura comparari, multo minus æquari nobiscum valent, certè operum subtilitate Arachnæos labores, ne dicam Palladias manus prouocant nostratia lintea, toto orbe notissima, Règum ac Reginarum præcipuæ deliciæ, quorũ cum niue certat candor, cum sindone tenuitas, cum byssо pretium. Lanificio concedimus Britanniæ ob lanigeri pecoris multitudinem & bonitatem vellerum, paucorum tamen laneorum infinitatem quandam cõcinnat, apparat, & ad exteras gentes procul exportat hæc regio, quos ad centena millia numero accedere arbitror. Vnum penè omiseram, quod tamen inter delicias & opes, quibus se iure summo iactare possit & gloriari Hollandia, quasi auctarium numero accedere debet, Cuniculorum pelles, quarum vis tanta est, vt innumeras myriadas conficiant, quæ omnes (nisi quas aut situs & incuria corruperit, aut importuno tempore deductas pili fluidi vitiauerint) in eas oras amandantur, quæ nobis mustelinas, vulpinas, lupinas, & pretiosiores, vt ictidibus (quas Martes vocãt) & Scythicis mustelis detractas, quibus Sebellinis nomen-

Lineæ telæ.

Lanificium.

Pannificium Holl. copiosum.

Cuniculorum pelles.

men est, remittunt, mira mortalium ingeniorum analogia, quæ penes se nata & domestica bona plærunque despuunt, exotica ac periculis empta amplectúntur: vsqueadeo speciosa illis sunt, quæ nobis vt propria vilescunt ac sordent. Hactenus & adoptiuas & priuatas Hollandiæ opes, non fugitiuas quidem illas & Tantaleas, sed cum æternitate, citra inuidiam loquor, communes enumerare volui, de quibus non verè minus quàm facetè respondit Nicolaus Nicolaius, primi nominis Poëta, nullam esse in ea regione quantumuis exiguam terræ aut aquæ portionem, quæ non ingentes fructuum prouentus affundat: nec mirum, vbi steriles arenæ ventri alimenta, gulæ cupedias, vestibus munimenta è cuniculis suppeditant; aquæ & euripi pisces ministrant mensis, & insilium aquarum margines vim ingentem ouorum producunt, quæ fulicæ, merulæ, capræ, vanelli (kiuitas vocamus) & anates excluſa ibi in nidis deponunt: nam aues quibus quotidie culina instruitur quis enumeret? præter communes illas, capos, gallinas, columbas, coturnices, alaudas, perdices, turdos, gallinagines, rusticulas, catarractas (scolueros dicimus) anseres, cygnos, ardeas stellares, grues, otidas, (trapganzas vulgo) penelopes, querquedulas, pardalos, pauos, hæmatopodes, sturnos, & parorum genera. Nolo hîc glorioſius prædicare pomaria, & hortos omni felicium arborum genere consitos, qui passim tota insula plurimi visuntur, tanta pomorum vbertate scatentes, vt voluptatiorum Phæacum regio, & decantata illa Alcinoi Regis pometa, manus victrici huic sint vltro porrectura. Neque desunt quæsiti delicijs horti, & topiario opere lumina pascentes, quibus felicior tamen (non inficior) est Brabantia, & benigniore cælo vtens, & dominos habens qui de suo transferri peculio imperent. Sunt & Lugduno Hollandiæ sua rosaria cultissima, nõ bifera aut Pæstanis comparanda, interim tamen citra luxum & inuidiam, oculos, animi fenestras, recreatura. Venio ad potum quo sitim leuare solemus; is pro conditione hominum variat: opulentiores vino vtuntur,

Nicolaij dictum.

Pomaria Holl.

Horti deliciares.

Rosaria Lugduni.

Potus genera.

Cereali

Cereali poculo plærique omnes, rusticanæ familiæ lacte aquoso, eiusque sero, aut oxygala; plebeium vulgus ptisana hordeaceóve cremore. De vino, vt exotico, posterius dicam, tum quia Cereris prior vsus est, à qua, hoc est, fruge Ceruisiam dictam Plinij testimonio constat, eandem & Celiam Hispanis dictam, quam appositè describit Isidorus Hispalensis his verbis. *Celia* (inquit) *à calefaciendo appellata, potio est è succo tritici per artem confecta, suscitatur enim igne vis illa germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur, pòst in farinam redacta molli succo admiscetur, quo fermentato sapor austeritatis & calor ebrietatis adijcitur, quæ fit in his partibus Hispaniæ, cuius ferax vini locus non est*: quibus verbis eandem descripsit Paulus Orosius, addens, ea potione vsos Numantinos post longam ex obsidione arctissima famem, incaluisse, atque ita prælio sese obtulisse. Similiter & L. Florus narrat eos ad extrema redactos, postquam se epulis quasi inferijs semicrudæ carnis & Celiæ (sic indigenæ, inquit, potionem è frumento vocant) impleuissent, in Romanos eruptionem fecisse. Hæc illi de *Celia* ceruisiæ specie, quæ cum *Zytho* ferè eadem est, Ægyptiorum inuento, vnde & *Pelusiacum* Columella vocat illo versu,

Ceruisia. Celia. Lib. 2.

Et Pelusiaci proritet pocula Zythi.

Dicam autem quod sentio cum bona pace doctiorum, quid putem fuisse discriminis inter illius sæculi potum, & nostram ceruisiam, si priùs Cereale poculum multis nominibus variè appellatum ostendero. Galenus itaque ζῦθον, Theophrastus ζεῦθον, Plinius cum Columella *Zythum*, Aristoteles οἶνον κρίθινον seu *hordeaceum vinum*, idem etiam πῶν, dixerunt, Hellanicus βρύτου, vbi de Thracibus loquens, πίνεσι, inquit, βρύτον δι θρᾶικες, ἐκ τῶν κριθῶν, hoc est, *bibũt Thraces brytos ex hordeo*; quod & Hecatæus de Pæonibus, quos Pannonios dicimus, testatur: & Archilochus, cuius locum ex Athenæo libet adscribere, tum vt Thraciæ potationis documentum sit, tum vt interpretis fœdè lapsi errorem aperiam, qui ita habet, ὥσπερ αὐλῶ βρύτον ἢ θρᾷξ ἀνὴρ ἢ φρὺξ ἐβρίζει κυβδὰ,

Ceruisiæ Varijs nominibus dictæ.

Pæones Pannonij.

hoc est, *More Thracis aut Phrygis, recliui capite cerùisiam stertendo efflabat, tanquam tibia insonans*. Eundem potum Græcorum vulgus *Phocadion* nunc vocat. Accedit eodem & *Curmi* Dioscoridis, aut vt Posidonius appellauit *Corma*. Neque diuersum potum esse puto *Sabaiam*, quem pauperum esse in Illyrico potum ex hordeo vel frumento in liquorem cõuersum scribit Marcellinus, vnde iniurioso probro Valens Imp. à Chalcedonensibus *Sabaiarius* compellatus fuit, eodem teste. Lego & apud Sarmatas, quos Rutenos appellamus, monachorum mensis vsitatam esse potionem acidam frumento mistam, quam sua lingua Kuuas nominent. Videtur itaque ex ijs quæ de Celia superiùs memoraui, & è viribus quas Dioscorides Zytho & Curmi attribuit, hoc discrepare à Ceruisia Zythum, vel quocunq. alio vocatum nomine, quòd hordeum aut triticum molita, macerabant in aqua, donec ex putrilagine acorem indueret liquor, & vineum saporem gustui offerret, citra coctionem. Idque Plinius quoque ostendit his verbis. *Est & Occidentis populis sua ebrietas fruge madida, pluribus modis per Gallias Hispaniasq., nominibus alijs, sed ratione eadem, Hispaniæ iam & vetustatem ferre ea genera docuerunt. Ægyptus quoque è fruge sibi potus similes excogitauit, nullaq. in parte mundi cessat ebrietas: meros quippe hauriunt tales succos, nec diluendo, vt vina, mitigant. Heu mira vitiorũ solertia! inuentum est, quem ad modum aqua quoque inebriaret.* Meminerunt omnes madidæ frugis, nusquam concoctæ: hinc est quòd Paulus Ægineta Zythum tradit esse acrem vi putredinis, & rursus ob acorem frigidum, pugnantibus inter se facultatibus (quippe quum acre calfaciat, acidum refrigeret) ac proinde malignum succum generare. quod disertiùs extulit & Galenus professus Zythum calfacere nonnihil ratione acrimoniæ, longè maxima ex parte refrigerare ob aqueum acorem: illinc caput ferit, hinc neruis incommodat, quod de eo scribit Dioscorides. Noster verò Cerealis potus conficitur decoquiturque ex ea, quam *Maltam* (fortè

Phocadion. Curmi Corma. Sabaia. Sarmatæ. Kuuas Ruthenorum. Plin. lib. Lib. 6. de simpl. facult. Malta.

(fortè ἀπὸ τῦ μαλθακοῦ, quod mollis eius & ori gratus sapor,) vocamus, quæ est Aëtij Amideni *Byne*, quam exponit esse hordeum aqua madidum, ex quo germen erumpit, atque inde cum enatis ligulis torretur, quæ descriptio aptissimè quadrat in Maltam nostratem: inde adijcitur postea triticeum far mola fractum, cum lupo salictario: at iste potus dulcis est, neque vinosam mordacitatē ad linguam adfert, nisi vetustatis momētum accesserit, quæ acorem admistione fermenti cōciliat, quum zythus illico vinosum saporem repræsentet. Quid, quòd totum etiam annum duret sine acoris vitio nostra Ceruisia, sed Martio mense cocta cortinis, cuius causſam referunt ad primi veris vim atque singularem efficaciam. vbi ridiculum se præbet Cardanus, qui lupi salictarij seminibus, è quibus superuacaneus humor omnis, putredinis parens, absumptus sit atque exinanitus, vim eam assignat, quasi solùm vetus lupi istius semen coctura immittatur valido effectu. Cur verò nō cæteris mensibus eadem vis perstat, quibus etiam magis humiditas decoxit? Sed de Ceruisia plus satis. Vino Hollandia non nisi importato vtitur & exotico, cuius tamen tanta est affluentia, vt fidem superet. Quid verò glorior importati copia? quasi ignorem vinum temulentiæ nasci, neruos virtutum incidere, mentes ad insaniam præcipitare? Vtinam Neruiorum mores in exemplum traxissent, neque vinum & reliquas res ad luxuriam pertinentes inferri permisissent maiores nostri, excluso mercatoribus aditu; quod feciſſe illos scribit Cæsar, quòd ijs rebus relangueſcere animos & virtutem remitti existimarent? quod ipsum & reliquos Belgas secutos confirmat, absterrēdo mercatores ne importarent, quæ ad effœminandos pertinerent animos. Vtinam cum Minutio Felice gloriari nobis liceret, quòd conuiuia non mero duceremus, sed grauitate hilaritatē temperaremus? Sed stultum est & præposterum, malo admisso atque inueterato mederi velle, nimirum serò Cumani sapimus, quando in mores receptum iucundum nefas seriùs querimur:

Byne.

Cardani error.

Vinum.

quando dulcedine tanta huic dedita iamtum ſuo tempore millia hominũ deploret Plinius, vt vix aliud vitæ præmium intelligerent, quàm vinum abſumere, imò tunc ſe rapere vitæ vſuram exiſtimarent, quum quotidie priorem diem, atque etiam venientem perderent. Liberet familiare iſtud bibendi vitium in Arctoas gentes reijcere, vnde in modum gangrenæ contagio mali proſerpens, mores noſtros infecerit corruperitque, & quidẽ in hoc triplicis mundi ætatis ſenio, quo poſt primũ tunc frena tenentis Rationis principatum, dein poſt auiditatem ingenitam animosè ac fortiter faciendi viris armisque incitato ſæculo, nunc demum decoxit ac verè conſenuit. Verùm quando penitiùs mecum rem conſidero, non Thraces aut Scythæ nos docuerunt, ſine reſpiratione pocula obducere, hoc eſt, amyſtide certare, ſed eius rei crimine arceſſendi potius mihi videntur ipſi Romani, ſi quam haberet genuinam ſobolem Roma illa rerum domina, quæ Torquatos ea laude glorioſos dedit: Illa Ciceriones Bicongios aluit, qui binos congios (qui duodecim ſextarios efficiunt) vno impetu ſicco ore hauſere: Eadem Piſones edidit bidui binoctijque moram perpotatione continuantes: Antonios extulit, qui edito volumine temulentiæ ſuæ patrocinium, ceu velum quoddam intempeſtiuæ crapulæ obtenderunt. Taceo de Græcis, famam ea arte in prouerbij ludicrum verſa meritis. Taceo Parthos gloriam ea virtute quærentes, quos eò magis ſitire, quò plus biberint, ſcito reſponſo legati Scytharum dixiſſe produntur. cui dicto quia non alienum eſt Iberæ gentis dicterium quamuis ſalſum attexendum eſt, quæ Belgarũ admiratur ſolertiam, quaſi dum alter alterum poculis ad bibendum inuitant, Lynceis oculis peruidentium eos ſitire, velut aucta auiditate ex bibendi conſuetudine. At enimuerò ſi quis ad calculum reuocet, qua in re culpæ exortes (id quod defenſuros nonnullos arbitror) Romani magis, quàm noſtri homines, fuerint, momento præponderaturam graui illorum bilancem deprehendet, conuictosque damnabit. Dedit Græcis,

Ætas mundi triplex.

Amyſtis.

Potatores Romani.

Torquatus.

Bicongius.

Piſo.

Antonius.

Pergræcari.

dedit

dedit Italis, dedit Hispanis, aquæ fontanæ laticem vt saluberrimum, ita palato æstuantioribus in locis gratissimum, Natura nobis hac parte iniqua, quibus corruptius elementum istud impertiuit: qua ratione Nili accolas vina non expetere Spartianus scripto prodidit, quòd tanta esset illius fluenti dulcedo. Dedit insuper illis generosa vina, quibus hilarescant, nobis cremor ex hordeo tosto ac frumento, vini factitij locum tuetur & nomen speciosum, de quo Tacitus inter Germanos meminit: *Potus humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus.* Illi natiuo vini sapore non contenti, ita vt à dolio depromptum est (quod laudat Hesiodus) sacco vires eius frangunt; neruosq. minuunt, tum vt plus capiant ventres, tũ vt ea inritamenta palatum exsurdent (liceat Horatiano vocabulo vti) adulterina suauitate corruptum, ac veluti exectum castratumque: quid mali, si nostri homines natiuo plærique gaudeant impensius, haud dum edentulo? Illi æstiua glacie falernũ frangere in delicijs habuere, neque inuidemus nos illorum gulæ (cui totus orbis olim angustus nimium fuit, quorũ luxuria annum vertebat) istam orexin, dum ne vicissim inuideant nobis morem excipiendi nos mutuis scyphis, ab Homericis Dijs assumptum. Sugillat Tacitus Germanicam bibendi consuetudinem, qua diem noctemque continuabant potando, probri tamen vice nulli inter illos obiectum ait: at ea gloria L. Pisonem Tiberio Principi commendauit, vt vrbis Romæ curator deligeretur, quòd biduo & duabus noctibus pergræcationem illam continuasset. Torquato terni congij vno spiritus impetu epoti, proconsulatum peperere, quod factum inter miracula & ostenta habitum & prodendum quoque. E quibus exemplis disciplinam Romano supercilio dignam accipimus, Imperatores Romanos maius præmij illectamentum, maiusque operæpretium statuisse arti illi, quàm Mithridates ille Ponti terror assignarit bibacitati, quod argenti talentum fuisse refert Athenæus. Illud verò æquissimis animis accipiendũ & cõdonandum etiam Germanis,

Tacit.

Homer. Odyss.

Bibacitati honos habitus.
Piso bibo inexplebilis.
Torquatus.

Germanis,quod commemorat Tacitus illos vinolẽtos crebris cieri rixis, quæ dimicatione vulneribusque transigantur,sed demum reconciliari & simultates atque inimicitias inter pocula datis mutuis dextris obrui:id quod vt longissimè abest à nominatarum antea gentium moribus,quæ immortalia atque inexpiabilia odia pertinacissimè colunt, ita indignum Christiano homine, cuius iræ cum Sole pariter occumbente sepeliri debent. Porrò inter vina quibus Hollandia vtitur,præcipui vsus sunt quæ Germania secundo amne submittit,varia nomina è natalibus collibus sortita: Secundi loci est Gallicanum & Sequanicum: inde Hispanienſe seu defrutũ, seu sapa, seu alterius generis temetum, quibus succedunt Falernum, Aruisiumque nectar:quod Dyrrhachinæ naues longo sanè itinere fretum Herculeum emensæ subuehunt, discutiendis ac serenandis animi humani nubibus conuenientissimum. Sed quid immoror in fecundissimi argumenti materia disertus, quin transitum paro ad peculiaria nostræ regionis propria, Britannicam herbam, ob singulares virtutes transplantari iam cœptam & veluti mangonio corrumpi,cælumq. mutare, & Phallum Catulliani tenti non dissimilem,vnde & nomen illi primus creauit,in Caricibus densis soboleſcentem. Hollandiæ itaq. peculiari dono Natura dedit prouentum lætum Britannicæ herbæ, quam præsentanei remedij vim præbere in profligandaScelotyrbe & Stomacacce, vitijs Straboni & Plinio notis,experiuntur cum incolis exteri quoque, quibus malis dentes labuntur,genuum compages soluitur,artus inualidi fiunt,gingiuæ putrescunt,color genuinus ac viuidus in facie disperit,liuescunt crura,ac in tumorẽ laxum abeunt; quam herbam confines Oceano populos Britanniæ ex aduerso sitæ velut propinquæ dicauisse nominis originem Plinius autumat,lapsus(ni fallor) linguæ imperitia,quando herbæ nomen dedisse cespites videntur; quibus aggerum moles vallare aduersus maris impetum atque munire nostri maiores docuerunt: in quibus copiosè nec alibi temerè prouenire solet,

Vina Holl. familiaria.

Britannica herba. Lepelbladē.

Britannica vnde nomen sortita.

solet, quos patrio vocabulo *Brittas* nuncupamus, in quibus natalibus præsentiorem longè efficaciorem q. herbæ succiq. potentiam quotidiana commonstrat experientia. Vulgus rhizotomorum & herbariorum Cochleariam à specie nominasse videtur, quòd in folijs oblongis ac nigricantibus extremitas in cochlearij formam rotundetur. Huic à liberandis malo dentibus, quasi Vritandiæ nominis originem asserit Goropius noster, fingẽdis etymis dexterrimus. Produxit eadem Natura in sabuletis nascentem inter carecta *Phallum* Hollandiæ quoque proprium, dum virilis membri rudimentum exprimere per se illa conatur; cuius descriptionem è commentariolo olim à me publicato hîc adscribendam duxi. *In medio acutarum caricum (quos helmos nominamus) velut vmbilico, sub extrema arenæ superficie massula inuenitur alba, rotunda, pilam manuariam aut bulbum specie pariter & candore referens, cui neruus bisulcus aut fibra gemina radicis loco subest, quo succum (vti arbitror) rapit; mucco ea lento, viscido, coacti iusculi cremoris ve in modum spisso abundat, graui vsqueadeo, vt aquæ pondus superet, fusilis plumbi fermè adæquet, eodem adeo gelido, vt volæ manus apposita massa (quam Pliniano vocabulo dixisse Voluam non abs re licebit) penetrabilis frigoris sensum adferat. Ea vbi primum scrobe reuellitur, pallidior est, mox paulatim purpurascit, intercurrentibus sparsim ceu venulis quibusdam sanguineis; à quo colore nonnihil euariat fibrarum magis liuidus coles, in concreti sanguinis nigrorem paulatim emoriens. At muccus, quem dixi, reuulsa à terra volua citissimè liquitur ac diffluit: quin & coles ipse non multo pòst flaccescit: idem virosum vsqueadeo halitum efflat, vt vel totius cubiculi aërem sit infecturus satiaturusq;. Hæc volua, quæ vernaculo idiomate à rotunda, quam præ se fert, forma, Vngers eijeren/ hoc est, Manium siue dæmonum oua, alij bufonum oua nuncupant, mensibus autumnalibus citiùs tardiùs ve pro diuersa anni facie ac temperie disrumpi vomicæ instar diffundiq; solet: quo tempore rectus inde scapus colẽs ve exilit, illæsa volua*

Cochl.

Goropij de Britannicæ nomine indicium.

Phallus.

exemptilis, ac tum quidem scroti faciem propè mentitur turgida voluæ moles. Neque verò silentio inuoluendum est, id quod miraculi vicem implere posse, ne dicam superare, crediderim, quod nimirum scrobe reuulsa massa siue volua etiamnum integra καὶ ὁλοόκληρος, priusquàm colem effuderit, si fortè recondatur in penum, aut quemuis etiam domus angulum seponatur, post exactũ diei vnius atque alterius curriculum, in iustam suamq; magnitudinem erectum scapum emittet: cuius rei documentum ab vno atque altero indubitatæ fidei homine quum accepissem, volui & ego periculum facere. itaque abstrusis in penetrale Musæi mei adytum binis eiusmodi voluis, oculatus ipse testis eorum fidem approbaui. Materia scapus fungosa constat, rara, pluma leuiore, maculosus, cinerei propè coloris, foramine peruio rimosus, eoq; laui ac velut dedolato, interius latiore, sub exitum arctiore, teres, ad duorum palmorum mensuram accedens. Sunt qui etiam dodrantales inuenisse se prædicant. Huic insistit, non vti fungo petasus, sed galea aut capitellum in figuram metæ propemodum fastigiatum, exemptile, cætera glandis virilis specie, nisi quod cancellata sit cute, quale elephanti traditur esse corium, vel qualis echinus, bouis ventriculus, cancellis rhombiformibus præditus spectatur: eiusdem extimus vertex rugis adstrictior foramen habet, qua grauis exspirat halitus, propterea à muscis frequenter obsessus: id capitellũ cauli est concolor, vidi etiam sæpenumero, anteaquam hæc cuderem, atrum in caule prorsus niueo, sed senio id acceptum referri debebat, exoleto namque pro candido anthracinus mutatur color: interdum etiam è leucophæo virorem induit capitellum illud, qui non multo post in furuum abit.

CAP. XVI.

De Hollandiæ ingenijs, studijs, & moribus.

DE Hollandorum ingenio ac moribus, quo natura gentis maximè inclinet, superuacaneum aut certè nimis in tenui positum laborem sumpturus sim, si perscribere accuratè

curatè & minutias sectando velim, attigisse tamen breuiter patriæ amor postulat; sunt namque singulis ferè gentibus certæ & peculiares morum ideæ; quum Afris bilingues & subdolos animos tribuat Firmicus: Scythas immanis feritatis crudelitatisque damnet: Græcos vanos & leues: Asiaticos lasciuos & luxuriosos: Hispanos elata iactantia præpositeros idem appellat: Gallos Trebellius Pollio leues, Vopiscus inquietos & nouarũ rerum auidos insimulat: Ægyptios litigiosos & acerrimos reposcones Marcellinus non semel notat: Francos mendaces, sed hospitales, Saluianus Massilienſis dicit: Gothos perfidos, sed pudicos: diuersæ ab his naturæ Alanos: Saxones idem crudelitate efferos, sed castitate venerandos: Britanni manducones & palati minimè surdi appellantur. Ad eundem modum Hollandi stupidi audimus & crassæ Mineruæ homines: quod mirum aut nouum videri non debet, in ijs qui in extremo Oceani ambitu ad Arcton expositi, crasso caliginosoque sub aëre nati & educati simus: quando & Cordubæ natos Poëtas in æstuosa Hispania subtiliore longè cælo, pingue sonantes cum conuitio appellet Cicero, tametsi ciuitas illa protulerit clarissimos ea in arte, duos Senecas & Lucanum: tantoque etiam magis, quòd, iuxta Heraclitum, anima sicca sit sapientissima: quomodo autem in regione vliginosa, ventorum rabiei atque pluuiæ obnoxia, adde & saginæ corporũ addictiore, siccitas illa mentis, subtilitatis & industriæ comes, requiri tanta posset, perinde vt in ea, quam modò nominaui, regionem? Sed video nos hac in nota eiusdem esse conditionis ac loci cum Spartanis, quibus cœlo parum benigno natis rerum inscitia & crassum ingenium à Romanis suarum laudum amplissimis præconibus, alienarum detractoribus, attributa fuere: illi rudes, imperiti, planeque hebetes, res tamen domi militiæque decantatissimas, vel hostium testimonio, prorsusque inauditas gessere: Et nos Batani olim crassi ingenij, & tantum non bardi Poëtis habiti, rebus tamen fortiter gestis & præclara fide, tale documentum dedi-

Gentibus singulis suæ morum ideæ.

Asiatici.

Galli.

Ægyptij.

Franci.

Saxo.

Brit.

Hollandi.

Cordubenses à Cicerone notati.

mus, vt eirones illi nos ab extremo Oceano perfidiæ ſuæ vindices redimere atque euocare nõ ſine tacita flagitiorum ſuorum conſcientia coacti fuerint. Dixerit Martialis omnium hominum irriſor, aurem Batauam pro craſſa & ſtupida, nos conuitium in decus vertimus eodem modo, quo Pindarus deprecatur vetus maledictum probrumque ſuæ genti, hoc eſt, Bæoticæ ingeſtum, quæ ſuina audiebat, à ſtupore mentis: id enim non diſſimulat in Olympijs ipſemet his verbis, ἀρχαῖον ὄνειδος ἀλαθες λόγοις εἰ φεύγομεν βοιωτίαν ὗν, hoc eſt, vt intelligatur, an re vera vetus probrum Bœotiæ ſuis effugimus. Genus hominum procerum habet Hollandia, alta magis quàm humili ſtatura, corporibus validum, forma liberali, ingenio aperto & facili, quod olim dolis atque exterorum artibus obnoxium propterea fuiſſe notatum eſt: ſed nunc ea ſimplicitas, tanquam eos attritu, peregrinationibus longoque commerciorum vſu exercita, vafriciei nonnihil attraxit, quod mercaturæ & negotiationis ſtudio bona pars hominum quantumuis longinquas totoq. terrarum orbe ſemotas ac diſſitas regiones peragrat, vnde multiplex linguarum & ingeniorũ cognitio mores imbuit, & in Vlyſſeos mutauit, homines à barbarie prima quam Rom. ſcriptores illis dant, multum diuerſi, ſermo & congreſſus comis illis eſt, laboris patientia ſumma. Id in genere dicendum eſt & verè, & cum laude, imò & finitimorum confeſſione, Hollandos eſſe frugi & attentos œconomos patresque familias: qui formicæ exemplum ſecuti condunt ſub hyemem, quæ illa anni partis iniuria negatura videtur, coëmptis piſcibus carnibusque, quæ vel muria domant, vel fumo durant. Vix etenim eſt honeſtior vlla domus, quæ pro ratione capitum familiæ (vt quæque eſt vel numeroſa vel exigua) non mactet in autumno bouem integrum, aut dimidiatum ſaltem, præter porcum, quorũ carnes in bonam anni partem eſui futuras, dum ver ſinum plenum effundat, ita vt dixi, condiunt. Hinc ſuccidiarum, pernarum, petaſonum, quæ fumaria inſtruunt, opes, quas magnatum aulis & Apiciorum

Bœoti ſuini audiebant. Holl. ingenium, conditio, & habitus.

Apiciorum culinis,annuas delitias,& notas cupedias nemo non neſcit, quòd gentium nuſquam ſalitura benigniore, aut molliore fumi natura eiuſmodi carnes condiantur. Fœminæum genus proceritate, formæ naturali & non fucato nitore & lacteo candore gentes finitimas ſuperat, viragines dicas, vſqueadeo nullius laboris parcæ aduerſus quaſuis aëris tempeſtatisque iniurias duratæ maria terrasq. obeunt negotiationis ſtudio: cultus ac nitoris domeſtici (cuius primam laudem gentium conſenſus nobis tribuit) ita curioſæ, vt vitio propiores ſint præ nimia diligentia, vt rectè dixerit Nazianzenus vitia & virtutes eſſe cognatas & ἀγχιβύρους, quod vitium fallere ſub vmbra & ſpecie virtutis ſæpe ſoleat. Eam verò diligentiam non modò oſtendũt in dealbando & mundando inſtrumento omni & ſupellectile, quam multam plærunque & lautam ac magnificam habent, verùm etiam alijs in rebus. omnia atria & cubilia (quæ fermè conſtant inteſtina materia è ligno, vt ita dicam, vndulato, hoc eſt, criſpantes maris vndas imitante) mirifico luxu & apparatu gaudent exornare, quæ non ſatis eſt aſſidua peniculorum tritura læuigare, niſi etiã decocti laticis fuco adulterare ſatagant, vt propemodum ſpeculorum officium nitore eximio præſtent. Accedit quod in parietibus quicquid nudum extra materiam relinquitur, non calce modò puriſſima, verùm etiam creta inducere ſolent, quò candor ſit maior. Quid, quòd & ſpecularia quæ Solem admittunt ac vitreas feneſtras oleo & terra ſelinuſia à ſordibus & maculis quas cœli horror atque iniuria inuehit, extrita limpidaque mirum in modũ reddere quaſi ſuſcepto certamine auent. Pauimenta quoque aſarotis ſternunt, & ne quid cœni inſideat, cribrato arenæ puluiſculo operire inſano quodam ſtudio conſueuere. In mundo muliebri & cultu veſtium modum non excedũt, vt Brabantia contermina facit, niſi quod lineis corallorum propendulis, vel quæ orbiculis conſtant argenteis, ſinus ornare geſtiunt; nonnullis locis Friſiæ Ciſrhenanæ ſpintheribus, bullis, fibulis, bracteis, vncinulis, glo-

Fœmina Hol.

Virtutes & vitia cognata.

Specularium nitor.

Pauimentorũ nitela.

bulis omnibus ex argento affabrè factis etiam rusticanæ puellæ fœminæque exornantur. Lintearia negotiatio studiosè excolitur à multis. Plæræque omnes aut fusos pollice torquentes pensa ipsæ trahunt, vel orbiculo versatili in cannas fila agglomerant, vnde telas lineas accurant, aut torto rhombo ea rapiunt, aut radijs telas cum Penelope percurrunt, aut operosa pepla arte Palladia cõsuunt, otio hebescere ac languere minimum solitæ. Coniugatæ à virginibus maturis & nubilibus dignoscuntur annuli gestamine, & plagularum linearum quibus capita velantur discrimine, in quibusdam locis capillitio in cirros implexo, nullo tegminis vsu durandis capitibus. Viri omnis generis opificia studiosè exercent, aut mercaturam faciunt, bona pars quæ triginta aut quadraginta millia superat, nauigatione victum quæritat, sibi atque liberis, hæc nauicularian faciendo, illa operam naucleris locando: multos annui prouentus alunt.

Coniugatarũ & Virginum discrimen.

Rusticana plebs.

Rusticæ gentis mores diuersi sunt; nam qui borealem tractum incolunt, austeriusculè & duriter vitam exigunt, parsimonia magis, quæ ingens est vectigal, quàm inopia adacti: qui secaliceo pane cum caseo & lacte & expresso inde sero vice potus victitant: quos inter repertos aliquando audio, qui viridi propemodum & infracta senecta centesimũ ætatis annum excesserant à vini zythiq. vsu prorsus alieni, alioqui nunquam otiosi, laborum patientes, operarum acres reposcones. Iuuentus inter eos æstate Cimbricas & Scythicas regiones, Hispaniasque nauigando interuisit, sub hyemem alecum capturæ operam locat, brumam solam fouendo genio liberaliùs impendit. Australiores & solstitiali plagæ obuij quibus opimius benigniusque solum obtigit, per vicarias ministrorum manus telluris opera tractat, ipsi otio vitam desidem transigunt, innata quasique hæreditaria segnitie feriantur, pergræcantur, vsuarios agros & pascua, quasi dotalia dominia, liberis colendos transcribunt, tantæ peruicaciæ vsufructuarij, vt conducto in certos annos vix nisi per vulnera necesq. cedere velint. Frisij Cisrhenani fidem præcipuè

Iuuẽtutis rusticæ studia.

Frisii Cisrh. rustici.

cipuè ſemper coluere, ita vt iuriſiurandi fidem ſolennem frangere, vel ſaltem fallere ac ludificari, vt parricidiale nefas, fugerint: nuſquam gentium religioſius obſeruatam dictorum conuentorumque conſtantiam certum eſt, ita vt commercia conuentionesque ſola in manum addictione certiora magisque rata eſſent, quàm quæ nunc ſeptenis teſtibus confirmantur. Iuuat hîc committere noſtratium mores cum Germanorum inſtitutis, ſecuturus in hoc Cornelium Tacitum, qui accuratè monumentis conſecrauit, peculiari ad id edito libello, morum & inſtitutorum Germaniæ memoriam, in quibus multa ſunt quæ adamuſſim maiores noſtri obſeruarunt, multa etiamnum in vſu ſunt quotidiano, in nonnullis diſſentimus. Nullas ille Germanis ſcribit fuiſſe vrbes, nobis ſunt frequẽtes. Ille improbat morem ſeparatarum ædium, diuerſum ab Italica fabrica, quæ connexa & cohærentia coniungit ædificia; noſtra in regione domuũ parietes ſpatio diſiungũtur, ſiue aduerſus ignem remedio, ſiue diffidentia quadam & cautione aduerſus curioſos auſcultatores & corycæos. Ille Germanos non fluitante veſte, ſed ſtricta artusque ſingulos propè exprimente & quaſi corpori aſſuta, dicit fuiſſe vſos, qualem & Francis dat Sidonius oculatus teſtis. Simile veſtimenti genus maiores noſtros adamaſſe è picturis vetuſtioribus paulò diſcimus, quale nunc in conſuetudinem redit, vt ſolet ea inſania in orbem redire, conſtantiore in hoc Germanorũ more qui antiquam obtinet, nec temerè habitũ mutat. Tunicæ olim ſtriatæ, ruſticis adhuc vſitatæ, nobis explicitæ. Ferarum pelles antiquitus, eædem nunc quoque in honore & vſu ſunt. Maioribus noſtris, ibidem vt Germanis, ſagum omnibus tegumen fuit, fibula aut vncinulo fermè conſertum, qua refixa refibulatáve diffluebat de humeris ſagũ. Literarum ſecreta viri pariter & fœminæ excolunt, in eo diuerſi ab illis. Seram ille iuuenum Venerem, atq. eo inexhauſtam pubertatem Germanis dat, eandem ne virginibus quidem feſtinatam. Neque placuit maioribus noſtris properum connubium,

Comparatio morum Holl. cum Germ. ex Tacito.

Connubia ſera.

nubium,& quasi præcoquum,sed ad vires adultas vsque & validas dilatũ, vt proles inde natæ robora parentum referrent; vt rectè suaserit Flaccus,*tollendam esse cupidinem immitis vuæ*, & Varrone teste, *veteres virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerint.* In conuictibus & hospitijs conuenit inter vtramq. gentem,quibus effusissimè indulget:quando pro fortuna quisq. apparatis epulis, sed fermè supra sortem,excipiat. in conuiuijs profundendum est, etiam si postea sit esuriendum, qui & Baccho hilarantur & canticis perstrepunt,nulla sine vino placẽt,quasi Varronem edidicerint,ita vbique & mussitari & occini audias,

Vinum hilaritatis dulce seminarium,
Hoc continet coagulum conuiuia.

Luxus mensarum.

Paulò ante hæc tempora luxus mensarum citra exemplum maximus & nepotinis tantum non prodigisque sumptibus exercitus,& in immensum auctus, profligatis iam moribus ciuilibus,finem modumque omnem transierat,quãdo pretiosa fames & macelli cõturbatrix (vt Epigrammatarij verba ad eam rem aptius exprimendam adducam) terra marique exquisitas ciborum delitias & cupediarum indagines vestigabat,donec dites & generis etiam claritate celebres familiæ,studio magnificentiæ in epularũ apparatu ad summa progressæ, aut comesis deuoratisque patrimonijs decoxere,aut in vetere ære alieno obstrictæ ac vacillantes fortunas suas conturbarunt, posteris nihil præter luctum & querelas relinquentes. Sed ea vesania & profusio paulatim, Dijs gratia, iam exolescit, postquã magnitudo famæ exitio esse cœpit,& exemplo docti ditiores, ad sapientiora animos conuertere,& noui exorti homines ac Reipub. clauo adhibiti,parsimoniam inuexere, aut ad pecuniosam senectam (vbi egestas quouis flagitio deterior habetur) priorem animum adiungunt. Cæterum fieri potest, vt cum temporum vicibus,etiam morum vertantur:sicut res mundanæ omnes velut orbe iactatæ voluuntur. De cõcertatione poculorum, & pergræcatione,dixi antea,sed istud qualecunq. studium,

Mensarum luxui insania residet.

firmitatem

firmitatem corporis gladiatoriam, nõ probrum existimant. Illud verò medullis intimis haustum sedet, quod Tacitus scribit, crebras inter vinolentos existere rixas, quæ non intra conuitia stant, sed ab hac iniuria ad maiora fit gradus, ita vt sæpius vulneribus homicidijsque finiantur: mirum quoque inimicitias non indictas modò & apertas, sed insitas etiam ac veteres in compotationibus ceu Bacchi auspicijs deponi in perpetuum, atq. obrui velut obliuione extinctas, hausto vtrinque Philotesio cratere, concordiæ firmamento, nefasq. contrahere inexpiabile creditur, qui per pocula sartam tectam coire in gratiam fœdusque abnuat. Parthorum gloriæ tributum fuit, antequam de Germanis Tacitus id prodidit, quod de rebus grauissimis in conuiuijs consultarent, tanquam nullum sit tempus quo animus meliùs efferatur intendaturque ad cogitationes de rebus arduis, aut simplices cõprehendat. alioqui non dubitauit Poëta illud iactare, *Parthorum mos.*

γαστρὸς ἀπὸ πλείης βουλὴ καὶ μῆτις ἀμείνων, hoc est,

Consilium saturo sequitur præsentius aluo.

Nihil certè verius, non illo tempore magis, quàm hoc nostro, quod propter intemperantiam potus, qua sitim non depellunt, sed quærunt, faciliùs vitijs suis, quàm armis hostilibus vinci queant vtrique, præsertim si indulgeas ebrietati ac suggeras (vt ipse ait) quantum concupiscant. Appianus abhorruisse priscos Romanos pariter & Græcos à fœnerandi cõsuetudine refert, quòd existimarent illud genus esse quoddam cauponandi, graue, litium parens, & simultatum seminarium; quamobrem & Persis fuisse exosum, vt imposturæ plenum mendacijsque debitum opus scribit. At exercere fœnus & in vsuras extendere ignotum fuisse Germanis tradit toties iam nominatus scriptor; quod nostris hominibus non ita multos ante annos notum esse cœpit, Cisrhenanis Frisijs hactenus inuisum; seruatur tamen in pecunia quæ faciendis nominibus occupatur, Calendarioq. destinatur, ne otiosa maneat, quincuncialis, sed maiore ex parte, semissis vsura, quæ pro centũ repræsentatis nummis, *Fœnus exosum Germanis & Græcis.*

ſenos refundit. Vnciarium fœnus inter mercaturam facientes non ita pridem irrepſit. Rara in numeroſa gente adulteria inter Germanos agnoſcit Tacitus, & nos extra hunc numerum non ſumus: illic capite anquiruntur, hîc mulctis coercentur grauibus, aut ignominia afficiuntur, quando deprehenſæ aut catamidiantur, aut corbi impoſitæ aquis merguntur, aut ligneam togam circumferunt. Proſtitutæ pudicitiæ non facilè maritus inuenitur, quamuis ætas, forma, opesque adſint. Virgines in manus virorum conueniunt, parentum vtrinque conſenſu, ſic maritum accipiunt, quomodo vnum corpus vnamque vitam, quod in illis quoque ita laudat Tacitus, vt plus bonos mores ibi valere prædicet, quàm alibi bonas leges. Homicidium pœna eadem manet in deprehenſo, vel lata fuga, vel aſyli reuerentia eximit, ſatisfactio non niſi vniuerſæ domus conſcientia & aſſenſu recipitur. quod olim extra religioſa delubra non fiebat, reo cum proximis conſanguineis ſupplice in genua prouoluto, veniam pacemq. humiliter depoſcente, ac piacularibus ſacris inferijsque inſtitutis manes propiciante, atque ita cædis offenſam expiante. Monumentorum ſuperbum & operoſum honorem noſtri itidem vt Germani, tanquam defuncti hæredibus grauem, aſpernantur. Fatidicarum mulierum fidei addictiores ad ſuperſtitionis vſq. infamiam fuiſſe Germani produntur: è quibus vnius Chattæ vaticinio velut oraculari tripodi acquieſcens Vitellius Imp. matris funus maturando, regium nomen parricidiali piaculo polluit. Velledam virginē Bructeræ nationis fatiloquam & augeſcente religione Deam tantum non habitam latè imperitaſſe memorat Tacitus, ad quam non temerè cuiquam acceſſum patuiſſe, ex eiuſdem verbis liquet: quippe quæ edita in turri habitādi ſedem ſibi legerat, vt gliſceret auctoritas cœli ſiderumque vicinitate: delecto etiam è propinquis vno velut internuncio, qui Mercurij vicem obiens, effata reſponſaque Numinis portaret. Ab hac inſania nondum liberati omnino ſunt noſtratium animi, anicularum creduli oraculis, atque

Adulteria Germ. rara.

Homicidium, eiusq; expiatio.

Fatidicæ inter Germ. earūq; auctoritas.

lis, atque haud scio an bona orbis pars huic superstitioni obnoxia sit; quod & de Maurusijs testatus est Procopius: & hac tempestate Mauritani diuinatricibus mulierculis ita addicti sunt, vt certam illis tribuant fidem, quæ dæmonum diuersicolorum commercio deditas se vltrò prædicant, maioris fidei auctoramento: habentque velut pro comperto euenturum, quicquid illæ prædixerint; quamuis indigenæ sapientiores earum auctoritatem eleuent, imò abrogent ac tollant; & *Tribadas* contumelioso nomine appellitent. Aurimam inter Germaniæ numina recēset Tacitus, quam ego *Alirunam* veriore scriptura & conuenientiore vocabulo nuncupandā autumo: (nam *Alioruna* apud Geticum scriptorem Iornandem accessione literæ deprauata est.) sonat autem ea vox sacram & fatidicam, composita ab *ali* seu *hali*, id est, sacra: sæpe enim negligitur, interdum etiam otiosè adijcitur à Latinis aspiratio in barbaris vocibus: & *Oruna* siue *Runa*, quo significatur in aurem mussatrix; id namque sonat Germanicè *Runen*, quod sagæ & fatiloquæ pro more religiosè obseruāt, vt veluti ex oraculi adyto profectum vaticinium certius fidei pondus accipiat. Certè Alirunis, quæ sagæ fuerunt aut magæ, auctoritas non vulgaris olim fuisse cognoscitur, quæ sanguine humano extis've captiuorum, quos ipsæ iugularant, inspectis, futurorum euentum prædicebant. Quod mulierum genus Vilimer Gothorum Rex sēdēs fertiliores quæsiturus in exercitu suo quum deprehendisset, veritus cruentas illis manus inijcere, conquisitas in solitaria & inaccessa hominibus loca abegisse legitur. Illud corollarij vice adijciendū est, dubium mihi esse huic ne genti sagarum, mandragora herba nomen dederit, an ab illa acceperit: siquidem Germanica lingua *Alrunam* in hunc vsque diem eam herbam appellat, veneficijs magicæque impostūræ nomine infamem, & magorum portentis expetitam; nisi quis originem vocis deducat ab *Alp*, qua Incubum siue Ephialten lingua Saxonum intelligit, quòd fanatica ista mulierum natio incubis vehiculum præstare dete-

Aurima.
Aliruna quid?

Alruna Mandragora.

detestando flagitij genere putetur. Quod ad Religionem attinet, qua mentes hominum velut illigantur tenéturque præsumpto Numinis metu, Germani maximè Mercurium
Teutates. siue Teutaten coluerunt, Tacito teste, ab humanis non
Hertum. abstinẽdo hostijs. Alij Germanorũ *Hertum* Deum masculino genere, *Tellurem* Romanis dictam, & ἑστίαν Græcorum innuentes, vel domus cuiusque præstitem Larem, quem
Tanfan. Heert/hoc est, focũ dicimus, significantes. Nonnulli *Tanfanam*, cuius celeberrimum gentibus templum solo æquauit Germanicus Cæsar, vt Tacitus dicit, pro numine præcipuo habuerũt, non intellecto hactenus, vt existimo. Videntur autem sapientes viri religionis conditores voluisse designare genitalem originem & primordium rerum, seu primam principemque omnium causſam, Deum videlicet. Neque enim aliud est *Tanfana*, quàm initium & primordium, à *the* articulo, & *anfan* principiũ, & per crasin *Tanfan*, quod hodie the anfang scriberemus, vbi barbaries magis oculatam se & altiore mentis indagine plus peruidisse, quàm Romana, si Dijs placet, sapientia, ostendit, Deum sub principij nomine colendo, qui fons est & principium mouendi, principij autem origo nulla existit, quippe ex quo vniuersa oriuntur, ipsum verò principiũ non aliunde nascitur, nunquam id futurum, si vlla ex re alia gigneretur: quod si nunquam oritur, ne occidit quidem vnquam, vt pulchrè differit in Phædro Platonis Socrates, & ex eo transcripsit Cicero in Tusculanarum primo. Saxones à recta colendi rerum auctoris conditorisque ratione diuersiùs ligneam columnam sub dio positam, numinis loco habuere; fortassis innuere volentes Dei naturam affectibus inconcussam, rectam, nec in diuersa nutantem, ad modum scapi columnæ; quam Irmenseul nominabant, aut rectiùs Hermonstal/ quasi Luni Dei sedes & habitaculum (facilis autem occasio lapsus fuit apud imperitos barbaræ linguæ descriptores, seul pro stal scribentes.) Est enim stal receptum pro stabulo & habitatione: nisi mauis Hermonstul/hoc est, soliũ & sedem

Luni

Luni Dei: Per Lunum, Deum vniuersi auctorem & vegetatorem innuentes, cuius beneficio cuncta incrementum capiunt atque augescunt, vnde manauit eorum opinio, qui Lunam existimarunt esse sidus spiritus, vti Plinius admonet, apud quem cap. vndecentesimo perperam in patrio casu Lunæ legas pro Lunam. Consimilem ob caussam Celtas Germanos excelsam quercum coluisse, Iouisque nomine indigitasse solenniter (id quod Maximus Tyrius de illis prodidit) crediderim. Pars Sueuorum, quæ præpotens erat Germaniæ natio, Isidi sacra factitasse memoratur à Tacito, cuius signum in Liburnicæ modum figuratum, peregrinæ religionis documentum dabat, ea specie fortassis Lunam loquente, quæ dum in cornua sinuatur, nauiculæ hinc in proram, inde in puppim accliuis atque assurgentis, figuram non malè mentitur. Quin & Naharuali populi ad Hercynium iugum Lygijs, quos nunc Silesios vocamus, vicini, Dioscuros seu Castorem & Pollucem, Romana interpretatione Deos, *Alcin*, quasi *Halgin*, & vt nunc dicimus hailigen/hoc est, sanctos, nullo peregrinæ superstitionis vestigio coluere, vt refert idem Tacitus. Vandali *Vodan* & appendice literæ, (quam Diaconus addit) *Guodan*, Mercurium sua lingua dictum colebant, à quo nomine Mercurij dies videtur appellationem traxisse, quasi *Vodans*, & geminato W loco G, Wodans dach/qui nunc Wonens dach molliore pronunciatione vocatur. At quòd Batani cum reliquis insulis peculiare Dei numen venerati sint, non certò liquet, nisi quòd in Mercurium, vt eius cultũ ipsis receptum credam, magis inclinat animus. Quodcunque tandem habuerint, Annalium fidei credimus satis, precibus Wilibrodi cum syluis lucisque procubuisse, id namque traditur, aut certè instillata animis purioris religionis luce, simulachra dolabris sublata, conuulsaque fuisse à populo, qui veri Mercurij, hoc est, paternæ mentis ac voluntatis interpretis, sincerum cultum iam acceperat tradente illo. Non possum hìc præterire morem ab Ethnicis transumptum, relinendi dolia musto

Plinius restitutus.

Vodan.

Mos relinendi dolia musti.

plena, vt Probus testatur (cuiusmodi ferias πιθοιγίαν ab apertione cadorum nominat Hesiodus) quando idem nobis solenne sit facere in præcidaneis ferijs D. Martini, quibus cados musti resignant. Illud quoque lepidè excogitatum est, quod geniali mense, Ianuario scilicet, matronæ & nymphæ viris ac procis munuscula mittunt: postridie Idus Ianuarias, qui dies Pontiano sacer est, eamque actionem nominant Pont sennen/ quasi dicas Pontiano xenia aut pondo mittere, rursus viri procique vxoribus ac nymphis eundem præstant honorem, octiduo pòst, idque nyten (quod arietare aut cornu petere sonat verbi vim reddenti) vocant à nomine Agnetis virginis, quæ diem quoque illum sacrum habet. Allusionem in nominibus quæsitam laudarem, vt argutiusculam, nisi in re sacra licentiùs id fieri oppido improbarem. Eam enimuero consuetudinem mutuati videntur maiores & Diuis transcripsisse à Romanis, apud quos Saturnalibus mense Decembri fœminæ viris munera missitabant, vt hi vicissim mulieribus ipsis Martij Kalendis, quas propterea, *Fœmineas*, Iuuenalis appellat. Tacitus refert morem fuisse militiæ receptum inter Batauos, vt ducem delectum scuto imponerent, & sustinentium humeris vibrarent: eius consuetudinis vestigium quoddam reliquum seruarunt gladiatorum collegia, qui districtis certoq. implexu firmatis ensibus vnum quempiam velut antesignanum & ducem imponunt & gestando in orbem vibrant. Quin & alium morem tradit Batauorum cohortibus vsitatum, si quando oppugnatio tentãda erat, & inuadenda mœnia hostium, tunc enim truci cantu, & patrio more nudatis corporibus scuta super humeros quatere consueuerant. Mos inoleuerat olim à priscis (vt opinor) sæculis receptus quasiq. per manus traditus, vt festis diebus, ac profanis quoque, accincti gladijs minutis ac proinde districtu procliuioribus incederent, quem Persis etiam in vsu fuisse lego, & in vetere Græcia, antiquatum postea & reiectum ab Athenienſibus primis, vti locuples testis est Thucydides: sed is quoque, postquam

Mos Batauis receptus.

à Gelris

à Gelris & Frisijs secura sunt omnia, nec Martẽ illi spirant amplius, desijt atque ex hominum propè memoria deletus est. Erant autem ij gladij lata lamina, leues, ancipites, breues, inepti ad punctim feriendum, ad solum cædendi vsum habiles, neque ad aratrum & stiuam colonus absque illis armis accedebat apud Goeylandos. Illud operæpretium est scire, singula Hollandiæ oppida, pro suis opibus & pro loci conditione, honestissimorum, quique opibus mediocribus instructiores sunt, ciuium centurias in certas classes distributas habere, quos robora & neruos Reipub. dicere liceat, Sagittarios communi nomine appellant, siue illi balistis arcubusque chalybeis spicula fundunt, siue acernos arcus ducunt, siue manuarijs tormentis sclopisque plumbeas pilulas spargunt. Quibus olim pro insigni vestis erat bicolor, adiecto argenteo emblemate, qui vestitus honos eos à plebe secernebat. vestitus plærisque oppidis obsoleuit, emblematis alicubi durat. Horum quemadmodũ apud Romanos euocatorum militiam fuisse honoratiorem antiquitus constat, quum singulæ ciuitates Principi in armis præsto aderant, delectu ex his habito. hi si exercitus mercenarius ducebatur, Triariorum locum tunc tuebantur. At nunc si vsus postulet, ad comprimendam seditionem, ad arcendam hostilem incursionẽ armati adhibentur, vel si ornandus sit Principis aduentus, vel noui inauguratio decoranda, tum verò honoratæ custodiæ ac solennis vicem præstant. Haud temerè inuenias maioris nobilitatis altricem regionem alteram, sed plæræque familiæ, & quidem vetustissimæ, vel bellis absumptæ, vel intestinis factionibus oppressæ interierunt, vel deficiente generis propagine in aliarum nomina transierunt, quam rem peculiari capiti destinaui. Vtitur Hollandia Duumuiris Capitalibus, qui custodiam habent, in reos animaduertũt, causas priuatorũ hominum in iudicijs versant coram Iudicibus, quos à certo numero Septemuiros vocitant; quorum alter in ciuitatibus intra pomœria ciuibus ius dicit, Prætorque nominatur, Scultetum Carolus Magnus

Sagittariorũ classes.

Schuttes rije.

Nobilitas Hollandiæ magna olim.

Duumuiri Capitales.

Scultetus.

Magnus nouo indito nomine, Sculthęys Francica voce dixit, velut noxæ debiti've exactorem, quòd & pœnas irrogare & multas expoſcere ab ijs qui deliquerint, ſoleat. Alter qui peregrinus eſt, & ruri (quanquam & intra portas ius illi dicere liberali cauſſa non negatur) cauſſas audit municipum & in agris degentium, quem Gallico vocabulo *Baliuum* appellant: is in iudicijs operâ vtitur nobilium, qui colonias & prædia beneficiaria poſſident, & ex illorum Iudicum ſententia vitæ ac necis ius exercere poteſt. Quos autē Septemuiros nominaui modò, vulgus Latinorum Scabinos vocat, cuius origo vocabuli à ſæculo & inſtituto vſq. Caroli Magni petenda eſt: etymon enim habere videntur, à Scaf hin/ à mera poteſtate illis tradita interficiendi atque è medio tollendi: id namque eſt, hin ſcaffen. quæ poteſtas quia temporum vices ſimilem ferè promittūt, vnde ortum traxerit, paucis hîc repetenda eſt. Quum Carolus Magnus cognomine Veſtphalos ſubactos ſæpius, rebellando tamen refractarios, datam ſemper fidem violare animaduerteret, viſum eſt illi ex re fore ſi diritate ſupplicij exemplorum qúe terrore caſtigaret illorum proteruiam. Itaque iudices arcanos conſtituit, quibus ius ac poteſtatem animaduertendi in periuros, aut temerariæ fidei reos, aut facinoris compertos, inauditos atque indefenſos, delegauit. Ea ſeueritas & truculentia Veſtphalorum gentem in fide atque officio continuit, quum ſæpius in ſyluis magnates & non mediocribus fortunis viros ſuſpenſos perfractis laqueo ceruicibus vitam finiſſe cernerent, nulla accuſatione præmiſſa. Scribit Æneas Pius ad ſuam vſque ætatem continuatum fuiſſe illud iudicium, ſecretosque ritus obſeruari, quibus criminoſos iudicant, & reos damnationis ſuæ inſcios, vbicunq. reperti fuerint, ſupplicio affici, eosque Scabinos appellari, qui huic iudicio cum poteſtate præſunt, teſtatur. At noſtri Scabini ſiue Septemuiri cauſſas iudicāt, deductam in iudicium quæſtionem decidunt, quæſtionibus & tormentis adſunt, crimina excutiunt, denique vitæ necisque poteſtatem habent, ſed

Baliuus.

Scabini. Schepenen.

auditis

auditis priùs reis. Habet eadem regio, vt est paluſtris atque eluuionibus obnoxia, ac propterea vti cogitur aggerũ obicibus è viuo cespite aut alga æquorea constructis, quibus tanquam firmissimis corporis sui propugnaculis aduersus amnes Oceanumque se muniat, ea videlicet parte qua colles arenarios natura negauit, habet, inquam, chomarchos, sic voco aggerum præfectos & curatores, quos promiscuum vulgus Dijckgrauios / ceu aggerum Comites, qui sedulam suis quiq. locis curam reficiendorum aggerum gerunt, rusticis & colonis opus quotannis imperãt, sæpius colluſtrant, ex arbitrio & æstimatione iudicum, firmitatem molium altitudinemque exigunt, rebelles mulctis onerant, quòd publica salus ab illis pendeat, & è neglectu incuriaque hominum in discrimen venire possit ac periclitari. Quorum in numero sunt præcipuæ ex omnibus dignitatis, splendidisq. orti natalibus viri, qui Wilhelmi Romanorum Regis, aliorumque Hollandiæ Principũ priuilegijs compluribus aucti, cum publica auctoritate præsunt aggeri perpetuo, qui Caninefates intersecat medios, ab Amsterlodamo Velsenum vsque pagum, vernacula voce ex re imposita *Heimradi* dicti, quasi domestici cõsultores, aut (vt ipse Cæsar augustiùs interpretatur in suo diplomate) communis terræ cõsiliarij, quòd in commune rebus ipsius tanquam frugi & vtiles œconomi consulere teneantur: quorum immutabile arbitrium & sacrosancta auctoritas Regio diplomate non vno communita sunt, quo insuper sibi ipsi & posteris retractandæ reuocandæq. voluntatis aut sententiæ arbitriũ adimit. ij Septemuiri sunt quidã septenario numero constituti. quorum ad exemplum Sciedamensis & Delphensis tractus singuli Quinqueuiros aggerum tuendorũ curæ præfecerunt. Quod ad linguam attinet, ea Germanica est, Belgicæ commercio affinis, cuius dialectum atque idioma infectum deprehendas à propinquæ gentis vicinia, aut cõmercio: nam Traiectensis lingua Gelricum spirat, quòd illis populis vsi sint in bellorum societate coniunctissimis & quotidianis,

Dijckgrauẽ.

Heymradij Rinlandiæ a Wilhelmo Cæs. priuilegijs honorati.

Heymradt.

Batauus sermo.

quorum moribus non multum dissident ingenia. Frisium sermonem affectant proximè Enchusani & Medenblicenses. Brabantico accedùt Durdrechtani & Australioris Hollandiæ incolæ. De Harlemæis Haganis & propinquis dicere licet cum Aristophane Comico:

Sermo vsitatus vrbis in medit̃llio,
Nec fœmininus, néve iusto agrestior,
Linguam imbuit.

Hollādica ingenia.

Venio ad ingenia, quæ producit Hollandia non infelicia neque sterilia: quorum nonnulla nisi luxu protererentur obruerenturque, ac velut in herba interirent, aut nisi è medio studiorum cursu retracta ad negotiationem & lucrosas artes, à Mercuriali saliua alienas, spem luderent atque abrumperent, poterant cum veteribus illis in dubiam certaminis aleam ire. In his sine exemplo maximum illuxit clarissimumque D. ERASMI ROTERODAMI, qui multitudine operum Didymum Chalcenterum, ab inuicta scribendi patientia sic nuncupatum, fermè æquasse putandus est, cuius scriptorũ numerus tria libellorum millia transcendisse, si Hesychio Milesio credimus, memoratur. Certè vniuersi propè orbis testimonio doctrinæ omnigenæ ac præsertim sacræ lauream meruit, non sine inuidia assidua eminentium comite, & quæ altissimis ingenijs adhærere durante vita solet, à fato conquiescere dicta, cuius tamen scintilla rediuiua tanto post funus annorum interuallo necdum sopitæ nuper se prodere cœpit. Ille fulgore suæ claritatis cæteris propemodũ tenebras obduxit: ex eo, quemadmodum ex Oceano amnes sui cursus auspicium accipiunt, minores quiq. in eruditorum numerum libenter nomen suum referunt, hausere suæ institutionis seminaria, ceu deposito isthîc tyrocinij rudimento. Ab hoc, quod cum excipi par sit, vt inter duces Achillem, nomen memorabile studio eloquentiæ acquisiuit Petrus Nannius Almerianus, multis apud Louanium annis Latinæ linguæ professione clarus: qui iniqua æmulatione, difficiliore imitatione successor datus Conrado Goclenio literatissimo

D. Erasmus Roterodamus.

Petrus Nannius Almerianus.

Corn. Goclenij laus.

ratissimo & omnibus oratoriæ facultatis numeris propè perfecto viro, inuidiam apud multos excitatam extinguere non potuit: sed dum literis sacris in otio honesto se mancipare, iam sacerdotio opimo auctus, curisq. ergasterij exolutus, cogitat, communi luce priuatus est. Protulit Amstelrodamum Cornelium Crocum magna eruditi ingenij laude florentem, qui purissimam linguæ Romanæ elocutionem sectatus, omne Terentij myrothecium, Ciceronisque arculas consumere adnixus est, editis in lucem libellis aliquot pueritiæ accõmodis: sed tetricitas ex atra bile aucta quiddam Bellerophontæum homini afflans, adhuc iuuenem extinxit. Eadem vrbs dedit Sartorium insignem formandæ pueritiæ formatorem, simili prope morbo absumptum, libellis ad puerilem captum perquam accommodis clarum, & posthumis quoq. operâ doctissimi Henrici Iunij qui gener illi fuit, à plagio alienissimus, prælo traditis. Dedit Gouda Guilelmum Hermannũ, infelici sæculo non infelicem scriptorem ac poëtam, luxu ante diem ereptum: quem laude sua fraudandum non duxi, quòd vt summis admiratio, ita inferioribus merita laus debeatur. Vtroque & Poëtices & Historiæ nomine celebrari video Cornelium Aurelium eadem ciuitate ortum, quam obscurè magis quàm malignè (vt arbitror) sub Aurelij nomine designauit. Extulit Horna Iacobum populare meum, qui Ceratini, Graio, quàm patriæ suæ, vocabulo appellari cur prætulerit, equidẽ ignoro. nam me non adeò pudet natalis soli, vt non multo malim, barbara patriæ voce, quàm centies benè Græcâ in linguam conformata dictione cognosci. Docuit ille Louanij Græcas literas, quarum erat non minùs, quàm Latinarum ad miraculum vsq. peritus, rara modestia & virginali quodam pudore, Partheniæ cognomento Virgilium interuersurus, si vixisset ille; qui Erasmo libellum eruditum de sono Græcarum literarũ dedicauit, Chrysostomi sermones De dignitate sacerdotali Latio donauit, & Dictionarium Græcum primus studiosis dedit, Louanij in ipso iuuentæ flore raptus.

Cornelius Crocus.

Ioannes Sartorius.

Henricus Iunius.

Guilelmus Hermannus.

Cornelius Aurelius.

Iacobus Ceratinus.

Extulit Haga syluam felicium & poëti natorum ingeniorum inter cætera Sas botos quis non nouit? patrē Iudocum & filiū Arnoldum, qui in Senatu Gelriæ, in principem consessum, genitori succesſit: quos rerum arduarum amplitudo, dignitas, & Reipub. intentissima cura, paullatim ab ijs studijs auocarunt. Dedit eadem felicissimū & ab ipsis Musis effictum ingenium Ioannis Secundi, cuius in poëmatijs omnes Veneres & elegantiæ Catullianæ renident, qui, si par contigisset à fatis ætas, Vmbrum vatē in Elegijs longo pòst se interuallo reliquisset: cuius Basia viuēt, dum basijs amantium ora patebunt: cuius in exprimendis per ectypas imagines vultibus elegantiam & lineamentorum subtilitatem, cùm nostra mirabitur, sed non satis explebit se, postera ætas. Proximus huic est, nec longo proximus interuallo, Ianus Douza, Nordouici Dominus, paululū extra iustos adolescentiæ terminos egressus (id quod honori carminis eruditi tributum volo) qui edito nuper in lucem egregio exigui libelli fœtu, in tantam excitatæ famæ opinionem irrepsit, vt non modò à Secundo secundi votum depositurus, multis etiam primam laudē sit erepturus. Protulit eadem Guilelmum Fullonium, qui Comico argumento Acolastum, siue Decoctorem lusit tantâ elegantiâ, vt Comici numeros omnes expressisse creditus sit. Tulit eadem benigna genitrix Guilelmum Cripium Senatorem, virum eloquentiæ laude clarum, & Poëtam argutum, lepidum, ac festiuum, id quod monstrant edita eius aliquot epigrammata, & docebit pleniſſimè liber, quem apud se premit in molem abiturum, breuique, vti spero, pleno iam vtero erupturum. Neq. obliterari fama se patitur Hadriani Scorelij, è Scorelio pago geniti, cuius nisi molle, argutum, ac festiuum in poëmatijs approbauisset, & sæculi oculos posse iudicasset sustinere, operarum prælis non indigna eius opuscula existimasset Nicolaus Nicolaïus ipse Poëtarum Coryphæus. At ille dum Romæ se corrumpit, & reuersus arentibus semper faucibus intempestiua ducit pocula, cum paralyticis artubus mentis

Iudocus Sasbotus.
Arnoldus Sasbotus.
Ioannes Secundus.
Ianus Douza Nordonices.
Guilelmus Fullonius.
Guilelmus Cripius.
Hadrianus Scorelius.
Nicolaus Nicolaïus.

mentis ſtuporem accerſit,& venæ igniculos omnes obrutos extinxit in ipſa viridi adhuc iuuenta. Quid feſtiuius, quid mollius,quid ſubtilius primis illis Epigrammatijs,quæ olim dedit Cornelius Muſius ? quáta cum Venere atq. gratia rident ! ſed otij quodam genere ſegni,quòd cum monaſticis virginibus per ſummas opes attinetur,acris illa & benigna ingenij poëtici vena relanguit non parũ atq. decoxit. Quantum Solitudini, quam ſcripſit, decoris acceſſiſſet,ſi poëticis quàm rhytmicis numeris eam exornatam dare (quod illi procliue factu fuerat)maluiſſet ? recoquet fortaſſe, quod infœcundum effluere non ſinit, ſenium. Delphi præclara vrbs hunc genuere, & tenent. Celebratur & Egidius Delphus poëta ſimul & Theologus, ſed cuius ſcripta in manus meas nunquam venere. Accedit inter Batauos Cornelius Valerius profeſſor Vltraiectinus natione,quo viro,delitijs ſuis, fruitur Louanium, vtrique paginæ factum ingenium,in vtroque ſcribendi genere prope par,niſi quòd in pedeſtri oratione argutijs & docendi acumini proximior ſit,in ligata & aures ducit & frequenter ſublimis aſſurgit. Quid ciue huius Guilelmo Cantero doctius ? quid diligentius? quid fœcundius? cui rectè à puero inſtituto, in re domeſtica lauta (quæ felicitatis partem auxit) genius proſper Gallici nominis doctorum omnium conſuetudine frui,eorumque penetralia perreptare ac cognoſcere muſæa dedit. Qua occaſione vſus adoleſcens, multiplici theſauro ſuum inſtruere penum potuit. Documento ſunt copioſi Nouarum Lectionum libri: Ariſtides conuerſus: Lycophron explicatus: Felicitatem in carmine Græcorum æmulam vel Syneſij hymni carmine redditi eodem docuerint. A quo nil niſi præclarum & abſolutum expectandum erit, ſi iuſtos annorũ curſus Parcæ iuueni permiſerint. Vltraiectinus fuit & Giſbertus Longolius, ab illuſtri ſtirpe Langerackia nomen præ ſe ferens,annotationibus non indoctis,multæque lectionis iam tum ab adoleſcente editis in libellum de morum honeſtate notus,profeſſione Medicus. Hortenſius hiſtoriarum,

Cornelius Muſius.

Egidius Delphus.

Cornelius Valerius.

Guilelmus Canterus.

Giſbertus Longolius.

Lambertus Hortenſius.

storiarum, Germanicæ & Vltraiectinæ, Satyrarumque scriptor, alibi nobis memoratus est. Supersunt & alia ingenia, qui (quod de Menandro dictum est à Fabio) iustiora posterorum, quàm suæ ætatis iudicia consequentur. Fuere & qui scientiarum dotibus clari, in suo quisque scientiæ genere, honoris famæque apicem attigerunt, sed aut ob styli horrorem incultum ignorantur, negliguntúrve, cuiusmodi fuit

Hadrianus VI. Traiectensis P. M.

ille qui supremum rerum humanarum fastigium Cæsareo patrocinio (cuius puerítiam finxerat) ingressus, Quodlibeta dedit: aut qui publico nomine conscriptorum inuidiam, nominis sui celebritate sustinere coguntur, alioqui latebras facilè quæsituri in publico, aut curucarum malignum nomen euitaturi: in quo ordine sunt qui collocarunt virum celebrem, Demosthenici vitij lingua tenus affinẽ. Sed quis tandem inuidiæ obtrectationem effugere potuit vnquam?

Pictura.

Cognata literis res est Pictura, quæ ars vt nobilis, Regibusq. expetita, ita olim etiam in primum liberalium gradum recepta, & quos posteris tradere dignatur, nobilitans. In ea habet Batauia florentia aliquot ingenia, quæ neque possum, neque debeo silentio præterire. In his principem honoris ac

Pictores præstãtes in Hollandia. Io. Scorelius.

gloriæ gradum ascendit primus Ioannes Scorelius, pago cognomine, equini generis mercatu nobili, oriundus; pòst Canonicorum collegio Traiecti adscitus: cuius insignia opera tota passim Hollandia magna cum admiratione pluribus in fanis spectantur, sed quòd pulposos lacertososque artus cum iusta symmetria exprimant viuidæ imagines, vulgus profanum & supra crepidam sapiens, minùs dignè de picturæ honore loquitur ac sentit: vtcunque sit, in coloribus austerior est. Huius discipuli fuere Martinus Hemskerckus & Antonius Morrus Vltraiectinus, vterq. magistro proximus; sed suo quisque (vt dicam) in genere, vterque inter primos nominatissimus, & penè alter (si liuor, qui viuis infestior à morte cessare solet, pateretur) Apelles; nisi quòd huic nomini, facto propior videatur Martinus, tum quòd parcus

Martinus Hemskerckus.

temporis dispensator nullum tam occupatũ habeat diem,

quo non

quo non aliquid agens, lineam ducẽdo artem exerceat, tum etiam operum multitudine, quæ infinita propè sunt in omni genere, & penicillo ducta & calamo exarata, vt encaustarum typis efformarentur. Vtriusq. certè operum æternitas haud alium interitum, quàm vniuersi excidium sensura putatur. Martinus in omni argumẽti genere varius, inuentionis subtilitate nulli secundus, in exprimendo amœnissimo quoque ditionis, conuallium, villarũ situ, amnium & euriporum decursu, velificantium nauium, aut mulis, vehiculis ve vrbes adeuntium, aut solem petasis defendentiũ ambulationes, mirificè luxuriat. Morrus confessione artificum in exprimendo ad viuum indiscreta similitudine vultuum filo, inque danda illis symmetria, palmam facilè adeptus, idque assecutus quod rarum in artis successu inueniri posse existimat Plinius, de Parrhasio loquens, nimirum extrema corporum facere, ac desinentis picturæ modum includere. Antonius Morrus.

Artifex operum fœcundus principalium, à quo quicquid fermè Regum & Primatum hæc habet ætas viuidè expressum est. Hos ætate superior paulò præcessit Ioannes Mostardus Harlemo oriundus, qui circa minuta potiùs, vt illi colossicotera, triuisse ingenium videtur, manupretio in pedalem tabellam satis magno constituto: ars eius eluxit in venustate ac decore oris, comptu corporũ, argutia vultus, capillitij elegantia, lineamentorum tenuitate, Protogenica fermè: viroris inimitabili apparatu, alio circa lucos, arbores, muscosos fontes, alio in vestitu, cæterisq. rebus. Antonium Blocklandium Monfortium extulit partu, pictoré non postremi nominis. Qui in repræsentandis venustè vultibus minimè durus, in reddendis historijs nulli facilè secundus audit, idq. loqui mihi videntur nonnulla quæ spectaui opera propè spirantia, solaque anima defecta. Neque sua laude atq. gloria fraudandus est Theodorus Bernardus Amstelrodamæus, inuentionis dispositionisque & eius Veneris, quam Charita Græci dicunt, gratia nemini libenter cessurus, vultuum imitator insignis. Neque silentio prætereundus est

Ioannes Mostardus.

Antonius Blocklandius.

Theodorus Bernardus.

Petrus Longus.

dus est Petrus cognomento Longus, quem Pyreïco Plinij comparare iure, si non anteferre videor posse, qui ex proposito, vt apparet, humilia penicillo secutus, humilitatis summam adeptus est omnium iudicio gloriam; ac propterea ῥυπαρογράφος cognomine cum illo pariter insigniri, vel me arbitro, potest, vsqueadeo in operibus illius vbique relucet gratia quædam, expresso elegantissimè in rusticanis puellis corporis filo habituque, obsonijs, oleribus, mactatis pullis, anatibus, asellis, piscibusque alijs, culinario denique instrumento omni, ita præter consummatam voluptatem, infinita etiam varietate, tabulæ ipsius oculos nunquam satiant: quo fit vt pluris eæ væneant, quàm multorum accuratæ maximæque. Habet Hollandia & sculptorem marmorarium Guilelmum Tetrodium, quem nedum Praxiteli, sed etiam toti propè Romæ nunc opponat. de quo in natali ipsi vrbe Delphis fusiùs agam. Restãt duo lumina artis non propriè encausticæ, vt quidã putant, sed quæ in laminis æreis & quouis è metallo ductilibus, auerso cœli scalpríque tractu pingit iconas historiasque omnes, quas illitu atramenti cuiusdam encaustici, imò colorum quorumuis aduersas lamellæ in gypseis tabulis chartis ve reddũt. Ii sunt Theudericus Volcardus Amstelrodamæus diuino homo ingenio, sed fati aduersi, & Philippus Gallæus Harlemæus magistro illo, dij immortales, quanto superior! nisi quòd inchoatam cum laude artem ille intermisit; in hoc cum surgente ætate etiam artis gloria gliscit.

Guilelmus Tetrodius.

Theudericus Volcardus.

Philippus Gallæus.

CAP. XVII.

De Hollandiæ primarijs vrbibus, deq; oppidis & municipijs.

INITIO ante descripta iura palabundi homines vago errore ferarum instar per agros dispersi, tantum habebant, quantum manibus per cædes & vim poterant extorquere aut retentare, dum potentiores cupiditas, inopes fames, quàm fama virtutis, magis commouet. Illam belluinam vitam ad

tam ad manſuetudinem & ſocietatis humanæ coniunctionem retrahere fabuloſus Orpheus & Theſeus, alijque conſilijs præſtantes viri aggreſſi, homines primò ad conuenticula contraxerunt, inde coniungere ædificia docuere, eorumque coniunctiones vrbes appellarunt, quod aratro circumducto ſanctos earum terminos finesque præſcriberent. Eas antiquitas quo à prædonum maria infeſta habentium iniurijs eſſent remotiores, procul à littore condidit, ſi teſtimonium nobiliſſimi ſcriptoris Thucydidis non abnuimus. Tum deinceps quæ pecuniarum copijs affluebant, vel ad ipſa littora ſedes ceperunt, vbi muris ac mœnibus aduerſus vim tuti ſe circumſepirent, vel anguſtias terrarum vtrinque mari expoſitas (iſthmos nominant) occuparunt, partim negotiationis opportunioris gratiâ, partim vt finitimis vim parantibus facilius obſiſterent: priùs enim quàm piratica & latrocinia vigere & in gloriam trahi cœperât, vicatim Græcos habitaſſe idem ſcriptor locuples teſtis eſt, quando non ſpecioſæ vrbes, ſed vires & potentia æſtimabantur, præſertim in hoc gloriantibus Lacedæmonijs, qui muratas vrbes gynecæis, hoc eſt, mulierum luſtris comparabant, quod intra illas degener & imbellis ſuisque diffidens viribus multitudo latibula quæreret. Idem Germanis quoque fuiſſe ſtudium ex Tacito liquidò deprehendimus, qui nullas illis habitatas vrbes, imò ne ſedes quidem inter ſe iunctas pati potuiſſe, ac proinde vicatim diſcretos diuerſosq. ædificia collocauiſſe commemorat. Quin & Alemannos ſiue Sueuos ſcribit Marcellinus maluiſſe ſolum ipſum & territorium deuictarum gentium incolere, quàm earum oppida, quæ non aliter vitabant, quàm arbuſta quædam retibus tenſis circundata: propterea quòd liberis in campis, ſi ingrueret hoſtis, temporarium conſiliũ de emigrando, aut de faciendis cœtibus capere poſſent, id quod incluſis intra mœnia vallumque negatum eſt, qui obſidionis pericula ac mala ſuſtinere coguntur, neque pugnam arbitrariam capeſſere, obſtructis eruptioni vijs, aut ſtatiuis oppoſitis præmunitisque

valent. Nimirum veteres in animosa iuuenum ac virorum virtute, haud in mœnibus videntur fiduciam omnem posuisse, quòd existimarent nihil iuuare turres & muros, vbi deesset animus & bello viuida virtus: ita vt rectissimè iudicarit Hippocrates felices eos qui cogitent viros esse regionum præsidia & munimẽta, non turres aut lapidea mœnia: neque minus scitè Lycurgus legislator dixisse proditur, non videri viduam mœnibus vrbem, quæ viris, non coctilibus laterculis sit cincta. Quare meritò custodiẽdus est memoria Alcæi Lyrici versiculus decantatissimus, Ἀνδρες πόλεως πυργοὶ ἀρήιοι. quo significat viros esse martias vrbium turres. Neque diuersam fuisse causſam autumo, cur serò apud minores Frisios oppida condi cœperint, imò raras admodũ extitisse antiquitus in Hollandia vrbes & oppida muris circundata, aut vallis propugnaculisque communita ex veterum scriptis intelligere satis possumus, quæ præsens ætas frequentia aduersus vim comparata tutamenta numerare potest, vt pari spacio haud temerè plura vsquam videre liceat, quæ cum vrbibus recensere hîc fert animus, cùm vt decora atque ornamenta regionis exteri absentes domi in Musæo quisque suo extra peregrinationis periculum molestiamque intueantur ac contemplentur, tum vt hi quos studium peregrinandi detinet, quæ petant, quid inquirant, ad pascendũ oculos simul & animos in numerato habeant. Solet autem illud studium quod in lustrandis vrbibus consumitur, præsertim si ratio explorandi cognoscendique populorum ingenia accedat, magnam felicitatis sapientiæque partem addere, quod in Vlysse suo inter peculiaris operis initia voluit innuere Homerus, quasi summo laudum cumulo beatus fuerit, qui multarum gentium vrbes lustrarat & mores inspiciendo perdidicerat. Habet verò Hollandia primarias vrbes sex, tanquam matrices & cæterarum columina, quibus velut ex arce signum tollentibus, cæteræ ad obsequij vices ciconiaria quadam lege præsto adesse solebant: (quæ nunc obsoleuit consuetudo) Ex tunc fuere præ-

potentes

potentes & felices, quando ex earum arbitrio Princeps belli pacisque munia temperabat, hostilia vel ordiebatur, vel finiebat; denique vtranq. paginam solæ faciebant, quæ nunc cum Ilio & Milesijs, quibus strenuitatis gloria quondam animos fecerat, vicissitudinem rerum (vti in rebus humanis nihil diuturnum aut perpetuum Natura patitur) experiuntur, postquam libidini ius concessit, maiori summum rerum iudicium dij detulere: manet tamen honos & dignitatis gradus integer. Hæ quotiens ad Comitia vnâ cum primoribus è Nobilitate (Ordines siue Status peculiari vocabulo honorificoque nuncupantur, siue ab auctoritate, siue quòd in potiorum consilijs salus Reipub. vertatur atq. consistat) conueniunt, indicuntur autem ea non rarò ob res arduas & profanis auribus ignorandas, tum verò statos subselliorum ordines singulæ adeunt, quos inter vt principē consessus locum iure prærogatiuo Durdrechtani obtinent, ita quoque sententiæ dicundæ principatum trahunt: proximæ dignitatis vices Harlemæis attributæ sunt: tertiū ordinem vendicant sibi Delphenses: quartus penes Lugdunenses, siue (vt vsus obtinuit) Leidanos consistit: quintam classem ducunt Amstelodamæi; sexto loco Goudanis seruato. Id tamen obseruatur caueturque religiosè, vt Nobilitatis primates, vt vetustate & stirpis claritudine antecellunt, sedes ac dicendæ sententiæ ius singulare priores occupent, antequam Magistratus occipiant. Cæterùm vrbes atque oppida nostratia & pagi haud otiosis fermè vocabulis insigniuntur: ex illis plæraque à Dam/ qua voce emissarium significatur, Dam. siue cataractæ claustrum, vt Rutilius appellat, quo mare vel excluditur vel admittitur, appellationem sortita sunt; nonnulla in Drecht/ de quo dicēdum mihi erit in Durdrechto; Drecht. multa in Wijck/ de quo inferius mentio incidet; quædam etiam in Dijck/ quæ ab aggere dicta sunt, exeunt. Inter ea quæ à Dam nominis sortem trahūt, principem ferè locum obtinet Amstelodamum, quod Amstelæ riui non ignobilis, *Amstelodamum.* ac illustri Amsteliorum prosapia clari emissario appositum,

Roterodamū. inde nuncupatum constat. Roterodamum Rotæ siue Roterę, vtrunque enim inuenio, in Mosam se exonerantis fluenti emissarium, originis suæ materiam agnoscit. Sic vicinum illi Sciedamū Sciæ profluentis ostio, cui assidet, nomen acceptum refert. *Edamum*, siue rectius *Yedamum*, Yam riuum prætexit, eiusque emissarium habet. à quo oppido disiunctum ad tria passuum millia Monickedamū nomen obtinuit à lacu vicino, quem aquagio emittebat. Sparendamum pagus Harlemo propinquus, nónne manifestum nominis sui indicium profert, emissione Sparni riui, si non potiùs Spirneri (de quo paullò inferius dicam) in sinum Tyum illic excurrentis per plura emissaria? è quibus vnum, quum necessariò reparandum, (quippe exesis ac vetustate carioſis ruinosisque trabibus) nouoque operi iacienda essent fundaméta, visum est altioribus ingenijs, si nouæ fabricæ latius solito os adijceretur profundiusque, magno id futurum Reipub. commodo; nam præter exonerationem copiosiorem aquarum, quas amplioribus faucibus effunderet, nouo quoque portui viam pandi, quo nauigia maiora in vrbis sinum penetrarent. Quod vt obtineretur, tentandum priùs assensum Curatorum aggerum, (quos Cæsareo vocabulo Heymrados nũcupari diximus) quo sine inanem sumi operam: deinde trahendos in partẽ impendiorũ, si fieri posset, atque emolliendos, qui Rhenolandiæ (ita vocatur vniuersitas agrorum intra Rheni alueum iacentium, cuius impensis agger, qui Amstelrodamum vsq. à pago Velsio tria milliaria longus pertendit, curatur sustineturque) capita & consules nominantur, qui in vtilissimum opus certam pecuniæ summam liberali caussa elargirentur. quod etsi factu perdifficile videretur, citiusque è pumice aquam elici posse, delectus tamen ad id persuadendum fuit Nicolaus Verlanius, qui Periclæa sermonis vi atq. copia, alieniſſimos à numerando ita permouit, vt postulationi eius concederent, & in trientem prope impensarum assentirent. Itaq. opus admiranda firmitate & pulchritudine, incredibili impendio, atque

Sciedamum.

Edamum.

Monickedamum.

Sparendam.

Kijnlandt.

atque operarum multitudine egestis per machinas & tympana aquis, soloque prius diligenter fistucato, hoc ipso tempore quo à nobis ista cuduntur atque elucubrantur, ciuitas Harlemensis perficiendum curauit, per quod ingentes corbitas & celoces onerarias frumentariasque ad intimum & penetralem vrbis sinum passis velis peruehi videmus. quam rem ne per somnium quidem progenitores nostri vnquam speraſſent, vt ab ipso vsque Oceano terras ambiente in vrbis suæ gremium merces, rei frumentariæ acerui, aliæq. strues subuectarentur. Sic studio & industria vnius hominis opus immortale conceptum, insignem impendiorum deductionem sensit, afflicto minùs ærario, & singulari Consulum diligentia ad colophonem perductum, manum extremam feliciter accepit. Non defuere tamen oblatratores, à quibus inchoatum opus conuitiorum aspergines ac mordaces sales cum dentato risu, ceu inutile & operæ irritum, pertulit. Hæc suo quodam iure dici à me expostulauit emissarium iustæ omnium admirationi expositum, dignum certè in quod architecti neruos ingeniorum contendant. Redeo à diuerticulo ad institutum. Est & Sanerdanũ, vbi Sana eundem in Tyum sinum exit, lacusque aliquot exonerat. Scaredamum non abest à numero Scaræ exitum patefaciens. Huc adde Maesdamum, quòd vetus Mosæ alueus, nunc obstructus, emissarium illic habuerit. Gysedamum à Gysæ alueo dictum, in eundem ordinẽ venit & Crabbedamum apud quem locum elix quidam à Rheno productus in Oceanum putatur defluxisse. Nunc vt fastidiũ abstergeatur deducaturque, ad capita Regionis stylum conuertam, inter quæ principatum sibi vendicat Durdrechtum.

Anno 156.

Sanerdam.

Scaredam.

Maesdam.

Gysedam.

Crabbedam.

DVRDRECHTVM.

DVRDRECHTVM iusta veraque priscæ appellationis lege scribendum duco, quod Grammatistarum vulgus ex vsu Dordracum hactenus scripsit, dicendumque auditoribus inculcauit. Sed isti nimis otiosè dissimulanterque præ-

Durdrechtum esse dicendũ.

Drecht quid? teriuere silentio vernaculæ vocis natalem, quæ DRECHT vetustioribus Bedæ natione Anglo, & Sigeberto Geminiacensi, aut quæ nunc inoleuit scriptura, Gemblacensi monacho, pro oppido agnita fuit. Equidem apud maiores nostros *Drechti* vocabulum idem sonuisse existimo, quod apud *Forum.* priscos pureque loquentes Latinos *Forum*, non tam quòd ius ibi diceretur (quod tamen in mercatibus inprimis exerceri conuenit; vt suum cuique tribuatur) vti vox ipsa spirat, quàm quòd eò merces comportentur, ceu in forum rerum *Forum quid?* venalium. Quemadmodum ergo *Forum* videtur fuisse oppidum aut municipium mercatu celebre, quod ostendunt variorum ducũ nomina, Forum Varronis non procul Mediolano, Forum Cornelij in Æmylia, quam Imolam hodie nominant, Forum Claudij, Tarentasia nunc dictũ, Forum Liuij notum hodie, Forum Iulij, & Sempronij Forum, in *Dureti.* Vmbris ciuitas: ita etiam Durdrechtum Dureti cuiuspiam gentilitia nota insignis olim viri forum fuisse conijcio, cuius in Annalibus nostris sed obscura & exilis fit mentio. Ex eo- *Haestrechtũ.* dẽ fonte manauit Haestrechti ortus, quod ad tria passuum millia Gouda dissitum, nunc pagus, olim oppidum tribus (si vera narrantur) præsidiarijs arcibus insigne binisque xeno- *Comites Bulosii.* dochijs traditur fuisse, in ipso fermè Comitatus Bulosij meditullio positum, inter Goudam & Scoenhouiam, quarum vrbium proprietarios fuisse Comites Bulosios certius est, quàm vt ex hominum memoria longa dies id deleat, quorum monumenta marmorea Goudæ in sacello ferreis *Pagi in drecht sinentes.* cancellis septo visuntur. Eadem haud dubiè conditio fuit Moeredrechto, Papendrechto, Barendrechto, Swindrechto, & Slydrechto, nunc pagis in vicinia Durdrechti aut certè non procul disiunctis. Est itaque nomen Dordraci reformandum, & quasi cum sene Pelia in cortina recoquẽdum, vt in vicem eius, Durdrechtum reponatur; quam scripturæ legem tuetur augustius istius ciuitatis sigillum, cuius epi- *Sigillum ciuitatis Durdrechti.* graphen hanc esse, SIGILLVM OPPIDANORVM IN DVRDRECHT, testatus est suis ad me literis Petrus Cornetus,

netus,olim ciuitati isti à pensionibus. Illud verò obiter & veluti in transcursu adijciendum putaui, in antiquis membranis me reperisse nomen inclytæ vrbis Thuredrecht perscriptum in diplomate Henrici iiii. Imp. quod accidisse reor ex affinitate aspiratæ th,cum media,d. Facies vrbis oblonga exit ad modum triremis: ipsa opulenta & copiosa, imò eorum omnium quæ in annonæ reique alimentariæ vsum venire atque expediri possunt, locuples quoddam penu est, fluminibus,vadoso mari, stagnisque incredibilem piscium volucrumque fœturam & copiam subministrantibus. Vix alia vrbs toto Hollandiæ tractu magnificentiora habet, & Agrippinensium fermè æmula ædificia,quæ cœlum propemodum culminibus feriunt: hypogæa & cellæ vinariæ, nunquam solem nocturnam've Lunæ facem admissura,arcuato opere fornicata sunt. Templum habet magnificum, aris signisque pulchrè exornatum,& artificio arcuati operis quo concameratum est,meritò suspiciendum, & collegio Canonicorũ celebre; de cuius fabrica quod narratur,quamuis putidiusculum atque à somnio parum abhorrere videatur,quia tamen ante me chartis illitum video, silentio non præteribo, fidei periculum penes auctorem relicturus. Ferunt enim virginem quandam Soterem nomine,ni fallor, tribus nummulis,eiusdẽ cum Tityi iecinore naturæ, semper rediuiuis atque immortalibus, quos crumena nũquam detrimẽtum passura continebat,operas omnes impensasq. ædificatæ ædis sustinuisse:qua ex re nata inuidia auidas opificum manus in virginis necem armasse,ipsaque mox rediuiua cum percussoribus suis expiandæ nefariæ cædis caussa Romam petijsse memoratur, ibique peractis votis religionem exoluisse,animam exhalasse, corpusque tumulandum dedisse dicitur. Mirum ni Medeæ cuiuspiam aut Sagæ veneficio,aut vera. Luciani narratione aures saturare, tædiumque leuare voluisse videatur quisquis est nugator ille, qui tam infeliciter legentium patientia & oculis abusus fuerit. Vrbs ista ius præfert priuilegiarũ,Stapulæ nomine dictum, quod

Vrbis situs & forma.

Durdrechtum ædiũ magnificentiâ nulli secundum.

Virgo Soter. Soteris nummuli renascẽtes.

Stapulæ ius.

quod controuersum diuq. litigiosum, firmissimis arietibus totisq. Hollandiæ viribus oppugnatum, neruũ & adamantinum illius Reipub. clauum, vrget, cæteris ringi & Heracliticum illud relinquens, dum ipsa diplomate & longinqui temporis præscripto beneficium pulchrè sibi fœneratũ ad se trahit: sed animorũ dissidiũ dissipauit, & quasi prætexta sagum mutauit Carolus Imp. arbiter & disceptator caussæ interpositus. Stapula autem vox barbara, & Latinis auribus auia, purè puteq. Gallicæ originis creditur, qua significetur priuilegium beneficiariæ vrbi collatũ, sistendi & ab instituto cursu retrahẽdi merces exoticas, quas negotiator importat, vt nimirum eo loco stabulentur (si ad vocis originem alludere licet) ac conquiescant, quo venum prostituantur quauis tandem conditione, nisi damnosam venditionem caussatus, vel meliorem aliunde lucri auram olfaciens institor vectórve malit recurrere vnde venerat, & vbi domicilium habet: quod illi integrum est & liberè facere licet, etiam non persoluto stato portorio. Quòd si emptæ illic merces aliò deuehendæ veniant, haud temerè in alia quàm popularia nauigia merces recondi patitur ciuitatis ius. Simile exemplum Stapulæ obtinet Atrebatum ciuitas, in vina Francica quæ plaustris importantur. Middelburgo quoque idem ius in vina Hispanienſia, Lusitanica, & Gallicana concessum est. At Durdrechtum non in vnum genus, vina nimirum Germanica, quæ secundo Rheno Mosaq. deportantur, sed in cerealia etiam quæcunq. semina & lignorum carbonumque strues, & si quæ sunt aliæ illius generis merces vectorijs nauigijs è Gelris Cliuijsque conuehi solitæ, ius suum extendit. Adde quòd huic soli ob principatum quem inter Hollandicas ciuitates tenet, honorarij loco & prærogatiuæ datum est, cudere monetam Principis auream argenteamque, quod nusquam alibi quam hîc licet: deinde vt isthîc Hollandiæ Comitum inauguratio fiat, nec alibi solenni sacramento adigantur in mutuam fidem cùm Principes tum Ordines, ex quo cùm antiquitas, tum eius in Principes meri-

Stapula quid?

Stapula Atrebat. & Middelbur.

Moneta Comitis nusquã alibi cuditur, quàm Durdrechti.

Inauguratio Comitum Durdr. fit.

cipes merita æstimari possunt, quorum beneficio in primariam dignitatis atque honoris sedem prouecta ascenderit. Hanc vrbem latè imperitantem atrox & miseranda tempestas disiectis aggeribus auulsit à continente, quando ad centum propè millia animæ miserrimo mortis genere extinctæ dicũtur, submersis duobus & septuaginta pagis, præter villas & arces: ex quo in hunc vsque diem mari insula circumluitur, ad modum Venetæ vrbis, nisi quòd spacium contractiùs hanc à continente dirimat, ad maioris balistæ iactum vna tantum ex parte, à duabus interuallum excedit decem passuum millia, quod nauigari se non patitur vltro citroq́. nisi ex arbitrio æstus marini affluentis aut remeantis. Incidit autem in annum ab orbe redempto millesimum quadringentesimum vicesimum & primum ea horrenda calamitas, cuius etsi secura, acerba tamen recordatio, hos à me numeros anni indices expressit:

Durdrechtum à continente auulsum.

Durdr. quando sit factum insula.

*D*V*rdre*C*hto* I*n*CV*b*VI*t* VI*s* *atro*X I*n*CI*ta* V*ent*I*s*,
V*rbs q*V*a d*I*ß*ILVI*t* *prot*I*n*V*s* *ha*V*sta* M*ar*I.

Eam calamitatem à rustico procuratam fama loquitur, qui vicini rebus inuidens, quîcum inimicitias gerebat, fundum illius aggeri maritimo subiectum eluuione maris abolere, aut saltem corrumpere cogitarat, ignarus secuturam post admissum semel mare aggeris perruptionem, multoq́. minùs terrarum submersionem. Itaque pessimo consilio pessimum facinus adiunxit: dicitur enim effodisse scrobem, per quam ceu colliquias mare exæstuans, in fundũ prædictum corriuaretur immittereturq́ue; cuius impetus quum nulla ope humana sisti iam posset, latissimam terrarum hominumq́ue stragem edidit. Cæterùm priusquam à primaria ista vrbe discedam, non possum quin corollarij vice adiungam, quod Cosmographiæ commentarijs prodidit Dominicus Marius Venetus, in Adriatico sinu nimium otiosè desultorieq́ue nostra hæc contemplatus, eam ab Antonino Pio Imp. putari conditam, & Benefactæ nomine insignitam, nunc Dodranam dici. Quòd si testimonio veteris &

Submersio territorij procurata per malum vicinum.

Dominici Marij somnium.

Benefacta.

classici scriptoris auctoritatem iste suam communisset, haberetur illi à me magna & iusta Reipub. totius nomine gratia, neque immeritò: sed quum proiectior apud me sit & dilutior hominis auctoritas atque fides ob rerum exterarum summam ignorationem, quam in eo perspexisse & docere quoque posse mihi videor, satis feciſſe me puto, exempliq. satis dediſſe, si sagacibus aliorum naribus hanc appendicis offulam obiecerim, ne quid studio præteritum, aut ignorantia omissum causſentur.

HARLEMVM.

PROXIMA ordinis, vt confessus, dignatio Harlemæx ciuitati debita, postulat eam hoc loco dici, quæ inter cæteras omnes amplitudine facilè superior, ædificiorum cultu non postrema, situs amœnitate & cæli salubritate vel inter primas censetur. Est enim aër liber à lacuum marisque offensa ac grauitate secretus, inter fructuosa prædia, villas suburbanas, saltus vmbrosos, castella non infrequétia, pagos elegantes, agris editioribus perflatilis. Templum habet architectorum iudicio celeberrimum pulcherrimumque opus, firmissimis innixum columnis, fornice laqueata ex intestina materia, quod spatioso & quadrato imminet foro. Vrbem interlabitur amnis nauigabilis hac tempestate, post auctum magnà virium accessione lacum, Sparnus dictus à nobis apud Sparnodamum sinus Tyi brachio accipi, quem Spirnerum consona etymo veriori voce, dicendum autumo rectiùs, vt palustribus cannis, & arundinetis, è quibus Spiras, hoc est, calamorum radices, esui gratas iuuentus colligit, densum; atq. ita in Traiectinis diplomatibus scriptum inuenio, vbi de Ecclesia Spirnerwalt, quam Sparnowoudam nunc vocamus, à sylua amni vicina. Hoc flumen è Rheno re vera corriuatum, tamen è lacu immensum aucto ortum habere videtur: idē euntium redeuntiumq. nauium continuo procursu ac commeatu amœnum, incolarum vtranque ripam obsidentium oculos iucundo prospectu pascit.

Sparnus amnis.

Ante

Ante vrbem nemus est, à luco (nisi abesset religio) propter opacitatem non multum recedens, in promiscuum vsum prodeambulationi, voluptati, delicijs, exercitijsq́. dicatum, secessus suos habens à concursu profani vulgi, ac strepitu separatos, dignissima Musis contubernia, vnde exulant cauponæ & Sileni stabula, nequitiæ officinæ & flagitiorum diuersoria. Linearum telarum, quarum inenarrabilis candor & tenuitas byssi gloriam & pretium facilè euincat, mercatu opificioq́ue sat celebris vrbs est, neque minùs *villosi generis pannis*, quos eadem apparat Italiæ Hispaniæq́ue mirificè expetitos, ob gratam leuitatem, & pertinacem eximij nigroris gratiam. Abest ab Oceano Britannico ad v. P. M. qui marinorum piscium genus omne abundè subministrat: ad Euronotum lacus est amplissimus; versus Aquilonẽ Tyus sinus, vterque bene piscosus, ita vt opportunus mirum in modũ loci situs existat vndecunque, soli, cæli, & aquarum bonis circumfluens. Cuniculorum nusquam fermè tota regione maior frequentia est. Cuius abundantiæ occasione, sedem hanc cõstituendæ Academiæ, vbi Musarum alumni & cultores in literato otio vixissent, legere & Cæsareo beneficio confirmare decreuerat Atrebatum Præsul, huius Ecclesiæ tunc Curio: sed vbi nonnullorum qui à literis alieni ad Reipub. clauum adrepserant, animos auersos à liberali cogitatione animaduertisset, destitit, ne apud ingratos atq. inuitos beneficium malè collocaret. Quod ad nominis impositionem attinet, haud in procliui posita mihi ratio videtur, eò quòd omnes veluti conspirabundi, vnoq́ue in ludo edocti pariter, à Wilelmo quodam Frisiorum Regis filio, quem mutilata concisaq́ue voce, satis abiectè Lem appellant, nominis auspicium traxisse vrbem cõtendant, vt Heer Lem/ hoc est, Dominus Lemus suo eam nomine dotarit. sed ista eorum paullo obsoletior absurdiorq́ue videtur oratio, qui ad modum iocosæ illius imaginis, quæ in cõuallibus ac montium iugis ludit (Echo appellant) extremã duntaxat vocis, Willem/ syllabam repræsentant: in quo iniurios atque

Thaerlemerhout/ oft bosch.

Vrijzeertlaken.

inexpiabili religione obstringendos, & maiestatis quasi reos peragendos censuerim, non minus exquisitè, quàm qui in publicam fraudem, Principis monetam attondeant atque accîdant. Quid enim illud est aliud, quàm Principis viri nomini illudere? Quis ignorat Nobilitatē hoc habere natiuum & peculiare, vt nihil stomachosiùs accipiat indigniusque, quàm si de illis loquare contractiùs? multo magis si trunces mutilésve cum abiectione nomen, quum è diuerso onerosum potiùs, quàm breue curtúmve, semper amauerit, ad exemplum Luciani Neopluti, qui Simi nomen despuere, Simonidis amplexari cœperat. Quis non odoretur à bardo & salis omnis experte homine istud confictum? Quis vnquam tam malè feriatus nomenclator inueniatur, qui personæ nomē, ipsi structuræ ac fabr[illegible] velit impositum? Quis Philippopolin Inuictiss. Regis nostri nomen referentem (quam Galli Philippe-ville, nostra gens Philips-statt appellat) Regem Philippum temerario ausu, præter Solœcismi, quam incursurus esset, notam, nominauerit? aut quis Mariæburgum, Dominam Mariam dixerit, quod ab heroina illa cui prouinciæ omnes pro rege agenti fasces submittebant, dominamque appellabant, conditum fuerit? Itaque rectiùs puto simpliciusque Harlemæorum (quos nominatim in Catalogo illustrium familiarum inter antiquissimos inuenio) stirpem è regio Frisiorum stemmate oriundam, tam oppido, quàm arci à se exstructis primum nomen indidisse, circiter annum à salutifero partu quingentesimum & sextū. Arx Harlemæa secundū canalem aluei qui Egmondam deferebatur sita, quasi ad perpendiculum rectâ Harlemum respicit, non procul Heemskircha, ea fuit lapidea è lateribus coctis, qui pedem Romanum adiecto quadrante singuli longitudine superant, quincuncem crassi, dodrantali fermè latitudine: quod murorum ruinæ firmissimæ etiamnum docebunt. Cuius diruendæ soloque æquandæ occasionem dedisse libido ac vis tyrannica arcis domini creditur, quamuis alij indomito nec vllis modestiæ aut legum

Harlemæa stirps.

Arx Harlemæa.

repagulis

repagulis coërcito populi in excidium Nobilitatis concitati furori vero ſimilius id attribuant: quando non vna arx id mali experta, ſed omnes propemodum velut immani procella ac turbine raptæ peſſum iuerint. Porrò arcis huius mentio ſuggerit mihi inſigne & dignum cuius memoria literis conſignetur facinus, inter rariſſima coniugalis amoris exempla numerandum: in quod diuerticulum ab inſtituto ſi pauliſper digrediar, cogitent lectores leuandi tædij gratiâ id eſſe factum. Etenim cùm loci dominus ob vim & effrænatam violentiam iuſtum omnium in ſe odium contraxiſſet, arctiſſima obſidione in arce ſua premi cœpit, quæ cùm in longius traheretur, præcluſa omni effugij ſpe, ac deficiente iam re cibaria in ſumma egeſtate atque inopia quum deditio pararetur, vxor ſingulare pietatis & amoris in maritum decus, ad eam pactionis cum hoſte formulam deſcendit, vt ſemel exportandi ſibi quæ chariſſima haberet facultas daretur. quo ex conuentione pacto confirmato obſeruatoque, coniugem bulgæ incluſum, adiuuante onus pediſſequa, extra arcem exportauit, neglectis charioribus vtenſilibus cimilijsque: pari cum laude efferenda cum Guelphi Baioariæ Ducis pientiſſima vxore, quæ poſt ſimilem obſidionem ad deditionem cõpulſa, cum Conrado Sueuo Imp. ad eas pacti leges acceſſit, vt ipſa nobiliumque vxores efferrent res quaſque pretioſiſſimas. Credente hoſte ſecuturam opum exportationem, viſum fuit fœmineum agmen, Principis fœminæ exemplum imitans, maritos ſuos de humeris pendentes, dulcia onera, ſubuectare, ac in ſinu paruos liberos gerere. Redeo ad vrbem noſtram, cui primam inuentæ iſthic artis typographicæ gloriam deberi, & ſummo iure aſſerendam aio, vtpote propriam & natiuam: ſed luminibus noſtris ſola officit inueterata illa & quæ encauſti modo inſcripta eſt animis opinio, tam altis innixa radicibus, quas nulli ligones, nulli cunei, nulla rutra reuellere aut eruere valeant, quâ pertinaciter credunt, & perſuaſiſſimum habent apud Magontiacum claram & vetuſtam Germaniæ vrbem

Coniugalis amoris exemplum memorabile.

Typographicæ artis inuentũ Harlemo aſſeritur.

primò repertas literarum formulas quibus excuderentur libri. Vtinam hîc incredibilem illam dicẽdi vim, quæ in Carneade fuisse perhibetur, voto exoptare possem, qui nihil defendisse vnquam, quod nõ probarit, nihil oppugnasse, quod non euerterit, dicitur; vt saltem refugam illam laudem postliminio reuocare, & hoc quasi trophæum erigere possem, veri interpolator: quod ego non alio optarim, quàm vt veritas rectè à Poëta vetere Temporis filia nuncupata, aut (vt ego soleo) χρόνου ἔλεγχος, tandem detegatur, quæque iuxta Democritũ, altissimo in puteo demersa hactenus delituit, in apertum proferatur. Si glorioſum certamẽ ſuſcipere non piguit Ægyptios & Phœnicas de literarum inuentione, his Deo duce earum inuentum ad ſe trahentibus, quando tabulas θεοχαράκτας, hoc eſt, à Deo exaratas iactant: illis à ſe repertas Græciæ intuliſſe gloriantibus, quando Cadmus Phœnicum claſſe vectus, rudibus Græcorum populis artis illius auctor, eas commonſtrauit. Rurſus ſi Athenienſes Cecropi ſuo, Thebani Lino, eandem laudem vindicant. Palamedi Argiuo excogitatorum characterum gloriam Tacitus & Philoſtratus deferunt: vt Hyginius Latinorum Carmentæ Euandri matri. Si itaque controuerſam dubiamque gloriam cunctæ gentes ad ſe ceu propriam rapere non erubuerunt, quid vetat quo minus indubitandæ laudis poſſeſſionem, de qua per ſocordiã auitam exturbati ſumus, quaſi poſtliminij iure repetamus? Equidem non inuidia, aut maleuolentiæ ſtudio tranſuerſus agor, vt huic aſſeram, quod alteri derogem ac detraham. Craſſi impudentiã non imitabor, hinc Scæuolæ ſanctimoniam & grauitatem affectãdo, illinc prehenſationibus fauorem hominum eblandiendo: haud is ſum, corruptis arbitrijs planum agere non decreui, veritatem illam vnam perſpicuam, quam vti cæleſte Solis iubar, nulla nox, nulla caligo quantumuis alta obtenebrare poteſt, exhibiturus, quantum in me eſt, idque ſimplici ac minimè fucato orationis filo, quod illa amat. Quòd ſi optimus ille teſtis eſt, auctore Plutarcho, qui nullo obſtrictus beneficio,

Literarũ inuentores primi qui?

beneficio, neque alterius addictus studio, liberè quod sentit loquitur & intrepidè, meum testimonium meritò locum habeat, qui nec mortuũ aut hæredes posterósve cognatione attingam, neq. gratiam aut beneficium inde expectem, qui quicquid huius feci, id totum sepultis Manibus pietatis ergô impendi. Dicam igitur quod accepi à senibus & auctoritate grauibus, & Reipub. administratione claris, quique à maioribus suis ita accepisse grauissimo testimonio confirmarunt, quorum auctoritas iure pondus habere debeat ad faciendam fidem. Habitauit ante annos centum duodetriginta Harlemi in ædibus satis splendidis (vt documento esse potest fabrica quæ in hunc vsque diem perstat integra) foro imminentibus è regione Palatij Regalis, LAVRENTIVS Ioannes cognomento Ædituus Custósve, (quod tunc opimum & honorificum munus familia eo nomine clara hæreditario iure possidebat) is ipse qui nunc laudem inuentæ artis Typographicæ recidiuã iustis vindicijs ac sacramentis repetit, ab alijs nefariè possessam & occupatam, summo iure omnium triumphorum laurea maiore donandus. Is fortè in suburbano nemore spatiatus (vt solent sumpto cibo aut festis diebus ciues qui otio abundãt) cœpit saginos cortices principio in literarum typos conformare, quibus inuersa ratione sigillatim chartæ impressis versiculum vnum atque alterum animi gratia ducebat, nepotibus generi sui liberis exemplum futurum. Quod vbi feliciter successerat, cœpit animo altiora (vt erat ingenio magno & subacto) agitare, primumque omnium atramenti scriptorij genus glutinosius tenaciusque, quod vulgare lituras trahere experiretur, cum genero suo Thoma Petro, qui quaternos liberos reliquit omnes fermè consulari dignitate functos (quod eò dico vt artem in familia honesta & ingenua, haud seruili, natam intelligant omnes) excogitauit, inde etiam pinaces totas figuratas additis characteribus expressit. quo in genere vidi ab ipso excusa Aduersaria, operarum rudimentum, paginis solùm aduersis, haud opistographis: is liber erat vernaculo ser-

culo sermone ab auctore conscriptus anonymo, titulũ præferens, Speculum nostræ salutis. in quibus id obseruatum fuerat inter prima artis incunabula (vt nunquam vlla simul & reperta & absoluta est) vti paginæ auersæ glutine commissæ cohærescerent, ne illæ ipsæ vacuæ deformitatem adferrent. Postea faginas formas plumbeis mutauit, has deinceps stanneas fecit, quò solidior minusque flexilis esset materia, durabiliorque: è quorum typorum reliquijs quæ superfuerant conflata œnophora vetustiora adhuc hodie visuntur in Laurentianis illis, quas dixi, ædibus in forum prospectantibus, habitatis postea à suo pronepote Gerardo Thoma, quem honoris caussa nomino, ciue claro, ante paucos hos annos vita defuncto sene. Fauentibus, vt fit, inuento nouo studijs hominum, quum noua merx, nunquam antea visa, emptores vndique exciret cum huberrimo quæstu, creuit simul artis amor, creuit ministerium, additi familiæ operarum ministri, prima mali labes, quos inter Ioannes quidam, siue is (vt fert suspicio) Faustus fuerit ominoso cognomine, hero suo infidus & infaustus, siue alius eo nomine, non magnopere laboro, quòd silentum vmbras inquietare nolim, contagione cõscientiæ quondam dum viuerent tactas. Is ad operas excusorias sacramento dictus, postquam artem iungendorum characterum, fusilium typorum peritiam, quæque alia eam ad rem spectant, percalluisse sibi visus est, captato opportuno tempore, quo non potuit magis idoneum inueniri, ipsa nocte quæ CHRISTI natalitijs solennis est, qua cuncti promiscuè lustralibus sacris operari solent, choragium omne typorum inuolat, instrumentorum herilium ei artificio comparatorum supellectilem conuasat, deinde cum fure domo se proripit, Amstelodamum principiò adit, inde Coloniam Agrippinam, donec Magontiacum peruentum est, ceu ad asyli aram, vbi quasi extra telorum iactum (quod dicitur) positus tutò degeret, suorumque furtorum aperta officina fructum huberem meteret. Nimirum ex ea, intra vertentis anni spacium, ad annum à

nato

nato Christo 1442. ijs ipsis typis, quibus Harlemi Laurentius fuerat vsus, prodisse in lucem certũ est Alexandri Galli doctrinale, quæ Grammatica celeberrimo tunc in vsu erat, cum Petri Hispani tractatibus, prima fœtura. Ista sunt fermè quæ à senibus annosis fide dignis, & qui tradita de manu in manum quasi ardentem tædam in decursu acceperant, olim intellexi, & alios eadem referentes atteſtantesq. comperi. Memini narrasse mihi Nicolaum Galium, pueritiæ meæ formatorem, hominem ferrea memoria & longa canitie venerabilem, quòd puer non semel audierit Cornelium quendam bibliopegum ac senio grauem, nec octogenario minorem (qui in eadem officina subministrum egerat) tanta animi contentione ac feruore commemorantem rei gestæ seriem, inuenti (vt ab hero acceperat) rationem, rudis artis polituram & incrementum, aliaque id genus, vt inuito quoque præ rei indignitate lachrymæ erumperent, quoties de plagio inciderat mentio: tum verò ob ereptam furto gloriam sic ira exardescere solere senem, vt etiam lictoris exemplum eum fuisse edicturum in plagiarium appareret, si vita illi superfuisset: tum deuouere consueuisse diris vltricibus sacrilegum caput, noctesque illas damnare atque execrari, quas vnâ cum scelere illo, communi in cubili per aliquot menses exegisset. Quæ non dissonant à verbis Quirini Talesij Cos. eadem ferè ex ore librarij eiusdem se olim accepisse mihi confessi. Ista dictare me compulit cupiditas & studium defendendæ veritatis, quamuis illa odium sui plærunque parere soleat: in qua tuenda potiùs quàm vt deserere vadimonium velim, ad suscipiendum odium paratior sim ac promptior. Nam istud facilè ponent, qui rem ipsam sincerè ac candidè indagabũt & expendẽt, tanquam in Critolai bilance appensam: at Veritatis, quæ Dei imago quædam est, qui non libenter patrocinium suscipiat, vix hominis appellationem mereri existimo, cuius cura atque amore nihil cuiquam vel sanctius vel antiquius esse debet. Tuendo veritatem & constabit suus vrbi nostræ honos, in

ciue erepram inuentionis pulcherrimæ gloriam recuperaturæ,& cadet eorum arrogantia, quos falsam alienæ gloriæ hæreditatem cernere non puduit,& quasi deiectis de ponte sexagenarijs alieni iuris possessionem superbè vsurparunt. At vereor vt surdis ista auribus canantur: vtcunque tamen erit,iuuabit me & memoriæ inuentoris & gloriæ vrbis pro virili consuluisse,dum apud leues & veri incuriosos animos plus valet præiudicium opinionis (quod antea quoque testatus sum) quàm cum ratione auctoritas. Quæ iniuria mussitanda est & deuorâda parum lubentibus. Quanquam dolendum minùs foret eam laudem in clarissimam Germaniæ vrbem,velut aliam in familiam, transisse, si non plagio,sed recta ratione factum id fuisset. Verùm arbitror fatis volentibus hanc viam commodissimam visam,vti citissimè ad nitorem suum ac perfectionis culmen perueniret inuentum illud, orbi sale (quod dicitur) & sole magis necessarium,nimirum in maiore luce hominũ, per studia,magnatũ præmia,& honores (quibus artes aluntur) facilius emersurum,vti accidisse res docuit,quàm in extremo orbis terrarum secessu quodam & recondito angulo, inter hominum priuatorum sordes. Hanc vrbem sequitur capti nouo consilio Pelusij (Damiatam nominant inclytam Ægypti vrbem) gloria,cuius quum traheretur in longum obsidio, portum vrbis transuersa catena ferrea inter duas validas turres munitum,vna atque altera holcade,quarum carinas & proras serra in crenatos dentes limata obmunierãt,Harlemæi qui in ea expeditione militabant, obseruato vento secundo atq. opportuno inuadunt,diffracta catena interiorem in sinum penetrant,sicque patefacto portu classi Christianæ rei benè gerendæ occasionem aperuerunt, capta deditaq. vrbe munitissima copiosissimaque. Cuius rei memoriæ sempiternæ institutum reor, moremque per manus in hunc vsque diem traditum obseruat Harlemæa pubes, vt Calend. Ianuarijs (quæ an huiusce stratagematis testes fuerint clam me est) nauiculas serratis proris instructas, imagi-

nesque

nesque victoriæ argumenta, bacillis suffixas, in publicis supplicationibus circumferat. Certiorisque fidei testimonia supersunt ex ære Corinthio tintinnabula seu æramenta bina, quæ in editissimæ turris fastigio suspensa, arguto tinnitu latè perstrepunt, à re Damiatica nũcupata. Hanc vrbem diuturna grauique obsidione, fatali quidem nobis & calamitosa, sed Hispanis obsessoribus perniciali atque exitiosa, ante biennium pressam, famem obstinata & inuicta patientia fortissimè tolerauisse; qua obsidione gentis Hispanæ prior fama bello inclyta extabuit inuiluitque, ferocitas contusa, fastus repressus, fidei periculũ aditum est, opinio & existimatio virtutis, quæ externis nationibus inuictam, nedum formidabilem illam fecerat, obsoleuit. Docuit enim Harlemum contra ciuium militumque concordiam, & conspirationem animorum mutuam in tuenda patriæ libertate, nullas quantumuis magnas hostium vires quidquam posse, quippe quæ defensioni inualida, tormentorum bellicorum, nitrati pulueris, reique alimentariæ copijs omnino defecta, nunquam tamen in hostium manus deditione peruentura fuerit, nisi per frumentatores, ignauitérne an perfidiosè sui muneris oblitos, neglecta fuisset vrbis cura. Id tamen priuum ac singulare habuit, quòd palmam non precariam quidem illam aut dubiam, sed genuinam ac certam iure sibi vendicare potest, libenter assurrecturus ei honoris ergô cæteris ciuitatibus, neque vt olim Aiaci, debitum derogaturis. Nisi enim hæc se hostili Martis furori per initia opposuisset diuino quodam instinctu (neque verò temeritatem ausim vocare; quod publico omnium consensu transactum constat) bellique minas & apparatum omnem in se auertisset, certè Respubl. Batauica à cardine emota concidisset, dum reliquæ vrbes spectaculi diritate & exempli sanguinarij (quod ab infesto & superbo hoste tum expectabatur) siue edoctæ siue deterritæ, deditionẽ vltrò properaturæ fuerint, vt quas temporis spatium à communiendo & annona commeatusq; copijs se instruendo, clausis vndiq; per gelu

præproperum aquis, excluſiſſet. Itaq. dum in longum trahitur obſidio, dum omni vltimæ crudelitatis exemplo præter fidem datam præſidiarius miles ſupra duo millia numeroſus ab Hiſpanis deletur, id effectum eſt vt vrbes communitæ fuerint, & ne qua vnquam ſe poſtea dederet, peſſimi exempli trucidatione deterreretur.

DELPHI.

SEQVVNTVR Delphi, non illi Apollineo oraculo, ſed Cerealis potus prima poſt Britannicum zythum laude, inclyti, & quidem tanto magis inclyti, quanto illi propter rei friuolæ, mendacis & vanæ exiſtimationem celebritate hominum magna floruerunt; at hi ex vſu & commodo ad corporis alimoniam vitæque miniſteria neceſſariò eam ſua induſtria gloriam quæſiuerunt, vt vix aliud poculum, quàm quod Delphorum cortinis concoctum fuerit, paſſim expetatur, adeò vt vix alio exotico zytho bona Flandriæ pars vtatur, & cum Zelandia potior Hollandiæ tractus: quæ res ingens operæpretium ciuitati & negotiationi momentum adfert, tot paſſim tabernariorum & cauponum millibus, ordini honeſtiſſimo coctorum ceruiſiariorũ (qui Reipub. illius neruus eſt & columẽ, & trientem fermè ciuitatis conſtituit) obnoxijs & tantùm non addictis nexisque. Vrbi nomen dedit perpetuus foſſæ alueus, immenſa opera ac labore, ne dicam nunc impenſa, ceu ad perpendiculũ & lineam rectâ ductus, qui viam nauibus aperit ad portum à matre, vocabulo Delfſhauen nuncupatum, vbi emiſſario in vaſtum Moſæ ſinum ſe exonerat. Opus eſſe Gotefridi Lotharingi, cui dorſi Nemeſis nobile Gibberoſi cognomen impreſſit, extra controuerſiam eſt, qui non abſque manifeſta tyrannidis repræſentatione Hollandia totũ fermè quadriennium poſſeſſa, nauali demum prælio, à Theuderico legitimo Principe ſuperatus, imperiũ iniuſto titulo occupatum amiſit. Is verò vt erat ſtrennuus bellator & cõſilij maturus, perſpecta loci natura, quam ſtabiliendis rebus ſuis peraccommodam

commodam cernebat, iaciendis eo loco vrbis fundamentis animum adiecit, & metatis finibus condidit ante hos annos fermè quingentos. Eadem post sustentatam fortiter obsidionem, Alberti Bauari immiti imperio mœnia cum turribus demoliri iussa fuit, quæ postmodum recidiua surrexisse comperimus. Hæc eadem ceu quodam fortunæ excelsis inimicæ ludibrio iactata, anno CIↃ IↃ XXXVI. ante diem V. NON. MAII, luctuoso, sed fortuito incendio (quod igniti cineres, violento procellæ turbine rapti excitarant) miserè deformata fuit, periclitata etiam in fauillas tota cadere atque consumi. Verùm ea suis è cineribus veluti Phœnix, cui bustum suum, vita est, speciosior longè nitidiorque extitit, vt mirari desinam aurum purissimum atque obryzum ignis experimento pulchrius emicare, siquidem vrbis facies quàm antè splendidior multo est, ædium prope regalium magnificentia cum paucis comparanda, quarum intestina materia & penetralia tanto nitore fulgent, sic affabrè expolita sunt, vt nihil adijci ad laudem posse videatur. Porrò quia memini Ciconiam vicem nutricationis parentibus senio grauibus rependere (vnde pietatis cultrix non immeritò dicta est à Petronio Arbitro, vnde etiam Ciconiariæ legis nata parœmia) venit mihi in mentem haud præterire silentio ostentum, quod tunc temporis obseruatum illic ex fide testis oculati, vnius ex Huterijs familia fundatissima clarissimaque retulit mihi & scripto quoque consignauit insignis poëta Cornelius Musius, Agathensium Virginum Antistes, non indignum quod inter rarissima exempla in posteritatem transmittatur. Ciconiam à pabulatione reducem, quum flammas nido imminentes certo exitio pullorum videret, conatam modis omnibus eos grandiusculos, inuolucres tamẽ, eripere medijs ex ignibus, tandem desperata omni ope, & quasi conclamata, passis alis in nidum se præcipitem dedisse, pullisq. toto corpore obtectis incumbere visam fuisse, velut depositа vitæ spe vltro cum charissimis pignoribus mortem oppetituram. Miraculo rei & Anno 1536.

pietatis honori rem versibus his consignare placuit.

Candida & obstreperis inuisa Ciconia ranis,
Pignora ab ardenti viderat igne premi.
Eripiátne suos, & aperta pericula tentet?
Hinc suadet pietas, vitæ amor inde vetat.
Hanc luctam pietas generosa diremit, & vrna
Esse eadem, & sobolis vult Libitina suæ.
Iam minor Assyrium Phœnicem fama loquatur,
Viuere quæ busto quærit, at ista mori.

Delphorum ædes vetustior, quæ & primaria est, ad ostentationis arcem nunc aspirat, opere sculptili, præcipuæ artis ara marmorea, cui non immeritò posse inscribi Zeuxidis illud existimo, Inuisurum aliquem faciliùs, quàm imitaturum, à Delphensi ciue, altero Praxitele, Guilelmo Tetrodio elaborata, qui consumptis multis in Italia annis, nobilissimæ artis ignem, non in ferula cum Prometheo, sed memori mente haustum conceptumque ad suos attulit: quod opus vbi viderit, deierabit opinor Ausonia, artis (cuius non omnibus apertas fores illa habuit hactenus) gloriam ad Batauos emigrasse. Iamque auguratur animus, eandem Delpho laudis perpetuitatem manere, quæ olim Thespias & Gnidum secuta est, vt diuini operis admiratores vndique fama sit excitura, pari fermè omine, quo Gnidum Lyciæ vrbem multos nauigasse refert Plinius in copioso illo Naturalis historiæ volumine, solùm vt viderẽt signũ illud Gnidiæ Veneris toto terrarũ orbe illustre, Praxitelis manu elaboratũ. Thespias quoque (id Bœotiæ oppidum est) ita nobilitatas Cupidine eiusdem artificis dextra facto, testatur Cicero, vt propter illud signum, etiam si non alia magnopere subesset caussa, Thespiæ viserentur. In quo sculptore illud memorabile est, quòd quũ domestica plærunq. sordere, sui exemplo abundè docuerit Protogenes, hunc ceu inuidia maiorem artis præstantia cunctis admirabilem gratiosumque fecerit. Huic vrbi non natalem suum sed threpteria nutritiaque debuit (dicendum enim id est, quando & vitia & venena nosse publicè

publicè interest) hæresiarcharum facilè coryphæus Dauid Georgius, humili atque abiecta stirpe editus vitriario patre, homo vt ingenio excellenti & subacto, ita rursus malè conciliato, cuius in labris (vt olim Periclis) flexanima illa Suadela sessitauisse credita fuit, vsque adeo mentes hominum velut excantatas & absurdis opinionibus imbutas, quo illi cunque placuisset, circumduxisse notum est, ita vt natura nimiũ prodiga cumulatissimè suas dotes in illud monstrum effudisse censeri queat, vna atque eadem & venenorum & salubrium medicaminum genitrix. Lanificij & panni lanei textrinæ prima gloria penes hanc vrbem aliquando stetit, superato Flandrico opere: vnde ex præcipua bonitate & artis præstantia, pannus ibi factus, Delffe puyck / velut κορυφαίστατος eminentissimusque nuncupabatur.

LVGDVNVM.

NVNC offert se Leyda, vulgo sic nuncupata, nulli facilè vrbium Hollandiæ nitore cessura; cui si antiquum, ac proinde illustre, propriumque nomen asseruerim, tam æquo patietur animo, quàm olim, quũ à Romanis impositum fuit, passa est. Lugdunum itaque dictum fuisse firmissimè asseuero, tribus adductus innixusq. certis argumentis, quibus explorari veritas solet: nimirũ indubitata scriptorum fide, linguæ vetustæ vestigijs, & situ loci: quæ hîc probationis instrumenta in apertum proferam, Pindari consilium etiam superaturus, qui aduersus ingruentis tempestatis metum gemina anchora nauim firmari iubet. Primũ omnium occurrit Antoninus Romani Itinerarij, vt libri titulus præ se fert, auctor, si non potiùs ille Marcianus sit dicendus, quem Stephani Byzantij testimonio librũ scripsisse comperimus, cui titulus sit alteri consonus, τὰ ἀπὸ ῥώμης ἐπὶ τὰς διοσήμους πόλεις, hoc est, Itinera ab Roma ad clariora oppida: quem non absurdè suspicari licet Latinè fuisse transcriptum, ne tam superuacaneam molestamque operam, inter grauissimas Imperij occupationes & curas, Antoninum suscepisse credamus.

credamus. Is Lugdunum, & caput Germaniarum disertè nominat, caput pro initio sumendo, & per Germanias, primam & secundam Prouincias, de quibus alibi dictum nobis est, intelligendo: neque contentus nominasse, ex instituti sui ratione à Lugduno capite Germaniarum, iter ad Albiniana castra, inde Traiectum, denique Argentoratum vsque persequitur. Accedit testimonium Ptolemæi diligentissimi Cosmographiæ scriptoris, qui accessione vnius literæ Lugodunum appellat, (id quod in Græcis mirum non esse norunt, qui linguæ illius sunt gnari) sed ad discrimen Gallicani illius, addita voce, Batauorum; Græcè enim ita legitur, λουγόδουνον βαταβῶν. Sed de hac re plura, vbi de situ agemus. Iam verò nomen ipsum, si quis penitiùs examinet, & attentiore aure sonos literarum, vt neruorum, exigat, Lugduni appellationem non multum à vernaculo sermone dissonare iudicabit. Lugdunũ enim quasi Luycdunum appellatum videtur, quòd ex arenarijs tumulis seu collibus (quos θῖνας simili fermè vocabulo Graia lingua nominat) emicaret proculque se ostẽderet classi è Britannia per Rheni ostium, vtrinque talibus colliculis longo tractu clausum, subeunti, siue quòd finis & quodammodo claustrum esset collium illorum, à Luijck quo claustrum significatur; quamuis etymorum festiuus interpres Goropius noster prosperitatis seu bonæ fortunæ tumulum hac voce denotari lepidè coniectat. Hac ratione è Luycdun, primò Leygdun, inde Leydun, mox Leyden / postremò etiam Leyen in hominum ore consenuisse arbitror. Neque absurda ratione, ab humilitate collium, duci posse videtur, quasi Lege dijnen / quod Ptolemæi scripturæ assonat. Non dissimile naufragium literarum passo etiam Lugduno Plancicolonia, Galliæ Celticæ inclyta vrbe, quod corruptum mutilumque in *Lyons*, auribus obstrepit. Non possum vllo pacto accedere Nouiomago, qui à Legione quam Romani præsidio illic posuerint, nominis Leydæ auspicium nimis extorta inuentionis lege trahit, quasi ante appulsum legionis (vt demus nunc illîc relictam)

lictam) nihil eo loco fuerit. nam obsoleta illa, ad vulgarem popularemque accommodata sensum oratio, longissimè vltra Gades exigenda atque exterminanda est, quæ à publico commeatu (vernaculum idioma Gelεyd vocat) appellationis fontes reuocat: quasi paratũ illic fuerit præsidiarium auxilium ad perducendos in tutum receptũ viatores, vltrò citroque commeantes, metu Luci ob vastitatẽ & horrendam solitudinem formidolosi, quam ferarum immanium cubilibus latrocinijsque subsessorum infestam, & impetrabilis veniæ exsortem syluam & somniant fuisse, & nominatim vocitare non verentur. quæ conficta risum etiam ipsi illi Crasso, qui Agelastos dictus est, excutere posse putarim, adeò nullum tam impudens est mendacium, quod assertore careat. Neque vero videtur consonum, ripam fluminis, quâ frumento grauis classis subibat, arboribus ita fuisse densam, vt liberam ventorum auram velis non permitteret. Venio ad tertium, quo dubitatio omnis & scrupulus tollitur, fidesque antedictis adstruitur, Loci situm, qui certissimus est index, (nolo enim mihi, vt olim Xenocrati iniurato, sine documẽtis isthîc credatur) qui amnẽ ducẽ sequenti, iuxta Plautinum consilium, viam commonstrabit è Ptolemæi Cosmographico abaco, cuius dimensionem qui ad calculum reuocarunt quàm cæteri accuratiùs, à Gessoriaco Morinorum, nunc Bononiæ Gallicæ notiore nomine, non alij loco conuenientiùs quadrare iudicant: quanquam ista ratio imposuisse nonnullis deprehendatur, quos inextricabilis erroris Labyrinthus inuoluit, in quibus Bilibaldus irretitus, neque se explicare valens, Lugodunum nunc Septimontium, hoc est, Seuenbergum, nunc Goricomium, alibi D. Gertrudis montem, loca omnia vicina & quæ verum Lugdunum veluti circo ambiunt, diuinatione & coniecturâ (quæ adiumenta nimium lubrica sunt & fallacia) auguratur. Neq. defuit qui in Germaniæ hypocaustis, terrarum orbis & locorum singulorum mẽsuram initurus, si dijs placet, Stoflerinus quidam Traiectum esse Lugodunum opi-

natus est. Cuiusmodi hominum vecordiam mirari subit, qui, non ignari se libris suis, quos abortiendo publici iuris faciunt, prostituere famam & existimationem, vt tanquam edito in theatro aut plausum mereantur, aut labem & ignominiam incurrant, tamen adeò supinè & oscitanter de locis non paruo interuallo disiunctis sententiam quasi ex oraculo proferãt, ipsi quæ sint inguinis & capitis discrimina ignorantes, vt cum Satyrico loquar: quasi cumulatè promissis suis (quæ solent esse magnifica) & hominum expectationi satisfecerint, si locum aliquem nominatim citantes, nonnihil saltem dixisse videantur. Sed quin calami fluxum cohibeo, atque ad illud quod per me corrigi peccatum nequit, conniueo? cur non potiùs inchoatam à me Venerem absoluo? Itaque vt coronidẽ huic argumento imponam, & Antonini pinax excutienda, & horreorum ratio, cur item per tertium Rheni alueum, non autem per Mosam subuectatio frumenti obita fuerit, deq. Albinianis castris, enucleanda mihi erunt quædam ad confirmandam nostram sententiam facientia. Medium ergo Rheni ostium, alijs tacitum, Plinio non indictum, cui vni mansit in hæc vsque tempora proprium amnis nomen, reliquis duobus velut emancipatis atque alienam in familiam transcriptis, olim Traiectum, inde Albiniana castra, posteà Lugdunum (de quo institutus sermo caussæ cardinem exspectat) præterlapsum fuisse, postremò in Oceanum effudisse se non procul Cattorum vico, nemo tam inuitis Gratijs litauit, qui nõ sciat credatque; vel non consulto Antoninianæ pinacis oraculo; quanquam illa planissimè apertissimeque id declaret atque ob oculos exponat: quando & vetustus aluei ductus manifestum rei indicium ferat, qui licet aduerso cursu, placidus tamẽ atque adeò segnis, onerarias naues frumento graues è Britannia venientes accipiebat, vt inde præfidiarijs castellis, quæ tum horrea nuncupabantur, annonæ quantum satis esset, suppeditaretur. Ne verò commentitium quis existimet, præsidia Romanorũ per Rheni ripam dispositа, horreorum nomen accepisse,

accepisse, audiat Ausonium Burdegalensem, qui Rhenum alloquens in elegantissimo illo poëmate, quod Mosellæ titulo inscripsit, eiusque fluuij laudes se vberiùs olim persecuturum pollicitus ita canit,

Addam præsidijs dubiarum condita rerum,
Sed modò securis, non castra, sed horrea Belgis.

Eodem vocabulo vtitur & Marcellinus historiæ libro 18. de Iuliano Cæsare loquens, quem cogitantem in Alemannos expeditionẽ, eò omnes curas intendisse memorat, vt priusquam bellum incœptaret, ciuitates ante à Germanis Francisque excisas, maturè receptas, communiret, addit deinde, *Horrea quinetiam exstrueret pro incensis, vbi condi posset annona, à Britannis sueta transferri.* Credibile autem est castella in horreorũ nomẽ cooptata commutataque, quum pax altissima & securum à bellis otium perdomitis Germanorum gentibus, Belgicam teneret, vt Ausonij versus indicant. Cur verò non Mosam subuectationis obsequio delegerint Romani, has causssas reperisse mihi videor, cum propter varias plurium insularum incursiones, Symplegadum more formidabiles, propter flexuosos littorum anfractus, qui vario maris reciproci æstui seruire & ventorum arbitrio coguntur magis, quæ tunc insulæ Mattiacorum erant, & illud Batauiæ latus prætexebant, tum quòd Mosæ vasto se ore exonerantis impetus, mare faceret præruptius, maiusque periculum ostenderet, tum etiam quòd propter violentum proni amnis defluxum, naues parum promouerent suum cursum, nî operam darent Æolij flatus: quæ omnia in medio ostio secundiora erant, præbente facilem appulsum leni fluento, & mollem subuectationem conciliantibus iumentis helcyarijs, quoties reflarẽt, aut malaciâ torperent venti. Albinianorum quoq. positus, quæ ad decem millia passuum Lugduno dissidere auctor Itinerarij ostendit, atteſtatur clareq. loquitur non aliam esse vrbem. is verò interualli modus Hollandica (quæ Belgica sesquialterâ proportione excedunt) miliaria bina constituit, expedito

pediti circiter trium horarum ſpatio emetienda: quo loco caſtra fuiſſe Romana Albiniana nomine, extra cõtrouerſiæ aleam eſt, editiore in cliuo, regione, tẽplo, quod ibi viſitur, ſacrâ: quæ ante annos quinos vicenos recluſa inter effodiendum, lapidem quadratum retexit, cum hac inſcriptione, O ADELART. D. IIII. NON. AVG. Ea verò ab Albino quopiam cohortis præfecto nomen ſortita, niſi quis ad ſcripturæ periculum confugiens, Alpheniana (proximiore vocis origine cum vulgata nomenclatura) ſcribi debere contendat; vt nomẽ fortè traxerint ab Alpheno Varo Batauorum ductore, cuius meminit Tacitus lib. 18. his verbis; *Acceßit recens auxilium Varus Alphenus cum Batauis.* & in Othone Plutarchus, ἐπήγαγεν ἔαρος Αλφηνος τὰς καλουμένας βατάβας: id eſt, Immiſit in gladiatorũ manum Batauos Varus Alphenus. Quæ teſtimonia eò adduxi, vt ſi cui probetur magis altera denominatio, habeat in promptu quibus ſe tueatur exempla. pagus enim, qui inſignis eſt hac ætate ceſpitum bituminoſorum fodinis & mercatu, Alphen dictus eſt; quod ipſum non multum diſſentit ab Albino. facilis namq. deflexio eſt aut tranſitus ab Albin ad *Alfin*, inde Alfen/ vel meliore ſcripturâ Alphen. Fuit enim vetuſta & prænobilis Romæ Albinorum familia, quod Iulius Capitolinus in Clodio Albino commemorat. Sed hanc litem controuerſam indicaſſe contentus, nihil quidquam definio. Porrò ex fluminis & maritima opportunitate, portuſque vicinia, ingens commerciorum vſus & negotiationis momentum ciuitati huic accreuiſſe veriſimile fit, nondum obſtructo fluminis ore per arenariorum collium iniuriam. Vrbi adiacet Romæoburgum in hunc vſque diem, appellatum à Romanorum præſidio, vt prima fronte nomen præfert: locus olim Martijs viris, nunc virginum Veſtalium cœtui dicatus, varijs antiquitatis monumentis clarus, quæ magno numero eruta ante ſexagenos ampliùs annos refoſſis fundamentis fuerant, in quibus duo leonum ex ære conflata ſigna, cum Deæ Pallados hominibus illis ignoratæ ſimulacro, & nomiſmata

Alphen.

Romæoburgũ.

misſmata argentea æneaque Antonini, Neronis, aliorumque complura, quæ sibi donata abstulit Maximilianus Cæsar, anno CIↃ. IↃ. VIII. vnâ cũ ossibus giganteæ staturæ hominis, cuius sola tibia æquabat mediocris viri crus cum femore ad vsque inguina, cuius loricam humeris circumpositam, at ærugine adesam diu se asseruasse testata mihi fuit cœnobij antistita, pia & cordata anus: quæ mihi etiam locum infamem illusionibus dæmonum, atq. inde in religionem stolidæ turbæ conuersum, digito demonstrauit, in quo thesaurum hactenus intactum occultari & à nigrâ illâ dæmonum gente asseruari, cum præsente fossorum noxa, persuasio vulgi mentes imbuit. Inter cætera cimelia saturi vironis gemmam (smaragdum vel certè iaspidem fuisse suspicio est) iuglandi nuci propemodum parem interuertisse Gaesbecanus dynasta ferebatur: phialam heminæ vini capacem, opus elegans, sed figlinum, Hippolytus Frisiæ Præses non sine precibus obtinuit. Vidi illîc & imbrices ita inscriptos, EX. GERM. INF. Vidi & nomisмata IMP. DOMITIANI GERM. COS. XII. item Neruæ, Traiani, Tiberij, Claudij Cæs. cum Cerere Aug. Anastasij cum Victoria Aug. ex auro. Q. Curtij Ruffi, aliaque. Lampadem æneam, quadrifidã (quæ in quatuor veluti guttos exit vnde ellychnia flammam vomebant, & in quaternas columnas circinatum cœlum excipientes assurgit) isthîc repertam asseruat, & expressam operâ pictoris communicauit, vt hîc apponeretur, Cornelius Nicolaus Aquanus, homo antiquitatis studiosissimus, de quo & antè sermo mihi factus est. Cæterùm eam arcem imperitum vulgus *Rodenburgum* nominauit aliquando, ab imbricibus tegulisque rubeis, quibus contecta fuerat. Lugduni mediâ ferè vrbe in accliui vndecunque tumulo, editiore loco, Pyrgus extat, Burgum patria lingua vocat, circinato mœnium ambitu, fornicibus arcuatis, quem ab Engisto, circiter quadringentesimum à Christi natali annum, exstructum, quum heros ille consilio manuq. potens è Britannis victor domum rediisset, sunt qui chartis

De Burgh.

prodidere: locum habitationi ineptum, quòd domicilijs careat, medium omne spatium pomiferæ arbores occupant. In eoputeus altissimus & peramplus visitur, quem credulum vulgus fabulatur cuniculum habuisse peruium ad armamentarium vsque Romanum propè Catuicum, de quo alibi nobis sermo est. Quod commentum facilè conuicerit tractus ille totus vliginosus & pratensis; qui vt eam subterranei cuniculi altitudinem admittere potuerit, vt per quatuor passuum milia subter Rheni alueum penetrarit, vero dissonum videtur. Ab hoc pyrgo Burg-grauij (quæ vox sonat Pyrgi Comites) inclytum nomen trahunt, dynastæ potentes olim, proprietarij Lugduni Domini, quod imperium & ius penes Wassenarios incolume stetit, cum Rhenani territorij (Rynlandiam vocant) possessione, telonijsque; donec anno CIↃ. CC. LI. extincto Iacobo, Christina filia, cuius tutelam occuparat Princeps, hæreditario omni iure exuta est. Lugduni possessionem (quæ ob cõcisas Comitis literas, iniuriæ nomine, adempta fuerat) beneficio piæ Principis Iacobæ, familiæ restitutam, recepit ad se Philippus Burgundus; à quo in Comitijs publicè, intrepido & ad truculẽtiam composito ore, ius auiti dominatus repetere ausus est Iacobus Henrici F. voti inualidus aduersus potentiorem, obtinuit tamen quædã iniquis, vt fit, legibus. Porrò ciuitas magnificis nobilium ædificijs pulchrè exornata est, habet terna Parochialia templa; in quorũ vno, cui Custodem dicarunt D. Pancratium, Canonicorum collegium: in altero, quod Apostolorum Principi sacrum, ostenditur panis in saxum induratus, qui capsulæ ferreis cancellis præmunitæ inclusus, ad testandam posteris prodigij memoriam, asseruatur. Id ita habet. Anno suprà millesimum 316. in summâ annonæ difficultate, sororem opulentam altera egentissima in sobole numerosâ, flagitarat panis subsidium, ne fame interirent liberi; illa inficiatur se habere, sancteq. deierans Deum obtestatur, vt si quid panis domi habeat, id omne lapidescat. Quid multa? preces secuta dicitur certa ostenti fides miraculo con-

culo confirmata. Habet eadem & plateas à cœni illuuie puriores, quàm sint alibi priuatorum ædes: mediam Rhenus interluit: ager suburbanus brassicas capitatas mole & specie insignes, aliaque omnis generis olera eximia lætissimo prouentu educat. Hanc natalem terram habuit Ioannes opificio sarcinator, genere plebeius, veterator, ingenio ad omnia versatili, retinctorum (quos Catabaptistas nominant) sectæ caput, qui per integumenta dissimulationis, artesque tacitas cum insignis facundiæ armis cõiunctas, ad fortunæ principalis regijque dominatus imaginem prouectus, iamque mortale fastigium supergressum se ferens, Monasterij (quæ inter Bructeros Westphalósve copiosa & munita est ciuitas, Episcopalis sedes) Rex nominari voluit; sed quum libidinem à Nemesi facinorũ impiorum vindice, annuo tempori præscriptam expleuisset, dementis animi iustum supplicium dignâ pro merito morte exsoluit. quam rem in Annalibus copiosius explicabo. Sustinuit hæc vrbs anno superiore, qui fuit 1574, à natali Christi grauem & calamitosam obsidionem ab Hispano exercitu, consumptis fame pestilentiaque septenis oppidanorum millibus, cuius liberatæ ius omne diuinæ potentiæ transcribi meritò debet, ciuitate ex hostium faucibus mirabilem in modum ereptâ ac conseruatâ, ad stagnantium aquarum (quæ Lunaris æstus motu concitantur & crescunt) incrementum, accedente Panici timoris occulto impetu, quo fortissimus quisque ex hostibus perculsus & animos & vitam pariter amisit, præcipitem in fugam compulsus, desertis castellis omnibus.

AMSTELODAMVM.

NVNC ordo seriesque ipsa admonet, vt Amstelodamo, nisi turpiter præuaricari velim, operam dem, cuius famam in illustri positam, vtrunque mundi cardinem transcendisse, quis adeò vecors qui non credat? Nomen illi ab Amstela amne accessisse, tam indubitatum est, quàm quod maximè: quin & paruisse olim Amstelijs, familiæ amplissimæ & imperiosissimæ

perioſiſſimæ conſtat. Emporium eſt longè celeberrimum, copioſum, viris pariter & opibus præpotens, in intimis ſinus Batauici faucibus poſitũ, præter naturæ munimentum, etiam operibus pro loci genio nõ inualidum, paludoſo minimeque firmo ſolo conditum. quæ cauſſa eſt cur ædificiorum fundamenta incredibili impendio iaciantur, adactis per fiſtucas trabibus arboribusque ingentibus, aut ſubſtratâ materiâ per ſublicas connexâ: putanturq. fundamentorum impenſæ ſubinde reliquam ſtructuram æquare, ne dicam excedere. Equidem exiſtimo nullum aliud toto terrarum orbe emporium frequentioribus claſſibus corbitarum & onerariarum nauium adiri, quàm Amſtelodamum; ita vt ad hanc Crotonẽ cætera emporia nihil ſint. Memini namque olim ad trecentas naues onerarias frumento alijsque Scythicis mercibus ac Cimbricis ſaburratas, intrà octidui ſpatium & appuliſſe, & onus magnâ ex parte expediuiſſe. Quaternis emiſſarijs opportunè ductis vrbs interluitur, quæ ſordium colluuiem reciproco maris æſtu exonerant; aquarum, quæ ſilente plenâque lunâ aut tempeſtate augeſcunt, incrementum excludunt, nauibus tutiſſimum receptum præbent. Hanc vrbem Giſelbertus Amſtelius (in cuius ſtirpis fide & clientelâ oppidanos quondam fuiſſe prædixi) ante annos ducentos & ſexaginta plus minus, communiri propugnaculis, portis, turribus, pontibusque ſublicijs fecerat, extincto Ioanne Principe: qua re & ipſe inuidiæ incendio conflagrauit, & res oppidanorum in diſcrimen adduxit. Nam exaſperati eâ inuidiâ & offenſione popularium animi, & ceu ad reſtinguendũ commune incendium concitati, adiuuantibus Caninefatũ ſtudia Friſijs finitimisque, facilè deiecerunt flammisque concremarunt munimenta aduerſus vim & furorem infirmiora, quãdo hæc, quantumuis ſint Cyclopica, accedat licet natura loci inexpugnabilis, furori Martio obſiſtere nõ valeant. Poſtea ad annum 1482. muro cingi cœpit. Hæc eſt illa Venus Anadyomene, quam ſalſis è fluctibus os exerentem comasque explicantem deſignare

Giſelbertus Amſtelius cõditor Amſtelodami.

signare voluisse videtur Apelles. Hæc tanta exterorum affluentia, superiore tempestate ante fatalē istam temporum iniquitatem, inundauit, vt pomœria vrbis hemiolio porrectiora amplioraque facta, breui nihil vacui visura fuerint, si rem ex vsu futuram Senatus iudicasset. Hæc est, quam iurè Belgica (facto semel atque iterum malignioribus præsertim annis rei periculo) *cellam penariam*, vti de Sicilia Cato ille sapiens iudicauit, atque adeò *horreum suum* agnoscat & vocet; quam rem Acrostichide signaui, adiunctis laudibus tali emporio dignis, quam hoc loco non alienam duxi adscribendam.

A *ureus, vt perhibent, quondam ab Ioue perpluit imber*
M *agnificis turgentem opibus Rhodon: horrea Romæ*
S *icaniam esse Ceres victuro munere cessit.*
T *orsit & huc oculos facilis Deus ipse benignos,*
E *t me mactam opibus iussit, florereq; rebus*
L *ætis: at circundor aquis, pigraq; palude*
O *bsita: roboreoq; solo stant culmina nixa*
D *epactis altè trabibus, surgentia cœlo:*
A *lternansq; statis vicibus maris æstus aperti*
M *œnia subcingit, qua parte exotica puppes*
V *eliferæ inuectant onera, exportantq; frequenti*
M *ercatu, Hesperias quâ se demittit in vndas,*
B *arbaraq; Eoüs pandit quâ littora Titan*
E *xpedio, quos nostra tamen non area verrit,*
L *egiferæ cumulos Cereris, genitalia dona.*
G *argara prouentu tanto non farris abundant.*
I *nferior fuerit, vel Momo iudice, mecum*
C *ontendat locuplete penu si Trinacris ora,*
Æ *qualeisq; ferax non Africa stipat aceruos.*
H *orreum & agnoscit me non malè Belgica felix,*
O *mnigenas vt opes, sic vitæ alimenta ministro.*
R *ectè vt quis saturæ similem me dixerit aluo,*
R *obore defectos succum quæ didit in artus.*
E *ximiæ hinc adeò Cæsar me ferre Coronam*

V *irtutis decus, ac munus spectabile iussit.*
M *ateriem at linquo scribendi vatibus amplam.*

Hîc contubernij necessitudo nationibus omnibus ex æquo patet, de ea vt dici possit, quod de Hecale Callimachus Cyrenæus dixit, eam habere φιλοξεινίης στέγος ἀχλήϊστον, hoc est, ianuam hospitalitatis nunquam obseratam: hîc enim videas stabulari Italos, Hispanos, Britannos, Scotos, Gallos, Sarmatas, Cimbros, Suiones, Noruagos, Liuonios, Germanos, & si qui alij Septentrionali sub axe latent. Hæc forum est & institoria officina Mercurij illius Lucrionis, qui virgâ suâ quam manibus gerit, mercatorum animos moderatur ac regit, hos ad præsentis emolumenti & expectati fœnoris vitam ab Orco reuocando, illos per iacturam & cum nominibus dispendia, perque æs alienum ad Tartara demittit. Sed vt ignis beneficio bonorum quoddam copiæ cornu emergit, ita eodem nihil damnosius est: ita eundem Mercurium ciuitas ista & propitium sensit & infestum; nata est enim & creuit secundo illius numine, sed eiusdem artes & vafrities illam Gradiui furori obiecerunt, hinc intestinis ac furialibus odijs subditos aduersus Magistratum exercendo, hinc factiosam & conscelleratam Retinctorum, qui Anabaptistæ vulgo audiunt, colluuiem (quæ ad modum pyxidis illius Hesiodicæ Pandoræ, malorum omnium mare in orbẽ diffudit) ad feralia arma, & nefaria latrocinia in exitium atque interitum florentissimæ vrbis comparata, immittendo, quando lucifuga illa gens, nocturnis cœtibus assueta & verè tenebrarum manceps dicẽda, armata per tenebras flagitiosorum atque facinorosorum hominum cateruâ forum illiq. imminens vrbis palatium occupauit, auxiliariam eiusdem conditionis & sicariorum, quos vitæ prodigos cum egestate animus conscius exagitabat, manum opperiens. Quo tempore mactatorum aliquot ciuium, & ex Consulibus vnius Manibus, parentatum est occidione & supplicio conscelleratorum sentinæ vrbis, & restinctâ conspiratione, conquieuit incendium.

GOVDA.

GOVDA.

GOVDÆ in nomine idem fere vsuuenire video, quod amantibus solet, qui dum somnia sibi fingunt, Tantali hortis frequẽter frui se autumant, fugitiuis scilicet bonis: quando hi à Goudâ aureâ quâpiam, si dijs placet, Phryne, loci dominâ, nomen sumpsisse existimant: illi ab auratis, ne dicam aureis bracteis lamellisve, quibus turris insigni gloriosæ magnificentiæ exemplo, & Romanæ æmulo, olim fuerit contecta; quando & Panthei templi ab Agrippâ exstructi tectum laminis argenteis opertum fuerit, & Capitolij tegulas æreas Catulum inauraſſe prodiderit Plinius. Ego verò illam à Cimbrica voce Gow originem suam trahere arbitror, quæ & aggerem fossæ siue aquagio obductũ, & ipsum quoque aquæductus alueum denotat. Situs eius est ad Iselam, qui ab Isala in quem Rhenus diuertigio Drusiano confluit, alius est planeq. diuersus, imò potiùs elix quidam ac diuerticulum fluminis è fossa perpetua, per Traiectenses Vianam versus deducta, corriuatum, quod primò Iselstenum adit, inde Monfortiũ petit, mox Oudewateram perlabitur tenui & vadoso alueo, deinde Goudam præterfluit magno aquarum auctu copiosiùs, demum iusto amni par è regione Iselmondæ pagi (quod Iselæ os, hoc est, ostiũ sonat) in Mærouwam decurrit, vbi exæstuantis maris accessu augescit, ac sæuientis pelagi in morem fluctibus surgens nauigia iactat, & quidem atrociter, præsertim vbi alhò ventus, aliò vndæ præcipitant. Vrbs est copiosa & rebus omnibus affluens, ob fluuij portûsq. opportunitatem, quæ pylori vicem in corpore humano obtinet, quando intermedia intercipit quicquid Hollandia, Brabantia, Zelandiaque mutuis necessitatibus submittit. Fundamenta eius iaci cœpisse ad annum à salutifero partu milleſimũ ducenteſimum sexageſimum secundum, Annalium fides tradit. Arcem in ea, vt & Scoenhouiæ, exstruxit Ioannes Bulosius Comes, permissu genitoris sui Ioannis Hollandiæ Principis, institutis

Gouu quid?

vtrobique telonijs portoria & vectigalia exacturis, laude, si dijs placet, cum Aristide communi dignandus, quem primum omnium Græcis, qui ad id tẽporis ab oneribus eiusmodi fuerãt liberi & immunes, vectigalia imposuisse commemorat in Arcadicis Pausanias. Ea arx admirabili fabricâ constructa vt tutissimum aduersus pericula perfugium, destinata est per Hollandiæ Proceres atque Ordines tanquam gazophylacium & conditorium asseruandis diplomatibus priuilegijsque Principũ Hollandiæ indultis. Nulla vsquam vrbium, propè dixerim cum fidei periculo, vel feliciora vel frequentiora producit alitque plantaria, non vicinis modò Belgis, sed longè dissitis quoque regionibus expetita, quibus & quicquid vacui soli intra murorum ambitum est, occupatum visitur, sed & ager omnis suburbanus, qui extra pomœrij coronam iacet, abundat, tametsi depressius sit aquosiusque solum omne. Templum haud scio an alibi spatiosius sit atque amplius, quod anno quinquagesimo primo post sesquimillesimũ à Christo nato pridie Id. Ianuar. cœlesti igne conflagrauit, prodigio haud dubiè diuinitus facto inter arundineo tegulo constrata vndecunque tecta, quæ templum ambiunt, sed intacta tamen à fulminis afflatu: quod ipsum magnificis operis atque impensis reparatum indies, superiorum temporũ splendorem & amplitudinem obscurat longissimeq. superat. Forũ habet augustissimum ouali propemodũ specie, cuius è medio, ceu centro, existit Prætorium, iuri dicundo, habendo Senatui, obeundis vrbis munijs destinatum ædificium, cuius pars ima dicata macello, columnis suffulta, atque opere fornicato concamerata, singularem architecti vrbani industriam demonstrat. Illud inprimis silentio à me præteriri nequit, quòd nullum totâ vrbe exstet domiciliũ, quod nõ præterlabatur aquæ alueus, ita collicijs riuorum vndecunque diuisa est, æmula propemodum in hoc Venetæ vrbis eiusque exemplum futura, si perinde vt illa aperto æquori opportuna esset atque pateret. Hactenus maiorum (vt ita dicam) gentium ciuitates, Hollandiæ

landiæ columina, ſtylo vtcunque depinxi, præcipua obſeruationis lumina complexus, viam quandam ad reliquã hiſtoriæ cognitionem, quæ in ſecundum tomum reijcitur, lectoribus pandens, & veluti facem præferens ſubſidiariam, diuerſo, quàm Nauplius, conſilio, ne in Caphareos ignorationis ſcopulos incurrant. Nunc ad minorum gentium oppida, muris pomœrijsque clauſa, inde ad municipia, quæcunque Hollandici iuris cenſentur, bonis auibus accingor, à Ciſrhenanis Friſijs ſumpto initio, inter quos prima occurrit Enchuſa in extremâ quaſi ſpeculâ Hollandiæ poſita, vnde tempeſtas, ſi qua à Cimbris aut Friſijs Tranſrhenanis nunc amicis & ſocijs fœderatis (quod expectandum non eſt) ingrueret, proſpectanda foret.

ENCHVSA.

ENCHVSA nomen à ſingularibus ædificijs, quæ rara principio, in vici modum, pòſt denſiora accreuerunt, accepiſſe autumant: id namque ſonat, **Enckel huyſen.** Oppidum eſt elegans, naturâ loci munitum, maris furori obiectum, quem in extremo terræ margine ſitũ deſpicit, opibus quas mari peperit fortunatum, lateritijs pleriſque domicilijs ornatum, paucioribus ligneis, ob incendiorũ periculum, quæ ſemel iterumque olim experta metuit. Conſtat ex Annalium fide circa annum ſalutis CIↃ. CC. LXXXXVII. iniecto igne per Herculanum Heroëm & Puteanum hoſtiliter inflammatum conflagraſſe. Muro cingitur & turribus, niſi quâ Friſiam proſpectat, vbi inexhauſtis ſumptibus agger per mare ductus ex algâ, materiâ ad repugnandum mari conuenientiſſimâ, in ſpeciem portûs, capaciſſimum alueum recipiendis onerarijs nauibus includit. Eſt & alter portus nauigijs, cui turris valida imminet, in quâ elogium extat diſticho clauſum à me tum puero, in marmore inciſum, quod memoriam ſeruat inſidiarum à Carolo Gelriæ Duce comparatarum, ad inuadendum opportuniſſimũ inquietandæ Hollandiæ portũ, ad annũ à ſalutifero partu CIↃ IↃ. XXXVII. obſeruato

Enchuſæ etymon.

Enchuſæ incendium.

Portus nouus.

Alter portus.

Enchuſa inſidijs per Gelros tentata.

obseruato accommodo gerendæ rei tempore; quando plæraque omnis iuuentutis & ciuium pars nauigando occupata abest, immissâ ad id tentandum per duas naues cohorte expeditorum militum, subsecuturis mox alijs, ad primũ collucentis flammæ edendum ex conuento signum. Distichon haud otiosis à me verbis expressum, vt ibi legitur, & literis numeralibus, ita habet.

EnChVsaM InsIdIIs taCItIs sVb noCte sILentI
obrVere adnIXa est geLrICa perfIdIa.

Sal factitius apud Ench. *Zoutketen.*

Oppidum istud factitij salis gloriam affectat, numerosis admodum longo secundum aggerem tractu exstructis extra mœnia *tectis Salarys*, in quibus strues salinarum aggestas videre est, sudantibus noctes diesque operis. Oppidani homines gnaui & industrij ex Armoricis ciuitatibus salem, sed asperum & pullum, corbitis deuectum, cortinis amplis excoquunt, affusa marina, quæ nonnihil inertem mitemque gustui salis saporem corrigendo exhibet, ac candorẽ mensis cibisque gratum arte cõciliat, quamuis ex atro fumo, quem cespitum bituminosa materia euomit, tecta tota fuliginem densam & atrorem imbiberint. Nostra enim regio tametsi opportuna habeat cataractarum claustra, quibus salsæ maris vndæ commodè admitti queant, vt fieri solet in Italia Gallijsque, destituitur tamẽ acribus illis æstiui Solis feruoribus, quorum perneccssarius ad durãdos latices vsus requiritur, vt in coagula concrescant crustæ glebæque salis, aut in minutos grumos siccentur. Ab his diuersum conficiendi salis morem apud Hermunduros (qui Cattos, vnde nobis origo, pepulerunt) receptum tradit Tacitus, quo ardenti arborum strui aqua infusa densabatur & igne concrescebat, pugnâ quadam elementorum ignis & aquæ. Quin & maiores nostros accepi in peculio suo, hoc est, genitalibus terris, salis natales coluisse diligentiùs, antequam corbitis aperto Oceano Armorici & Hispaniæ frequentari cœperant, tum namque è glebis vstis & in cineres versis opimo quæstu salem conficiebant, non salo, nõ salinis (quarum inuentum Anco Martio tri-

Salis conficiẽdi mira ratio.

Salis confectio vernacula.

Salinarũ inuentor.

tio tribuitur) vsi, & in adiacētes regiones huberrimo compendio eum deuehebant, qui aqua affusa splendidus nitebat, Siltsout popularium idiomate dictus, quòd è glebis salsilagine imbutis arte extractus esset, ad quem quæstum ita plæriq. passim calluerant, vt agrorū sumen omne (quippe in summa eorum vilitate) exhauserint, vnde multi natum augurantur quòd solum infinitis in locis redditum sit depressius humiliusque. Adde quòd è bituminosis cespitibus subterraneis (quos alibi Darias vocari admonui) cinefactis, salsâque perfusis, ætas auorum elicuisse cognoscitur, quæ nunc ars exoleuit, & in desuetudinem abijt, ob affluentem salis copiam, quam Galliæ Hispaniæq. subministrant. Hoc oppidū Neptunium iurè dici queat, quòd fatali illâ & haud scio quâ immutabili sempiterni ordinis lege, maris quoddam imperium & classium agitauerit, propitio Caroli Cæs. & Philippi Regis studio atque fauore, quando vterque non alijs temerè nauibus vitā suam, hic in transmittendo Oceano, ille in suscipiendis expeditionibus, commiserint. Atque hinc felici augurio cœruleum scutum (vti Sex. Pompeius eiusdem coloris paludamentum sumpsisse cum Neptunij agnomine legitur) cum duabus stellis inter haleces interiectis, vice insignium præfert, quod halecū modo maria sulcet, non sine certâ vtriusq. poli & siderum cursum moderantium cognitione. Ab Enchusâ Hornam rectâ iter ducit.

HORNA.

HORNA duûm milliarium interuallo dissidet ab Enchusâ, genitale mihi solum; quæ vnde nominis auspicium traxerit, liquidò discere non potui, quare pro vero atq. explorato non sum adscripturus, ne primordium augustius fortassis extudisse patriæ magis amor, quàm rei veritas videatur, quando improbi id esse hominis puto, mendacijs fallere atque illudere, quo in gratiæ ciuitatis opinionem irrepat. Crediderim tamen à sinuoso portu & oblongo in modum cornu incuruati (cuiusmodi portū ab eâdem specie etiam *Hornæ etymon.*

cie etiam Græci κέρας atteſtante Moſchopulo nominant,& *cornu portûs* Cicero, ſed paullò diuerſiùs dixit) Hornæ, quod *cornu* ſonat,nomen mutuari cœpiſſe; cuiuſmodi certè portûs ſpecies in hodiernum vſque diem iſthîc viſitur. Alij ſortem nominis datam à diuerſorijs tribus, non procul ab emiſſario,quod Culam,à foſſæ vocabulo vocant, poſitis oppidi primitijs,contendunt, inter quæ præcipuum pro inſignibus domus Cornu oſtentabat, quo traijcientes exteri hoſpites accipiebantur, quod ipſum firmiſſimâ parietum craſſorum compage exædificatũ, in medio oppidi foro, vbi mercatus eſt, huc vſque extat. Neque verò militaris gloriæ prærogatiuam, quæ lituo claſſicóve (vtrunque vernacula lingua,*cornu*,vocitat)aut cornuum concentui debetur,huc aduocare velim,quaſi patriæ in alto receſſu extra armorum ſtrepitũ poſitæ,nominis origo inde nata fuerit,tametſi pro inſigni ſuo oppidum eiuſmodi claſſicum præferat. Vtcunq. res ſe habeat, haud equidem magno in diſcrimine pono: Id ſaltem conſtat, vt exigua rerum omnium ſunt initia, circa annum ſalutis CIↃ. CCC. cœpiſſe ædificari primùm & frequentari locũ,quum eò in ſinum Danica nauigia crebriùs appellerent cum bubulo pecore ad mercatum, quò ab eo vſque tempore nobilis locus eſt, quippe quem frequentes armentarij celebrant, primo aquilone, euróve flante ſub Aprilem mẽſem,quo ſolent è Cimbrica Cherſoneſo oram ſoluere Danorum lembi. Eâ autem in opinione ſum, quòd credam antiquitus eum delectum fuiſſe locum bubus ob paſcuorũ,quæ ſunt ibi herbidiſſima, opimitatem & commoditatem, adeoque dum attentiùs pueritiæ memoriam recordor,à patre meo Petro Iunio,eius vrbis tum Conſule, intellexiſſe memini idipſum ſibi à proauis ſuis olim fuiſſe narratum. Inuenio in Annalibus ædiculam illîc extitiſſe ligneam Diuo Cyriaco cuſtodi,cuius tutelæ dicatum eſt oppidum,ſacratam,quæ extra aggerem maris appulſui oppoſitum fortuito incẽdio arſerit,triceſimo circiter anno poſtquam ædificari cœpta fuerat. Hæc Friſiorum minorum qui

Dani quotannis cum bubus ad mercatum Hornam ventitant.

Horna metropolis Weſtfriſiæ.

Friſiam

Frisiam occiduam, siue Cisrhenanam habitant, metropolis & primaria ciuitas audit, nobilis præsulatu Decani, quem occidentalis Frisiæ vicarium Traiectenses olim submittebant, qui nunc ad Harlemensem antistitem translato honore se refert: Ei vicaria illic sedes olim magnifico opere & impensis ingentibus educta, Præposituræ nomẽ etiamnum repræsentans, supereſt. Oppidum est copiosum & cibariæ lactariæq. rei affluentissimum, quod ex semisse mari alluitur, reliquam partem amœni agri & læta pascua cum pagis minimè obscuris ac locupletibus cingunt: plateas habet peramplas, quæ decus & ornamentum præcipuum solent addere vrbibus. Portum habet tutum & tranquillum in interiore sinu, cuius cõmoditas magna est, olim maior, quando oppositа portui & oppido insula cum pago, cui Dampta nomen in eo sinu, vim & impetum maris ab Africo imminentẽ excipiebat auertebatque: cuius pagi reliquias, vtensilia, lebetas, & ahena grauis ponderis, puer memini in turbulentâ tempestate, quæ marinas vndas diffl arat penitusq. dissiparat, calcabili tum maris solo, in oppidum fuisse comportata à nonnullis proiectæ audaciæ ciuibus, quos præda in vitæ periculique contemptionem elicuerat. Hornam nobilitant mensarum delitiæ, porculi marini, non aliter quàm Lucrinum lacum ostrea, quorum nusquam gratior palato esus. Nobilitat eam & siserum lætissimus prouentus, quæ radices bulbosiores ad pastinacæ modum in delitijs habentur ob præcipuam generositatem, *Hornanæ* inter olitores dictæ: quarum esu tantopere delectatum Tiberium Principem memorat Plinius, vt omnibus annis è Geldùba castello Rheno imposito Romam ad se peruehi mandauerit. *Dampta pagus.*

ALMERIA.

ALMERIA, siue vt vulgus nominat *Alemaria*, tribus milliaribus Horna abest, finitque Caninefatum ditionem: locus vndecunque fermè varijs & ingentibus lacubus circundatus, in quos defluxus riuorum è collibus arenarijs li-

quentium decubuisse crediderim, ita vt nomen illi impositum haud dubiè sit ab vniuersitate lacuum, quos lingua Cimbrica **Meeren** nuncupamus, ac si dicas **Al-meer**. Ex his decem numero lacus didici per emissaria, appositis hydromylis, & deriuatis collinis aquis, certâ compendij spe, iam exsiccatos, partim Egmondani, Brederodijque opibus, partim priuatis Theuderici Teylingij Quæstoris aliorumque ciuium sumptibus, quorum hæc sunt nomina, vt etymi fidem confirment ac comprobent, haud temerè à me prolata, Bergensis, qui mille ducenta nostratia agrorum iugera cõtinet, Daelius, Veronensis, Suinius, Bouclerius, Heyloënsis, Grebberius, Templinus, Argillarius, & Posticus Lacus: supersunt quinque, Diepius, Voerus, Scermius, Biemsius, & Waerdus, quorum siccandorum cõsilium & voluntatem intercipiet atq. abrumpet cùm immẽsa vastitas, tum piscatûs commoditas vtilitasque. Neq. verò aliter scriptam hanc vocem inuenio in vetustis Præsulum Traiectinorum tabulis, quæ Almeriam scribunt. Sunt, qui existimant vocabuli compagem si dissoluatur, nõ aliud sonare, quàm, *liquentem lacum*, aut *colliquias*, *a lec meer*, ab aquarum collinarum, vt dixi, riuulis in lacus confluentibus. maioribus enim nostris articulus, a, receptus fuit & vsitatus ante substantiuas voces, cuius loco inoleuit, **een**/ quod numerale est & vnitatis significatiuum. sed quàm benè, nescio: quem articulum & κτήσις & χρήσει retinent tuenturque Britanni vetusto iure; & rectissimè, veluti quum dicunt, *a ringe*, & *one ringe*, illîc Annulum notant, hîc vnum Annulum. quæ differentia in nostrate linguâ confusior est, & meliore ratione ad priscum & sincerum vsum reuocanda atque asserenda videtur. Sed parergon istud esto. Insipida verò eorum est oratio prorsusque blitea, qui nominis etymon ad aleces pisces, de quibus copiosè institutus nobis antea sermo fuit, referunt; quasi Latinam vocem in suam coloniam barbari homines & ruricolæ transcripserint, vt fuerit aliquãdo, *alecum lacus*, quos per canalem è maritimâ Egmondâ aliò transtulerint. anile

prorsus

Meer. Almeriæ etymon.

Circum Almeriam Lacus quindecim.

A, articulus.

prorsus deliramentum; quod ipsum satis nequeo mirari, cur Nannius homo doctus chartis illeuerit. Almeriæ nates referri inuenio ad Agillum virum pium & à patris insaniâ alienum, Radbodi illius filium, qui pauperum Christum profitentium, cœlestis regni incolarum cœtui illudens, pedem è baptisterio, iam sacro lauacro tingendus, reuocarat. in quem non omninò absurdi in barbaro sæculo versus vetusti scriptoris hi extant:

Almeria à quo condita.

Radbodus, Frisiorũ Rex, lauacri sanctifici desertor.

O iocus, ô dirum, & tibi formidabile semper
Elogium, Radbode, tuum post tristia fata.

Is Agillus, ad annum salutis vicesimum suprà septingentesimum regni Frisiorum habenas tractasse dicitur, Almeriamque condidisse. quod si verum est, ex antiquioribus vna fuerit. Illa verò putida est oratio, quæ ædem isthîc à Iudæis ad annum sexcentesimum exstructam fabulatur. Sed quum nusquam eius in Annalibus extet mentio mœnibus circundatæ, arcis tamen fundamenta ante non multos annos (quo tempore aduersus hostiles incursiones vallo fossâq. cingi cœperat) refossa eiusque eruta saxa cuncti loquantur, seque vidisse Nannius ipse testetur, subit animum altior cogitatio, quàm testibus oculatis excutiendã relinquo, fuerit ne ea arx Agilli imperio condita, & Almeriæ nomen tulerit. Oppidum (quod annis abhinc quadringentis & vno Frisij Cisrhenani, transito vado, corruperãt incendio) nunc ab insultu & impressione hostium vallo egregiè munitum, ædificijs splendidis abundat, re auiariâ cibariâque valdè copiosum ob lacuum insignem cõmoditatem. Sensit ab hinc biennio post deditionem Harlæmi, ab Hispano communi patriæ hoste, obsidionem, quam sustinere oppidanos desperatio coëgit, ad audenda experiendaq. vltima conseruatrix addita, siquidem ademptâ effugij spe omni, accẽsa fuit pertinacia trepidæ ciuitatis præsidiariæque manus, quæ si patuisset effugium, quum primum circumfundi subitò hostilis procella vrbi cœpit, mœnia vacua & indefensa reliquisset. Sed dum oppugnatio desideratis occisisque plurimis

segniter procedit, superuenere iuges pluuiæ, quæ cum vliginosi soli madore, adulto iam autumno, turpiter obsidionem soluere hostem compulerunt. Adiacebant illi, præter illam de qua diximus, aliæ quoq. arces, ab Hollandiæ Principibus exstructa præsidia ad arcendam & retundendam ferociam proteruiamque Frisiorum minorum, quæ gens inquies, nullis cladium exemplis satis docta, nouas semper res moliendo agrum Hollandicũ perpetuis incursionibus infestabat. Hæ arces ad teli iactum inter se dissidebant, quò mutuâ ope faciliùs communi laborantium saluti succurreretur. Vtranq. excisam à Martino Rossemio testatur Nannius. Non procul Almeriâ paullum vltra mille passus dis-

Verona vrbs. sitam stetisse olim Veronam loquuntur cognomines inde campi, vrbem opulentam, frequentem, & populosam, vnicum tunc inter minores Frisios emporium; sed magnarum opum tenue admodum vestigium, vrbisq. bustum, tumuli vulgo ostenduntur, è ruinis (vt suspicari libet) editiores, qui nominis memoriam in hunc vsque diem tuentes, quâ plagam septentrionalem respicit, inter Cœdicum & immenso spatio porrectum Langedicum, Veronenses campi, vt dixi, dicuntur, frumenti feraciſſimi, quos pagus Pancratio sacer attingit. Hanc primariam fuisse Frisijs minoribus, gentis caput, bellorũ facem & furoris administram, credibile est, quòd opportunissimus eius fuerit situs ad inuadendã Hollandiam; ac proinde ob violatam sæpiùs fidem, rebellionemque toties repetitam, à Ioanne Hannonio Comite excisam funditusque subuersam, & inducto aratro reædificari vetitam, memorant Annales. qui etiam nominis memoriam obliuione sempiternâ delere voluisse creditur; tam inexpiabili aduersus eam concepto odio, vt etiam Britannorum copias in florentis vrbis excidium dicatur exciuisse, eamque gentis furori obiecisse, postquam proditione Consulis Phobi ingressus in eam patuit; cuius monumentum extat hodie turris in arcium, quæ vrbi vicinæ fuerunt, ruinis, Phobi nomine famosa, sub quâ proditorem, qui sceleris

mercedem

mercedem ocream pecunijs refertam pactus fuerat, humo obrutum infossumque fama quasi per manus tradita refert. Euersæ historiam, quam sacrificus complexus fuit, asseruari in cœnobio Heiloano intelligo. Meminit eius Guilelmus Goudanus Erasmo studiorum collega, & apud Steinum eidem vitæ instituto operatus, in Hieronis Scoti à Danis interfecti historiâ, his versibus,

Quos prisci Frisios olim dixere minores,
Arctoo à Fleuo, pelagiq; venitis ab ora,
Tum vobis Verona caput, nunc campus & arua.

& iterum:

——— *Frisijs, si quando bella vocabant,*
Dux Verona fuit, ac tantæ gloria gentis.

De hac cur Annales tacuerint, vnum modò atque alterum verbum facientes, dum velut in transcursu & obiter eam nominasse satis habent, equidem nescio, nisi fortè ignorantiâ veri factū id sit, aut hostilis odio vrbis, cuius memoriam silentio aboleri voluerint. Excidij verò, vt testem annum adferunt hemistichium notum;

ECCe CadIt Mater FrIsIæ; ita publicum testimonium loquitur spatium cœmiterij titulo insigne, vbi crux lignea posteris subinde reparata, memoriæ redintegrandæ, tuendæque religioni priscæ posita spectatur. Vrbis memoriam vltimam tuetur sartam tectam campanula ænea peruetusta in templo pagi, qui Valkenooge/ ceu Falconis oculus, incerta mihi de causa nominatur, quæ Veronæ fusam se testatur, & altera eiusdem metalli quæ Londinum translata fuit. Indicauit mihi per epistolam inter alia multa Nicolaus Vorstius, vir non postremæ eruditionis, Lugdunianæ scholæ moderator, se à grauis auctoritatis viro Iureconsulto Colonienſi accepisse, in historiâ quâ vndenûm Virginum millium profectio è Britanniâ insulâ pertexitur, narrari illas nauibus impositas & fœdâ tempestate iactatas Veronam appulisse; id quod de hac nostrate Veronâ probabiliter dicitur, quòd istud emporium vicinum fuerit alueo fluenti

illius,quod Caninefatium terga claudebat è Rheno productum,& præterlabens Crabbedamum in mare decurrebat; ostenditurq. etiamnũ apud Veronenses campos alueus decliuiore solo,vbi ostiũ & aditus portûs fuerit è mari appellentibus nauibus.De quâ quum ne per somnium quidem triuiale istud concionatorum genus quidquam inaudisset, fidesq. historiæ Transalpinam illam respueret, pro Veronâ Bonnam nugatoriè, ne dicam falsò interpretatur, præter rationem omnem. Huiusce emporij potentiam & nimias opes ostendunt piscationis iura,illi propria tam in lacubus, quàm in amnibus Rheno Mosaq;,quæ post excisam vrbem in fiscum Principis fuere conuersa,vnde in hodiernam vsq. lucem *Vronæ* nomine significatur portorium, quod in memoratis locis pro piscandi iure penditur. quin & ipsum territorium deletæ vrbis,peculiarẽ seruat *Rationalem*,ab antiquo Veronensem appellatũ. Vrbis sigillum æri Cyprio insculptum,ita ærugine deformatum,vt nulla forma potuerit agnosci,fato quopiam ante hos octo annos se nactum fuisse scripsit ad me Vorstius, cuius paullo ante memini, quod vascularij operâ & arte defricatum,ac sequaci ceræ impressum hanc cum epigraphe speciem monstrauit: quam renouandæ vetustatis gratiâ appingere hîc libuit,in quo aquila cœlum respectans explicatis alis expressa est,cum gladio potestatis iustitiæque symbolo ad dexteram.



EDA-

EDAMVM.

EDAMVM, vt nunc posteriora sæcula nominamus, maiores nostri Ydamum vocitarunt, ab Ya, seu Yda fluento olim, nunc aquæductu, primarium loci templũ ambiente hactenus, qui stagnantem aquarũ multitudinem exonerabat per emissarium suum communi appellatione, vti diximus, Dam nuncupatum. Nominis originem testatur & pagus vicinus Middelye dictus, quòd in ipso Yæ meditullio iaceat. Oppidum muro fossaque inclusum, caseorum bonitate celebre, satis opulentum, portu oblongo nobilitatum, & naualium præcipuè magnificentia, quæ digna iudices vbi Hieronis nauis illa, quam Alexandriam nominauit, mons veriùs quàm nauis, fabricaretur; tantâ mole ac capacitate fabricata isthîc nauigia, summa naupegorum industria, in maris sinum deducuntur, vt non minore in admiratione sit horum habenda industria, quàm Phileæ Taurominitani, qui Hieroniam illam deduxit, aut quàm Dioclidis Abderitæ, quòd Helepolim immanis magnitudinis machinam ad oppugnandam Rhodum adduxisset. Distat hoc oppidum Hornâ terrâ marique spatio vtrobique pari, quod duo conficit miliaria; recedit verò longiusculè introrsum à maris Austrini, quem vocamus, sinu.

MONACHODAMVM.

MONACHODAMVM miliari vno dissidet ab Edamo, ad Eurum obiectâ illi insulâ Marca nomine, trãquilliorem maris sinum sentit. Oppidum est non magnum, vallo & aliquantâ sui parte muro cinctum. Appellationis suæ fontes traxit, haud ambigua fide, à Lacu vicino, cui nomen fuerat Monick meer/quod *Monachi lacum* sonat; qui Lacus nunc aggerum molibus exclusus, pars sinus maris, cuius ingluuie cum cæteris pluribus absorptus est, corbitas nauesque frumentarias tutâ statione accipit, defensas insulæ, quam modò nominaui, oppositu. At enimuerò haud constare sententias in Marcken.

tias in tantâ antiquitatis ignoratione video, à Monychóne quopiam (non illo Centauro, quem Iuuenalis totas ornos iaculatum fabulatur) loci lacusque domino, an monacho delubri custode vicique ædituo, Lacus nomen sortitus fuerit: vero tamen non est absonum, Monacdamum, extrito atque adeò exciso, vel per hiatum absorpto vocis vmbilico, quod quondam Monicmeerdamum, fuisse dictum: nihil interim repugno meliora docenti. Retiarium enim cum Pittaco agere non est animus, vt mirmillonem circumuentum deijciam. Nec me clam est, esse qui à monachi specie, quem insignia oppidi clauâ nodosâ instructũ, ceu alterum quendam Herculem clauigerum præferunt, nomen deriuaturi sint, sed cuius historiæ testimonio id approbaturi, nescio, neque veri periculum ad me recipere stat animus. Hoc oppidũ extitisse ad annum salutis CIↃ. CC. LXXXVII. reperio, quo tempore Frisij Episcopo Traiectensi suppetias laturi eò cum classe appulerint.

WESOPVM.

WESOPVM, quod à Carolo postremo Gelrici nominis regulo captum & succensum fuit iniectis in tecta arundinum tegulo operta facibus, dum nimium sui confidentes ciues præsidiarium militem admittere cunctantur, oppidulum hinc muro cingitur, inde Vectâ amne, qui è Rheno Traiecti originem suam ducit, alluitur: est non pœnitendum nunc florentibus vtcunq. rebus & raræ texturæ pannificio, cuiusmodi leuidensam Tullius nominat, clarum. Oppidanorum res sunt satis lautæ, ædificia pro loci conditione splendida, ad crepidinem præsertim labentis amnis. Reperio & ad annum 1356. incendio fuisse absumptum vnâ cum vicinâ Mudâ, per Traiectensem Præsulem ex Herculanâ familiâ vnum. Distat Amstelodamo ad duo miliaria.

MVDA.

MVDA.

MVDA ad Vectæ amnis os sita gaudebat olim, & inani nomine oppidi fruebatur, quùm mœnibus bonâ ex parte careret; nunc portis qualibuscunq. & vallo septum ac muris, sed humilioribus & intermedio spatio interruptis, solas domorum vicinias binas, ponte iunctas, medius interlabitur amnis iam dictus. Incolas habet plærosque omnes piscatores. Adiacet illi arx opportuna satis ac munita vtcunque ostio Vectæ in Austrinum sinum decurrentis, captiuitate Florentij Quinti nobilitata. Distat Wesopo ad tria passuum milia. Mudam fortuito incendio corruptam, reparatisque ædificijs nouam, biennio pòst cremauit iterum Gelrus ante annos aliquot. Indigenæ fabellam narrant de Sirenis à se captæ & dimissæ fatali sibi elogio, quo prædixerit Mudæ nunquam ampliorem fortunam esse expectandam: de quâ qui istud commemorat Hermannus Goudanus, se fabulæ fidem non habere, euenta interim rem satis docere testarique perhibet.

NAERDENVM.

NAERDENVM oppidum muris arduis, ijsque vitibus fermè vestitis, circundatum, textoria officina dici non iniuriâ possit; vsqueadeo plæriq. illic omnes radio telas percurrunt & insilia calcant, aut pedibus argutantur fulloniamq. exerçent; domuum structurâ & elegantiâ impar est Wesopo. Hîc iuuentutem docet Lambertus Hortensius quem Monfortium in lucem extulit, egregius Satyrographus, & Germanicarum & Vltraiectinarum rerum scripto celebris, qui istud oppidum eleganti carmine exornauit, & ab Aquilâ Imperiali, quam in clypeo suo expressam huc vsq. ostentat, nominis originem trahere affirmat. Est autem caput ditionis Goedelandæ, quam corrupta & vitiosa consuetudo Goeylandiam nuncupat, olim ab Othone Imp. eius appellationis primo, Goedelæ cœnobij Altenatis antistitæ dona-

Lambertus Hortensius.

Goedelandæ caput Naerdenum.

tam, atque illius nomine ceu magno auctoramento ornatam, à quâ transisse ad Hollandi Principis ius in loco beneficij annotatum legitur. Porrò creuisse istud oppidum è ruinis veteris Naerdæ, quam solo tenus captam Traiectinus Præsul ex Herculanâ familiâ, multis funestus, euerterat, creditur: vbi nunc monachorum sedes visitur maris sinui vicinius. Hoc oppidum ante triennium in fatali istâ & luctuosâ tempestate, præter fas & æquum, contra omnia diuina humanaque iura, calamitas miserè afflixit, quando deditione apertis portis receptus Hispanus miles, corruptis dolo fœderibus, cuncta indignissimis cædibus, incestis, stupris, flagitijsque compleuit, nullâ sacramenti, nullâ ætatis sexusque habitâ reuerentiâ.

GORICOMIVM.

GORICOMIVM copiosum oppidum & opulentum, nominis haud postremi, è tenuibus initijs ad magnarum opum affluentiam prouectum. nominis enim trahit originem à tenuium & egenorum piscatorum, quibus calami, nassæ, & algosa retia, vt Theocriticis illis, opes erant, colluuie: qui gurgustia sua ad cõfluentes Lingæ segnis & cunctabundi amnis, vbi cum Vahali & Mosa confunditur, habebant, & ob inopiam ac rei priuatæ egestatem per cõuitium, Gorckij/ vernacula voce nominabantur. qui huc immigrare compulsi sunt à suo dynastâ Ioanne ex Herculanis regulis septimo eius nominis, qui locum præsidiarium antea castris Herculanis vicinum in oppidi faciem mutauit, muris illud circundedit, arcem cultissimam, munitissimũ & elegantis structuræ opus, adiecit; idque ad annum salutis millesimum ducentesimum & tricesimum. Mercatum habet quotidie frequentem, quem ingens omnis generis auium rerumq. esculentarũ affluentia & hubertas exornat, opum luxusq. materia. E summâ templi turri, cœlo sudo & sereno prospicere licet & oculis designare vicena bina oppida muris clausa, præter pagos innumeros & villas, spectaculum lumini-

luminibus gratissimum. Vicinus est illi ager Herculanus, vbi castra metatum Herculem Alamannicum, non Thebanum illum monstrorum domitorem à Græcis tantopere decantatum, fabulantur: quẽ nominis ob egregiam virtutem æmulum crediderim; quòd viri olim strenui Hercules dici affectarent, vt Reges Ioues, vt Neptuni mari potentes. quâ ratione in septentrionali Oceano Herculis columnas famâ vulgatas memorat Tacitus, siue illas adierat Hercules, siue quòd in claritatem herois referri consueuerat, quicquid vbique terrarum magnificum est & celebre. De quibus obiter, quâdo aperit se occasio, dicam quod sentio. Rupes eminet excelsa in mari septentrionali sub Noruagiâ, religione sacra, ad quam vbi peruentum fuerit, tyrones quibus mare illud nauigatum non est, statis cerimonijs inauguratos excipiunt, maloque nautico alligatos marinæ aspergine, quam haustro affundũt, ceu libamento quopiam expiant. Ea in hodiernam vsque diem mutilatâ voce siue ab Hercole, siue à columnâ, *Col* nautis indigitatur. Itaq. Altamerus erroris damnandus venit, qui Gaditanas illas columnas in borealì plagâ querit. Neque minus turpiter lapsus est Ant. Scoenhouius in epistolâ quâdam iudicium de Columnis Herculis suum interponens, dum in mediterraneis locis statuit, quod mari assignauit Tacitus; falsò etiam huic scriptori mendacij notam aspergens, quasi qui in Frisijs eas columnas posuerit, quæ in Tencteris visantur, quum in Tacito id nusquam lectum sit. sed eius verba non grauabor hîc apponere, cùm vt error è multorum animis qui fidei multum literis illis tribuunt eximatur, tum vt narrationis inauditæ nouitate animos legentium nonnihil recreem, leuando tædium. ita autem scribit: *Non possum præterire hîc columnas Herculis, quas Tacitus in Frisijs fuisse magnâ celebritate commemorat, quarum reliquiæ in tractu Tencterorum adhuc visuntur, vico Roelden, haud procul Coeuordiâ oppido, non sine spectantium admiratione: sunt enim singuli lapides (quorum non paruus aceruus est) tantæ magnitudi-*

Herculis Columnæ.

Col. Altameri error.

Ant Scoenhonius.

nis, vt nullos currus, nullas naues admittere posse videantur. Neque ibi fodinæ lapidum sunt, vtpote loco paludoso, quare suspitio est illuc à dæmonibus, qui Herculis nomine ibi colebantur, adductos fuisse: stabant enim super columnas aræ (saxa vocant Itali, vt inquit Poëta) ad quas viuos incolæ immolabant, maximeq; aduenas, quos prius quàm mactarent, transire angustũ foramen, quod sub aris erat, cogebant, transeuntem stercore insectabantur ac petebant; quod & hodie faciunt, præsertim Brabantum nacti, vnde cædes oriuntur sæpenumero, Foramen illud ob ignominiã, Dæmonis cunnus appellatur, immolatio à D. Bonifacio sublata est. Hactenus ille, de columnis lepidam fabellã, de loco apud Tencteros merum somnium percensuit; siquidem Tacitus manifestum facit per Oceanum illas peti, vbi ait, *Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri.* Sed hac de re verborum plus satis. Distat Goricomium Scoenhouiâ tribus miliaribus.

LEERDAMVM.

LEERDAMVM oppidulum est muro clausum, ad tardum illum Lingam adsidens, ruderibus deformatum. Comiti Burano paret, alioqui nullius magnopere momenti, imò bustum quoddam.

HVECLOMVM.

HVECLOMVM ad eundem amnem positum oppidulum vetustum & inclinatum, arcem habet antiquissimam, Herculis Alamannici, si dijs placet, opus. Cuius domini ab Othone minore natu filiorũ Ioannis Octaui eius nominis ex Herculanâ domo, originem duxere, qui primus dominium illud à viuo patre donationis titulo accepit.

ASPERA.

ASSIDET supradicti fluuij ripis nõ scruposis aut asperis, sed gramineis Aspera oppidulum, quod amnis mutato nomine ab

mine ab oppidanis Amor cognominatus, à soni, quem placidè fluens edit, dulcedine, alluit. Huic oppido funestus fuit annus decimus sextus supra sesquimillesimum, quo internecione & panolethriâ iuuentutis ac ciuium miserabiliter à Gelris & exulibus vastatum fuit, nullo sexûs aut ætatis habito honore aut reuerentiâ. *Amor fluuius.*

OVDEWATERA.

OVDEWATERA oppidum probè munitum, muris fornicatis, ciuibus abundat locupletibus. Hãc canabinorum funiculorum, qui ad texenda retia, quorum in alecum captura vsus est, maximè expetuntur, officinam dicere liceat, quo solo ferè prouentu ditatur. Ciues falso dicterio incessuntur à vicinis & audiunt somniculosi, quod natum intelligo ex attentiore curâ, ac (si fas dictu est) præposterâ quâdam diligentiâ circa rem familiarẽ, quam ipsi parsimoniam & frugalitatem nominant, quasi eius studio in medios dies cum Horatianis pueris somnum extrahant: sed immerito suo verberari eos scommate arbitror à vicinis, quorum solet inuidus esse oculus, iuxta parœmiam Alciphronis. Hanc ante annos ducenos vicenos vi captam, & incendio absumptam per Traiectinum Præsulem ex Herculanâ familiâ inuenio.

ROTERODAMVM.

QVIN à Rotæ siue Roteræ (eo nomine riuus est in vliginosis paludosisq. campis supra Benthusiam natus) emissario nomen obtinuerit Roterodamũ, per quod in Rhenum Mosæ nomine mutatum isthîc decurrit, minimè omnium ambiguum est. Sebastiani Munsteri auctoritate, quam ego pro fluxâ dilutâq. habeo, ad annũ salutis quadragesimum secundum conditum oppidum existimant, qui antiquitatis opinionem venantur, quasi Roterius Francorum Rex ordine videlicet septimus (id artis est, subtiliter numerum

exequi in tam altâ vetuſtate) eius fundamenta iecerit, ac de ſe indiderit nomen, ibidem humatus, quod Hieronymi Gebwileri, qui Habſpurgenſium Comitũ hiſtoriam contexuit, teſtimonio in Conlectanea relatum eſt, vti indicauit mihi ſingulari vir comitate atque eruditione Gerardus Æmilius indigena, qui hac in parte noſtros conatus adiuuare ſtuduit. Quod poſtquam certis argumẽtis & rationibus doceri nequit, venitur ad notiſſimum illud in rebus ignotis perfugium, ſepulchrum fabuloſum, in quo condita fuiſſe oſſa pariter atque arma giganteæ molis hominem loquentia, olim iſthîc reperta, vulgus credulũ prædicat: quem qui non credit ex fraterculis & gentilibus illorum gigantum, qui è Britannia (vt ante diximus) in viciniam iſtam emigrarunt, is ſcilicet ad agnatos & gentiles deducendus fuerit. At commentum illud plus quàm anile, quum ſtabile ſolum fideiq́ue conſtituendæ fundamentum nullum habeat, haud difficulter ex animis eorum delebitur, qui ex hiſtoriarum ſerie didicerint, longiſſimo pòſt annorum interuallo quàm hæc fabula prodit, principatu Honorij Varamundum primum extitiſſe, qui in Francorum gente Regium honorem & principalis fortunæ titulũ affectarit ſumpſeritq́ue, quum ſi Roterius ſeptimus Rex ſtatuendus ſit, tantulo poſt Chriſti interitum ſpatio, oportuerit centum ſaltem annis ante illius natalem Francos regnaſſe, niſi breuis vitæ omnes fuerint, quos tamen ſub eo nomine cõſtat illâ tempeſtate ignoratos fuiſſe. Videtur itaque quiſquis fuit ille arguti cõmenti architectus, Pſeudo-Beroſi veſtigijs inſiſtendo, ex oppidorum appellationibus ficta Regum nomina conſuëre comminiſciq́ue voluiſſe. Repugnat & temporum ratio, quæ intra tercentũ annorum curriculum, extremæ à condito oppido antiquitatis memoriam colligit, atteſtantibus huc oppidi priuilegijs, quæ diuerſum non loquuntur. Id verò indubitatum eſt, locum, quem Roterodamum nunc inſidet, olim æſtuarium fuiſſe, atque maris refluentis æſtui extra Moſæ aggeres obnoxium. cuius rei documentum certiſſimum capi

mum capi potest è vetusti aggeris vestigijs reliquis, qui interius recessisse ab eo, quem hæc ætas Mosæ reciprocanti obiectum habet, videtur, simulque è voraginibus quas superfusus Mosa dissipato perfractoq. illo reliquit. Veterem autem illum aggerem ab Honingâ arce Assendelfiorũ dominio ad Croesuicum castellum Rotæ amni adsitum, fuisse perductum volunt, atque inde pagum Oudersciam attigisse, postremò ad Sciedami mœnia desijsse. Oppidum est copiosum, habetq. benè constitutas fortunæ suæ opes, quas pannificio non ignobili auget, sed potissimâ ex parte mari quærit alecariâ capturâ, ad quam paratos habet frequentes stato anni tempore piscatorios lembos prægrandes, vtrunq. & contra hostilẽ & maris vim tutos, holcadibus onerarijsq. propè pares, Busas nominant. Nauale habet, & portũ tranquillum & tutum, plurimarum nauium capacem, in interiore Mosæ sinu, Salmorum captura famoso, quem crepidine lapideâ è saxo durissimo coloris cœrulei ingentibus impensis communiuit. Lumen & decus immortale vrbi addidit Desiderius Erasmus, hanc patriam & genitalem sedem gratâ recordatione vbique in scriptis agnoscens, qui inter præcipua sæculi nostri ornamenta meritò habitus, quasi signum quoddam ex arce Palladiâ literatis ad imitandum extulit: cuius natales lares sacræ ædi propinquos quoties ab exteris studiosè reuerenterque adiri ciuitas (quæ pari religione illos colere debet, quâ Romuli casam Quirites) contemplatur, toties caput altius efferre iustâ gloriâ potest. Annus ab hinc nonus agitur, ex quo vrbem ædificijs nõ inculta incendium, victoris negligentiâ in turbidâ ac vehemente procellâ coortum, miserabiliter deformauit, haustis repentino ignis turbine nongentis amplius domibus, multis ad hæc correptis nauibus cum nonnullorum interitu, quos ignis afflarat audentiùs in ferendâ ope se ingerentes. Sed magnificentia ista ædium priore longè superior facilè declarat damnum quod incendio datur esse reparabile, quippe quæ è lateritiâ propè marmoream se ferre nunc quear,

Erasmus Roterodamus.

queat, si ad Augusti gloriationem lubeat alludere.

SCIEDAMVM.

SCIEDAMI nomenclationem subodorari quemuis non difficulter autumo, qui Dami significationem in superioribus expressam memoriâ complectatur, nimirum ab emissario Sciæ fluminis, quod cum Gouda riuo territorium vrbis, Scielandiam vocitatum, circumscribit; ita vt appellationem insulæ declinare non temerè possit, quando etiam vulgata indigenarum fama constanter loquitur Riuerium castellum (cuius hæreditaria possessio est penes Ioannē Matenesium, vt generis nobilitate, ita bonis animi clarissimum virum) Sciedamo vicinitate fermè cōtiguum, à Comitibus honorarij muneris vice Matenesijs donatum, in Mosæ insulâ situ fuisse. quod ipsum corroborat confirmatq. priuilegium Hollandiæ Principum, quod Sciedamenses Riui incolas nūcupat. Oppidani plæriq. arti piscatoriæ, texendisq. verriculis ac retibus in alecariū negotiū sunt operati. Oppidulo vicina sunt castellū Spierinchoucū, & arx Spania non ignobilis, quæ intestino hoc furiosoque bello deflagrauit.

BRIELA.

BRIELÆ à spatioso liberoq. alueo nomen videtur inditum, vbi Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit, vt Taciti verbis dicam, quo loco nauale prælium inter Ciuilem Batauum & Romanam classem tentatū, sed æquo Marte diremptū fuisse coniectant. Nomen non abludit ab Helio Plinij, vt fortassis ob latitudinem hostij, hæc hiela, tanquam *latus Helius*, vulgari voce corruptâ appellatum sit.

Geervliet. Voorn. Oppidum istud cum Geervlieto altero oppidulo in Vornâ insula situm est, vtrunque mediocribus fortunis, piscatores sunt plæriq. incolæ & è mari victum quæritant. Ingens cœli grauitas in ea insula est ob maris viciniam, vnde magna & anniuersaria morborum materia pullulat: ager alioqui probissimum fert triticum, ita vt cōmune hoc habeat cum Sardi-

Sardiniâ, cuius vt aër pestifer, ita ager quodammodò fœcunditatis vber habetur. quæ caussa fuit, cur, *Fiscale horreum*, non dubitarit eam appellare Saluianus.

SCOENHOVIA.

HORTORVM amœnitas & accuratus cultus huic oppido dedisse nomen putatur: quod aliud non sonat, quàm hortorum delitias. id quod ego ad pometa transferendum puto, quæ in eo tractu bellissima sunt, & felicium generosorumque pomorum natalibus Alcinoi pomaria prouocant. Oppidum in læuâ Leccæ ripâ sedet, felice Salmorum capturâ nobilitatum, creditorque è Neoporti oppidi, quod oppositâ in ripâ stetit, ruinis creuisse. perlabitur oppidum copiosum & diues canalis, siue elix ex Isela deriuatus; itaq. magna illi subuectationis commoditas ex amnibus, altero præterfluente, altero medium perlabente. Istud natale solum fuisse Christophoro Longolio, inter Ciceronianos primum facilè locum tuenti, adstruere alicubi in epistolâ ad Damianum Lusitanum scriptâ videtur Erasmus, his verbis. In Longolio ferè euenit, quod olim in Homero, hinc Gallia sibi vendicat, hinc Mechlinia sibi asserit, quũ reuera purus putus fuerit Hollandus, prognatus è patre Hollando in oppido celebri Hollandiæ, cui hortorum pulchritudo nomen dedit Scoenhouiæ. Hîc ne quis mihi protinus obstrepat, quod dico, patruus ipsius Petrus Longolius vir apprimè doctus mihi narrauit. Grauissimum mihi habetur summi in re literariâ viri testimonium, maximumq. meritò pondus obtinet, attestantis patrui fide confirmatum, vt demirer extitisse, qui auctoritatem tanti viri labefactare atque conuellere impudenter attentarint, dum Mechlinienſem geniturâ faciunt. *Christophori Longolij patria.*

ISELSTEINIVM.

ISELSTEINIVM oppidulum tenue, sed opere validum, ab exili aluco amnis Iselæ nominatum, peculium est

Comitis Burani, de cuius possessione lis cõtrouersa & inter arbitria Traiectensium & Hollandorum dissensionis plena, vtrisque illud sibi vendicantibus, quæ res decisa nondum est. Huius turris quæ templo superstat, ante biennium de cælo fulmine tacta conflagrauit, nullo alio maleficio admisso aut accepto incommodo.

WOERDENVM.

OPPIDVM est non ignobile cùm mercatu, tum splendore ædificiorum, palustri loco conditum, præsidiarium, cum arce non inelegante aut inualida, Traiectinæ ditionis olim, ad reprimendas incursiones ex Hollandia, à Gotefrido Præsule Traiectensi homine bellicoso, vt & Monfortium, opportuno loco exstructum. Assidet Rheno, nunc Erico Brunsuicensi Duci oppigneratum.

VIANA.

VIANA oppidulum quadratum, ad sinistram Leccæ amnis ripam, paruit hactenus Brederodiæ familiæ, quæ liberum illud à Regio imperio sibi semper asseruit, negauitq. esse Hollandici vel soli vel peculij: qua de re dijudicata lis nondum fuit. Castellum habet opere pulchrum & validum: territorio imperat satis lato.

WORCOMIVM.

WORCOMIVM extra Hollandiæ fines in Gallica ripa, iuris tamen Hollandici, situm est ad Vahalim, è regione Louesteinium arcem, neque multo longiùs Gorcomium prospectans, mediocre oppidum, paruit ante fatalem hanc superioris tempestatis procellam Hornano Comiti, nunc Regio fisco adiectum. Est & alterũ huic cognomine Worcomium in Frisia Transrhenana, oppidi nomine celebratum, quum nec mœnibus circundatum, nec muris aduersus hostilem vim septum sit, vici duntaxat oblongi (quippe in tria passuum millia porrectum) vicem repræsentet. quod nuper

nuper anno LXX. post inundationem inusitatam, quæ paucos ante dies præcesserat, grauem insuper à piratis, paucioribus centum, iniuriam sustinuit, impositâ graui mulcta oppidanis, auecta ingenti præda omnis generis, vnius rebellantis cæde perpetrata.

HVESDENVM.

HVESDENVM oppidum egregium ædificijs, satisque copiosum, præterlabentem Vahalim prospectat: Castellum habet elegans & magnificum, multisq. pagis latè imperat.

GERTRVDIS MONS.

GERTRVDOBERGVM sonat Gertrudis montem, à Diuæ fortasse tutelaris nomine appellatum; oppidum in sinistra Meruæ ripa situm, piscatu nobile. Vbi tanta est tamq. felix clupearum captura, Martio fermè mense, quando ordiuntur, vt die vno supra decem & octo alosarum millia retibus & sagenis capta in numerũ relata acceperim. Neque infelix est in præterlabente amne piscatio Salmonum & Acipenserum. De huius oppiduli possessione ingens fuit maiorum nostrorum tempestate controuersia, Hollandis hinc, illinc Brabantis eam sibi vendicantibus ob situs opportunitatem; eoque res processit, vt Hollandiæ Ordines solenni sacramento Principes suos adegerint, ad illius retentionem, contrà Brabanti ad recuperationẽ. Constat autem ex Annalibus Hollandiæ Nobilitatem consueuisse deducere cum comitatu suum Principem in Hannoniam abiturum eò loci vsque. Paret Arausino Principi, qui oppidum ab hostibus interceptum, operibus, propugnaculis, fossisque ita communiuit, vt inter inexpugnabilia non immeritò numeretur.

HAGA.

PRÆTER oppida & vrbes mœnibus fossisque clausa, quæ viginti & octo numerant, culta nec postremæ sortis

plura extant in Hollandia municipia, suis singularibus dotata per Principes priuilegijs, quædam à muratis vrbibus minimùm dissidentia, cùm splendore, tum cultu; inter quæ principem facilè locum tenere ac tueri quoque nemo inficiabitur Hagam Comitis (quo vocabulo significatur sepes è spinis dumisque opere topiario facta) quem delitijs suis & otio destinarunt olim Principes, & sanctiori consilio locum, nunc litibus trahendis soluendisq. dedicatum. Hic locus opibus, ædificiorum splendore, (quorum magnificentiæ vix quidquam adstrui possit, nisi inexpugnabilis ista fatorum vis, quæ procellam ab Hispania in has oras infudit, plærisque omnibus labem eademque attuliſſet) cultu, magnitudine, hortorum amœnitate, nobilitatis frequentiâ nulli cedit vrbium, vbi plura quàm bis mille ædificia numeres. Palatium habet regium fossis in modum arcis circundatum, cui piscina perampla ad septentrionem obiecta est, à Guilelmo Rom. Cæsare Hollandiæ Principe exstructum, in quo admirabilis fabrica atrij extat, quod latissimum spatio & amplissimum non trabibus colligatur, sed solis lacunaribus elegantis operis intercipitur, quorum materiam Hibernia subministrasse dicitur. Ea sedes est Principis aut Legati Præfectiue Hollandiæ, qui nunc est Guilielmus Nassauius, Princeps Arausinus, P.P. iure dicendus: in quem optimè quadrare possit Gratij vetustissimi poëtæ versus ille, *Vtrunque & prudens & sumptis impiger armis*. Eadem est sacrarium quoddam iuris & legum, vbi Senatus maior, quàm ille Deorum Consentium, causas ventilat, excutit, iudicat; maiorem dixi, quod illum bissenus numerus implebat, hic bis septenario constituitur, præter caput suum, quem Præsidem vocant, quo honorario munere fungebatur proximè Cornelius Susius, Rysuici dominus, Iuris legumque columen. Istud Senatorum collegium, olim sedere apud Graueſandam solitum, huc transtulit Guilelmus iam Cæsarei tituli accessione auctus. Haga amplissimos præterea dignitatis gradus apud se fouet, Tribunum ærarium,

rium, qui censum omnem Regis nomine annuum & precarium æs, ex Hollandiâ, Frisiâ, Tenctheris, Transisalanis, Traiectinis, & Selandiâ per dispositos quæstores ærarios accipit, quem Generalem Receptatorem à munio appellant. quo non ita pridem functus est Arnoldus Cobelius, inclytus ingeniorum Mæcenas. Habet præterea duos qui à Rationibus sunt, qui accepti expensique rationes cogunt, cui muneri destinati fuerant Numanius & Cornelius Iongius, viri otio honesto & ingenijs vberrimis affluentes ambo. Ædificijs contiguum est amœnum nemus (quem lucum Furori & Sæuitiæ dicatum fuisse consecratumque olim creditur vulgo) non feris formidabile, sed aucupijs destinatum, capreolorum pastione (quorum maculosæ interlucent pelles) frequens, annosis quercubus, & fagis alnisque vmbrosum, supra mille quingentos passus longum, minore longè latitudine, digna certè Musis sedes, in quam relaxandis à litium molestia animis caussarum vindices & Senatores sæpenumero solent prodeambulatum concedere.

VLAERDINGA.

VLAERDINGA inter oppida muris cincta multorum iudicio antiquitatis prærogatiuam fert, nunc illis viduata, absorptis simul cum arce mœnibus voragine Mosæ, qui latè ripas & littora adedit, succedaneam operam addente mari: ipsa vero nomine & genuino dicenda (vti persuadere voluit Theudericus Wassenarius, non semel mihi honoris caussa nominatus) Verdinga, à pensitando illîc æstimandoque vectigali, quòd telonium illîc esset, etiamnum reliquum Wassenariæ domui. Fabulæ, quàm historicæ fidei magis affine est, quòd nostrarum rerum scriptores rudi sæculo approbare conati sunt, de expulsis è Britannia gigantibus indigenis per Brutum Ascanij pronepotem, qui classe in maritimam Hollandiæ oram appulsi, in agro Vlaerdingo arcem Sclauoburgum condiderint, à quibus in omnes insulanos qui occidentalem plagam incolerent, Sclauorum

nomen transierit, ad illorum discrimen qui ad austrum Hollandiam obtinerent, quos Wiltos quasi sylvestres dixere, quòd hirtis corporibus Satyros mentirentur. Quod ego fabulamentum puto, quando Regino Prumiensis & Einhartus Sclauos cum Wiltis, siue Velatabis eosdem faciat, quos vires suas coniunxisse Gotefrido Danorum Regi contra Abotritos, quibus cum veteres inimicitias gerebant, dicit.

GRAVESANDA.

GRAVESANDA, quæ etymo designat Comitis arenam, oppidum fuit superioribus sæculis copiosum, mœnibusque circundatum, portuque ad Mosam nobile, nunc ab eo dissidet ad tria fermè passuum millia, agro intermedio quem alluuioni Mosæ acceptum ferre debet, auctum, Turrim habet editissimam, quæ olim Phari vicem nauigijs vsumque præbuit, ad prænuncianda vada, portûsque introitum, quo munere adhuc fungitur propter miram altitudinem. Palatium habuit olim Comitis, & Curiam, translata iam tum à Guilelmo Rom. Cæsare, cuius fundamentis ante annos viginti octo refossis, reperta fuere priscæ artis Samia vascula, extantque in hunc vsque diem palatij vestigium testantia nomina, *via regia*, Hofflaen dicta, velut *aulæ Principis via*, & ager Hofflant nuncupatus, ab *aulæ* nomine: quin & Curionis loci domus, *Gulina palatij* fuisse perhibetur. Nobilitatur caseo primæ notæ, vt antea quoque dixi, qui acri sapore linguam morsicat, & ingeniosam sitim acuit. Ager tritici & quidem optimi candidissimique feracissimus est, vt & *Poel-dicanis*, qui finitimus est. Extat isthîc Canonicorum regularium asceterium.

MEDEMBLICVM.

MEDEMBLICVM, municipium maritimum Hornâ duobus miliaribus distans, cothonem habet seu portum manibus factum, nauibus in tempestate perfugium & stationem

tionem ſecuram, eundemq; etiam nauale: ad annum milleſimum ducenteſimum ac nonageſimum, à Friſijs tumultuantibus & ferro flammaque cuncta miſcentibus, in cineres redactum fuit; arce præſidiariâ, quam habet peruetuſtam, graui obſidione circundatâ, ita vt ad iumentorũ carnes, quibus famem propulſarent, inedia proceſſerit. Fabuloſam Medæam huic nomẽ dediſſe vulgi opinio tenet, quæ ex inaurato ære in bracteâ ductili expreſſa, turriſque editiſſimæ faſtigio impoſita, procul ſignum nautis viatoribusque dederit. Radbodi Friſiorum regis iſta fuiſſe creditur* ſedes, illius quem luſtrali baptiſmatis vndâ tingendum, mutatâ ſententiâ pedem alterum aquæ immerſum reuocaſſe teſtantur Annales, quum ſuorum maiorum vmbris apud inferos, quàm inopi Chriſticolarum cateruæ adiungi, Epiſcopo ad tingendi officium iam accincto reſpondiſſet: qui planè videtur Neritæ veſtigijs inhæſiſſe; nam quum Venus (vt refert Ælianus) inter cælites nomen ſuum profeſſura, voluiſſet Nerei filium, amores ſuos, cæleſti regno inferre ſecum comitem, ille contumaciter repudiaſſe beneficiũ perhibetur, quòd anteponeret cælo, conuerſationem cum parentibus & germanis ſororibus. Intra triennium proximum vallo aggeribusque & propugnaculis in altum eductis ita communitum eſt, vt inſuperabile quaſuis ab hoſte iniurias propulſare poſſe credatur. Firmiſſimi omnium hîc ſunt aggeres, qui obices ſuo oppoſitu Septentrionalis maris furiam excipiunt, quos algâ (quæ maris eiectamentum eſt in propinquo) prætexunt; materiâ vbi ſpiſſata conſederit, tam firmâ & ſolidâ, vt moles ſaxeæ vix denſius firmamentum coagmentúmve præbere poſſint; tantopere illa ſæuientis maris proteruiam reſpuit. Ager vicinus per foſſas inciles in prata herbida, bubus opimandis peropportuna, diuiſus eſt.

*Radbodi regia.

Lib. 14. de animalibus, cap. 28.

Alga, materia aggerum.

PVRMERENDA.

PVRMERENDAM municipium repræſentatæ pecuniæ certâ ſummâ, vnâ cum arce & iuriſdictione Purmerani terri-

ni territorij, emit olim à Ioanne, Burgrauio Monfortio, Gerardus Zylius Eques. Hæc oppidi modo in plateas est digesta, elegantibus instructa ædificijs, opulenta, anguillarum capturâ quondam ita felix, vt multa nauigia pertusis carinis ad hoc concinnè fabricata, quo relinqueretur anguillis interludente vnda libera respiratio, in Britanniam quotannis Londinum mitteret, ingenti quæstu & emolumento. Nuper in fatali istâ Prouinciæ prouidentiâ, quâ iusto odio inflammata vires opesque omnes ad excludendum opprimendumq. teterrimum hostem Hispanum comparat, naturam loci operibus adiuuando, exstructis propugnaculis ad arcendam vim communiri est cœpta. Arx in fine municipij imminet Lacui Purmero (vnde loco nomen est) piscoso atq. ita spatioso, vt magnitudinē vix oculo admetiri possis. Paret Egmondanæ familiæ. In Annalium nostrorum monumentis proditam inuenio rem, quæ mihi difficilis ad fidem visa est, circiter annum à natali ortu Christi tertium supra millesimum quadringentesimum, monstrum quoddam marinum, mulieris specie, viridi musco turpe, & vndique squallens, atrocissimæ tempestatis vi è mari Oceano in sinum Batauicū, qui Australis maris agnomine notior est, compulsum, & in lacum Purmerum (quem perrupti aggeres cum prædicto sinu confuderant) eiectum fuisse; in quo dum varijs erroribus agitur, post reparatos statim à tempestate aggeres, vt solent, priusquam profundâ voragine ima aggerum fundamenta exedantur, virgines quæ bis quotidie cum mulctralibus vltrò citroq. in prata commeant, vt vaccarum vbera mulgendo siccent, monstrum istud conspicatæ fuerunt. Neque parum attonitæ principio ob nouam & inusitatam speciem, in spectri modū, mox confirmatis animis erectiores, ac mutuas coniunctasque inter se operas pactæ, circumseptum lenunculis & scaphis suis, ne quâ effugium pateret, oppresserunt; captumq. Edamum, quod oppidum Lacui quoque adiacet, pertraxerunt; vbi cibis hominum more assuefactum vesci cœpit, sono peregrino ac suspirioso

Arx Purm. Lacus Purmerus.

Ann. 1403.

spirioso potiùs, quàm vllo articulati sermonis commercio & vsu, qui piscium toti generi negatus est, manifestum. Cuius miraculi fama quum multos mortales visendi gratiâ exciuisset, quæ longè lateque emanarat, Senatus Harlemensis missâ eò legatione monstrum sibi permitti flagitauit, vt loquuntur Annales, neq. repulsam tulit. Quod plures annos, postquam eò adductum fuerat, vitam exegisse illîc, atque inter fœmineos cœtus pensa etiam traxisse, & cœmiterij honorem, postquam vitam exuerat, assecutum ob exhibitam crucis imagini reuerentiam, memoratur. Quæ omnia vt neque firmiter asseuerare, ita neque refellere omninò est animus, tũ ob eam quæ debetur publicis Annalibus fidem, tum quòd recentior esse videatur, quàm cui me opponam, memoria, à mulierculis de manu, quod dicitur, in manum tradita. Dicam tamen illud fabulæ vicinius non probari mihi, quòd fila deduxerit, quasi manus in articulos humano more distinctas discretasque habuerit: sed fidei periculum auctori relinquo. Equidem religione quâdam deterreor, ne à vetustatis exemplis discedam, quæ sanctâ illâ testimoniorum fide non carent, inter quæ constat non omninò fictum & commentitium esse, aut in poëticâ corte natum sermonem de Nereidibus, quarum è genere fuisse illam, de quâ modò sum commẽtatus, nihil ambigo: quarũ non exiguum numerum apparuisse olim in Gallico littore, D. Augusto legatus illius perscripserat. Eam certè de Nereidibus opinionem haud falsam fuisse testatur Plinius, corpus vniuersum squamis hispidum, etiam quâ humanam speciem referunt, illis tribuens; quarum in morte tristem gannitum, siue (vt manuscriptus codex habet) cantum, ab accolis longè auditum commemorat. Taceo quæ de Tritone concham inflante, deque homine marino ex legatorum (quos ob id solùm Olyssipponenses ad Tiberium Principem miserant) & ex equestris ordinis virorum illustri fide idem scriptor refert. Quid, quòd apud pagum, cui ab aquæ fuscedine Swartewale nomen est, ab oppido nobili Brielâ tribus fer-

Nereides.

Plinij locus.

me passuum millibus distantem, visatur huiusmodi æquorei monstri sceletos in æde mediâ suspensa? Venio ad recentiora & quæ ætati nostræ potuerunt esse cognita documenta, in quibus lego in extremâ Scandinauiâ, quâ Codanus sinus finitur, apud Ellebogium oppidum, Hafniæ Regni Danici metropoli è regione oppositũ, monstrum æquoreum monachi formam exprimens ad vnguem, glabro capite, rusticanâ facie, inuolucro humerario cucullı speciem adumbrante, in littus illud immanis procellæ vi expulsum fuisse, mutum, sermonis vsu defectum, vt cætera marina omnia, lamentis tantùm ac suspirijs altioribus perstrepuisse, nec vltra triduum vitam extraxisse; cuius simulachrum expressum ad Carolum V. Imper. tunc in Hispanijs agentem, à Rege Danico missum, manuque viri nobilis exhibitũ constat. Alterum in eâ Sarmatiæ parte, quam Poloniam vocamus, ad annum à partâ humano generi salute millesimum quingentesimum tricesimum primum extitisse comperio, monstrum itidem marinum, quod Episcopi habitum infulâ mitrâq. egregiè mentiebatur, ad Regem Augustum deportatum. Hæc libuit prolixiùs commemorare, quòd ista de Nereidibus (quas Mereminnas dicimus, ceu maris delitias nymphasque) opinio haud nupera sit, sed sæculis omnibus in hominum mentibus impressa sederit.

Ann. 1531.

BEVERVICVM.

EXEQVI subtiliter & ad libripendem municipiorum & pagorum, quibus vicus nomina finit, numerum, haud facilè queam. tanta illorum est copia, quam in numerato habere non profiteor, omnibus tamen vicus, patria lingua Wick/ vel Wijck/ etymi occasionem dedit. in quo Germanos falli video, qui vocem hanc pro sinu maris interpretantur, quum aliud non significet, quàm perfugium & stationem securitati dicatam, vbi coniunctioribus ædificijs habitabant, qui commune periculum depulsum volebant, vt multitudine hostes arcerent, & piratis maria infestantibus se

Vicus quid?

bus se opponerent. In his se primum offert Beueruicum, quod sonat Bauarorum, qui & Baioarij, vicum, sedem, & perfugium; (videntur enim Francorum Reges possessâ Hollandiâ, militibus veteranis aut emeritis, qui sibi militarant, nationatim vicos agrosque habitandos dedisse, ijsque inde nomen feciſſe, vt ex sequentibus patebit.) municipium duobus Harlemo milliaribus disiunctum, loco opportuno ad sinum Tyum adsidens, duobus passuum millibus ab Oceano distans, amœnissimas nobilium villas in vicinià prospectans. Præcipuæ tamen nobilitatis est Catuicum, à Cattis Aboriginibus nostris, qui Principem suum Batonem prosecuti, sedes ad Rheni medium alueum, non procul ab ostio, quo se in Oceanum exonerabat, posuerunt, quem locum fuisse olim frequentem & copiosum, ob ostij commoditatem & faciles è Britanniâ appulsus, atque opportunas subuectationes credibile est, sed barbarorum incursionibus & piratarum non semel dirutum & deuastatum. Videntur autem Catti duo præsidiaria munimenta præter vicum suum condidisse, tuta vtrinque perfugia aduersus hostilem vim, si ingrueret, nimirum Suyduicum Wassenario pago vicinum, quo loco molendinum nunc visitur versus meridiem, seruatque corrupti nominis vestigium in Suijck contracti, & alterum Nordouicum versus Septentrionem, quamuis huic pago Nortmanni è Danis & Suionibus profecti auspicium nominis dedisse ab alijs credantur: cuius dominio fruitur Ianus Douza meus, summo & ad vnguem facto ingenio vir, omnes olim absoluti Poëtæ numeros expleturus. Accedit huc Oesteruicum, quà ego sedem fuisse olim Æstrorum, siue, vt nunc pronunciandi cacoëthes inoleuit, Ostrorum, deierarem, nisi priùs à Foppone Herculano, *Eteruicum*, indito nomine dictum fuisse Annales traderent. Præterea Naelduicum Naelduicenæ stirpis hæredium intermortuæ, Arenbergæ Comitum, clientelâ illustre municipium, collegio Canonicorum non tam insigne quàm Martini Dorpij, Theologi, & non infelicis poëtæ, natalibus.

Beuerwijck.

Catwijck.

Suydwijck.

Noortwijck.

Oosterwijck.

Naelwijck.

Ad pagum Naelduico vicinum, cui Monasterio nomen, lapis inuentus est, dum nouale aratro proscinditur, erutus, translatus inde Sionem, quod cœnobio monachorum Delphis suburbano nunc diruto nomen fuit, intra octogesimum annum, quem, substituto meliori è marmore exemplari apud incuriosos antiquitatis monachos, Hippolytus Persinus Vltraiectini Senatûs præses, antiquitatum studiosissimus, in villam suam Hagæ propinquam transposuit, qui ita loquitur,

IMP. CAES.
M. AVREL. ANTO
NINO AVG. PONT.
MAX. TR. POT. XVI.
COS. XIII. ET
IMP. CAES.
L. AVREL. VERO AVG.
TR. POT. COS. II.
A. M. A. F. C. A
M. P. X. II.

Rijswijck. ADHÆC Rijsuicum, quod à Rugijs Æstrorum finitimis populis, quibus, vt dixi, ad culturam datum sit, nomen habere crediderim, vel à reliquijs Gigantum illorum (quos vernaculum idioma Rusos appellat) qui è Britannia pulsi occiduam illam plagam inuasere atque incoluerunt. Quid enim ad rem facit, si viminum perfugium huc aduoces? In hunc ordinem veniunt Stôluicum, caseorum molibus & bonitate non incelebre; Bleijsuicum, cuius dominium ad Bronchorstiam familiã transijt: Baerduicum, cuius nominis originem non libenter Bardis Gallis attribuerim, multò iustius Langobardis, Germaniæ genti, qui pagus gaudet domino Cornelio Iongio, amœnissimi ingenij viro; Brantuicum, an à Brennis nescio: Scalcuicum duplex: & Hontsuicum.

Stolwijck. Bleyswijck. Baerdwijck. Brantwijck. Scalcwijck. Hõtswijck.

NEO-

NEOPORTVM.

NEOPORTVM è regione Scoenhouiæ, ad alteram Leccæ amnis ripam, perhibetur fuisse satis copiosum & opulentum oppidum; sed vt caduca & fluxa est mortalium rerum conditio, atque interitui obnoxia, ita & oppida olim florentissima pessum ire videmus, multa etiam in cadauera conuerti; estque nunc municipium mediocris conditionis.

SCAGA.

SCAGA quoque municipium elegans est & copiosum, oppidi instar contiguis ædificijs habitatum, à foro in ternas vicinias excurrit, vt trifidum dici aut trisulcum queat, alioqui extra has plateas vicatim habitatur, vt olim nobilis illa Lacedæmon, in multos namque vicos sparsim agrum occupantes diuiditur: solum habet totâ Hollandiâ fertilissimum herbidissimúque: locupletibus abundat & pecuniosis ciuibus, habet arcem non inelegantẽ. paret nunc Ioanni, Bronchorstiâ matre genito, Scagæ & Burchorni Domino, qui stemmatis sui originem cum maioribus suis refert ad Bauarum Principem Albertum, Hollandiæ Comitem. Hactenus vrbes & cum oppidis municipia stylo percurri, nunc de arcibus nonnihil adtexere placet.

CAP. XVIII.

De Arcibus Hollandiæ & castellis.

VRBIVM inuentionem, ceu præclarum munus, acceptam tulerunt prisci mortales Palladi, quam propterea πολιοῦχον, ceu earum tutatricem illustri epitheto condecorarunt. Cui vt primæ conditrici arces consecrauisse cum Marone Aristides Smyrnæus & Cornutus testantur, siue quòd ratio, quæ sub huius Deæ nomine designatur, vrbium & Reipub. incrementa promoueat, vt Martiano Felici videtur, siue quòd eam mundi mentem esse summaque obtinere

Palladi cur arces consecratæ.

Arces ab arcendo dictæ.

tinere crederent, quemadmodum arces in editioribus tutioribusq. vrbium locis condere solebant, ad arcendum faciliùs hostem, vnde nominis origo manauit, vt arbitror, non autem ab Arcadibus, vt Solinus putauit, quòd ipsi primi ardua montis Romæ insedissent. Quod autem antiquitati solenne fuit, vt excelsa loca fundandis arcibus deligerent, id maioribus nostris aduersus pericula tutius visum est in paludibus terrisque vliginosis fieri: quòd illa agendis cuniculis opportuna sint, in his cunicularioru operæ in subruendo eludantur. Cæterùm arces & præsidiaria castella geminam fermè naturam solent induere, vti scitè disseruit Damascius Syrus philosophicæ historiæ scriptor, quippe quæ vt arcendis hostibus ac tuendæ libertati plurimum cõferre & commodare videntur, ita eædem plærunque causæ sunt seruitutis atq. extremorum malorum: id quod non domesticis modò, sed externis quoq. exemplis confirmari potest, quæ alterius loci atque temporis propria est disputatio. Castellis, quæ arcium modo muris cinguntur & vallis, passim exstructis Batauiam Romani olim aduersus vim si ingrueret, vtque in officio subditos continerent, firmarunt. Meminit Tacitus castelli cui nomen Fleuum, haud dubiè Fleui ostio appositi, vbi non spernenda manus Oceani littora præsidebat, à Frisijs rebellantibus obsessi. Idem mentionem facit castellorum plurium, quæ præfecti cohortium quum posse defendi desperarent, inflammarunt, quum Caninefates excidijs illorum imminerent duce Brunone. Florus in Rheni ripâ quinquaginta amplius castella à Druso erecta fuisse prodidit. Abundauit olim Hollandia arcibus castellisque ante calamitosa infelicis Principis Iacobæ tempora, quando flagrantibus ciuitatum nobilitatisque funestis dissidijs, intestina seditionum ac discordiarum tempestas erupit, plebemque in furialia arma concitauit. Tunc enim immanis illa popularium procella ac turbo cunctas passim arces obtriuit, diruit, soloque æquauit. Neque hîc modum furor indomitus statuit aut terminum cepit, nisi etiam mutuo laniatu dum

niatu dum iugulos feriendo desæuit, animas quodammodo alternas negotiari visus fuisset. Sed hac de re in historiâ illorum temporum, vbi eò ventum fuerit, iustioribus querelis agendi locus erit. Enimuerò perpaucæ tunc arces communem fatalis illius & interneciui belli calamitatem subterfugerunt immunes, quas hostile ferrum intactas stare permiserit. Inter eas quæ nostro sæculo extant, primum facilè nobilitatis antiquissimæ ordinem tuentur Egmondana arx, & Brederodia, illa arduâ & elegantis vetustiq. operis structurâ celebratior est: hæc deformis ac tantum non ruinosa, & ab arcis cadauere parum dissidens, cuius ego rei non aliam reperio caussam, quàm quòd omnibus impensis parcitum sit ab eâ familiâ, quasi fato quodam præpeditâ in restaurandâ reficiendâque arce, quam vitium feciſſe norant, ex eo fortasse quòd malè perpetuarios hæredes ex beneficij tabulis se cognoscerent, si virilis stirps deficeret. Illa prior, quondam *Rijnegom* nuncupata, nunc ab hæredij, in quo sita, *Hoeui* appellationem nacta, ad quinque millia passuum abest Almeriâ, ad mille ab Egmondano cœnobio longè vetustissimo, Benedictini generis monachis, qui foro piscario mancipati olim viuebant, destinato: vbi bibliotheca celebris omnis generis scriptis codicibus & præsertim membranaceis, quos diligenter magnâ curâ cùm Priores alij, tum Gerardus ex Poelgeestanâ stirpe Abbas vndecunque conquisiuerant, raros auctores ostendit, è quibus dolet mihi interijsse intra quindecim proximos annos, magno literariæ Reipub. detrimento, Lactantij Firmiani epistolarum libros duos, quorum meminit nominatim D. Hieronymus: quos dum ad me cogitat, editioni destinandos, mittere Antonius Houæus illîc religioni operatus, vir doctus, qui posteà Abbam Absternacensem prosperâ famâ egit, repperit à bibliotapho quopiam librorum plagiario sublatos: atque ita disperijt ille thesaurus, ab hæredibus sacrifici, in quem cadebat suspicio, in cucullos & piperis inuolucra concisus. At Brederodia arx medio itinere inter Harlemum & Beueruicum sita, præter ruinas

Brederodia arx.

Egmondana arx.

Egmondanũ cœnobium.

ruinas flebiles quibus labat, ab arenâ etiam fabuletorum, quæ vicina ingruunt, obrui paulatim agros suos sustinet, graui & fatali veterno obsessâ iampridem eâ stirpe. Est &

Teylingia arx. Teylingia arx, Iacobæ Principis delitiæ, Saxenheimo (vbi Saxonum reliquiæ à Carolo Magno transmissæ consedisse creduntur) vicina, iam olim infamis nocturnis ostentis & vmbrarum illusionibus, si vera narrantur. Habet ad alteram Leccæ ripam, è regione Scoenhouiæ oppidi, Ericus Brunsuicensis Regulus arcem operibus validam, muris latissimis valloque opportuno communitam, cui Liesueldæ

Liesuelda arx. nomen est. Apud Woerdenum similiter idem habet arcem,

Woerdena arx. olim validam, quum arma Traiectensium metuebantur, nunc longæ pacis beneficio neglectiùs habitam. Apud Vianam quoque extat Brederodijs firmissima arx, vallo altissimo, septoque è spinis implexis conserto cincta: & altera

Ameida Ameida medio itinere inter Vianam & Neoportum, sed minoris firmitatis munimentum. De Medemblicensi arce superiùs à me facta mentio est. Assenburgum arx est dynastæ Assendelfi peculium, vltra Beueruicum, opportuno loco & amœno situ nobilis. Idem vicinam habet alteram Ro-

Assenburgum. terodamo, cui Hœningæ maiores indidere nomen, turritam, structurâ magnificam, & opere locique naturâ præualidam, solo vliginis pleno facilè hostilem incursionem excluſuro. Goudæ cum Gorcomio præsidiariæ suæ sunt arces,

Hœninga arx. in prioribus dictæ, hæc ab Herculanis, illa à Bulosio Comite ad Iselam flumen, cõditæ. Mudanam arcem in prioribus diximus, & Abcoudiam inter nobiliores familias. Apud Hemesskirckam reliquus supereſt castelli circus, pyrgum Lugdunensem circinato ambitu referens, in hoc diuersus quòd Lugdunensis in arduo tumulo eminet, hic in vliginosâ palude copijs quantislibet fermè inaccessum aditũ præbet, in cuius meditullio editissimum stetisse olim perhibetur, turris modo, ædificium nouem contignationes altum, sic vt nautis vela facientibus phari vsum exhibuerit, dum cursum eò dirigunt aut deflectunt, cuius possessio à Comi-

tibus

tibus profecta ad Septimontanũ Regulum defluxit, inde in Arenbergium Comitem hæreditario iure transcripta. Habuit & Adrichemia familia turritam arcem Beueruico vicinam, per Frisiorum incursiones solo æquatam, in cuius ruinis villam suam muro egregij operis circumduxit Antonius à Burgo per matrem Adrichemiæ stirpis hæres. Vetus arx Riuerium, nomen habet ab amne (quem Riuieram vernaculus sermo vocat) Mosâ, in cuius gurgite antiquitus stetit, nunc alluuionis beneficio ad mille passuũ & amplius interuallum ab eo disiunctum, quondam Hollandiæ Comitum peculium, Matenesiæ genti à Principibus condonatum, postquam interierat castellum familiæ cognomento dictum, à Sciedami oppiduli mœnibus fossâ intermediâ interstinctum: in quo vetusta turris eaque excelsa quadrato opere in sublime surgit, ita vt phari vicem propemodum præbere potuerit; cuius dominium ad Ioannem Matenesium virum cùm politicis virtutibus, tum nobilitate generis clarissimum spectat. Keneburgum non postremi nominis castellum ab Othone Egmondano possidetur. Mereburgum ad Marnam Rheni elicem, vnde nomen trahit, Vincentij Lochorstij domini proprium. Dunium castellum apud pagum Seuenhusum, cuius situs fuit olim medio in saltu, in rudetum aliquando collapsum, cuius possessio est penes clarissimum virum Iacobum Dunium, Sprangæ dominum. E castellorum arciumque numero, quæ aut edax vetustas aboleuit, aut immanis atque intoleranda populariũ (qui nouas semper res moliti fuisse leguntur) barbaries diruit; nomina aliquot Annalibus memorata prætermittere nolui, ne eiusdem particeps criminis communẽ cladem fouisse videar, aut saltem non improbasse, quum dolendum sit ac deplorandũ quoque, defuisse Principibus nostris potestatem, ne dicam voluntatem comprimẽdi refrenandiq. furoris intestini. Antiquissima memoratur in ore hominum celebris arx Elini (quem tantum non alterũ Midam faciunt Annalium scriptores, ab asininis auribus Eselorum

Adrichemia arx.

Riuerium.

Keneburgum.

Mereburgum.

Dunium.

Castellorũ & arcium destructiones.

Elini arx.

appellantes) non procul dissita ab Hagâ Comitis, Vorburgo pago vicina, quæ multorum iugerûm spacium circuitu complexa dicitur, fidemque rei faciunt ruinæ & subterraneæ substructiones, in quibus effossa fuere superioribus annis infinita omnis generis nomismata, inter cætera vidi & aureos nummulos ab aduersâ parte Elinum loquentes, ab alterâ Dorestatum, quam vrbem Batauodurum Tacitus dixit. Repertus ibidē fuit & quadratus lapis, cui in proscindendâ tellure impactus vomer vulneris nonnihil inflixit, quem antiquitatis æmulatione quâdam insertum quercui ante villam suam, è regione agri in quo inuentus est, apud Rijsuicum locandum curauit Henricus Crusius, Benthusij dominus, vir spectabilis. præfert autē hanc inscriptionem:



SAXVM istud quum attentioribus oculis haud dubiè vetustum vnâ mecum legendo percurreret Henricus Iunius, qui istius antiquitatis fenestram primus mihi aperuit, subdubitasse iam antè nonnihil de numero isthic contento ingenuè professus est, recténe haberet an secus. At ego in eodem prope luto hærens, de Seuiris Sexumuirisúe non ambiguum

ambiguum mihi esse respondi, de scripturâ non liquere, quâ facili momento de persuasionis ponte deturbari possim, nî saxum haud ementitæ vetustatis suam mihi fidem approbasset. Itaque cuncta rimanti, commodùm se obtulit monimentum, quod ad Nicrum alicubi extat, Rotenbergæ, nisi fallor. FORTVNATVS IIIIL VIR NEGOCIATOR &c. alterum Augustæ:

DEO SILVANO TEMPL. CVM SIGNO VETVSTATE CONLAPSVM SEX. ANTONIVS PRIVATVS CIVIS TREVER. IIIIL AVGVSTALIS PECVNIA SVA RESTITVIT.

Item Placentiæ in Insubribus:

L. PLOTIO ATIMETO IIIIL AVGVST. &c.

frequentissimus tamen scribendi vsus passim in marmoribus saxisq. occurrit, hoc pacto VI VIR. è quibus vnum modò insigne huc adscribam Interamnæ repertum.

PROVIDENTIA TITI CAES. AVG. NATI AD AETERNITATEM ROMANI NOMINIS, SVBLATO HOSTE PERNICIOSISSIMO P.R. FAVSTVS TITIVS LIBERALIS VI VIR AVG. ITER. P. P. S. C.

Ratissimè verò scriptũ inuenias pleniore scripturâ SEVIR. quod Mediolani de C. Plinio Sec. legas, SEVIR EQVITVM, & Capuæ, L. PHILEROTI SEVIRO AVGVSTALI. Eum honorem Valentiæ in Hispan. expressum marmor seruat; C. TERENTIVS ONESIMVS IN HONOREM SEVIRATVS SVI. &c. Atque ista quidem per occasionem de Seuiris non inutiliter adiecta sunto: in quibus Augustales dicebantur qui ab ipsis Augustis constituebantur. Cæterùm vt ad institutum vnde deflexit oratio recurram, Idem ager, de quo dixeram, vitreum lecythum effudit herbacei coloris, crassum ac proinde grauem, ansâ latâ, eâque rhomborum instar crenatâ, quem curiosè idem nobilis vir asseruat. Protulit idem ager & tudiculam auream repræsentantem incerniculum, quodam tenuium foraminum labyrintho per-

tusum mirandi operis atque adeo inimitabilis, aurificum confessione: cuius materiam sunt qui electrinam augurantur: maior portio merum se probat aurum: brachium, quod manu tenetur, auro improbiore constat; id quod lacunulæ, vitio terræ salsuginosæ altiùs insidentes, loquuntur. Extat apud Adrichemium veterum sigillorum amatorem Hagæ.

Hildegardis castellum. Redeamus ad castella & arces. Hildegardis castelli vnâ cum templo ruinæ in editiore tumulo, qui in solo circumquaque vliginoso & plano in speciem tribunalis assurgit, miliaris fermè vnius spatio à Roterodamo disiunctæ visuntur, in quo Hildegardis fatidicæ fœminæ, alterius cuiusdã Sibyllæ aut Carmentæ (cuius effata atque oracula præsentem temporum conditionem pulchrè exprimentia inspexisse aliquando memini) ædificium stetit, turris lacera supereſt, dominium nunc penes Ioan. Matenesium, cuius facta paulò antè mentio est. Intra Roterodami mœnia extant

Bulgersteinũ. ruinæ castelli Bulgersteini, à Bulgaro fortè quopiam dicti, siue illud gentilitium nomen fuerit, siue nationis: neque longius ab eo oppido ad Rotæ ripam ruinæ arcis Viennen-

Wena. sis, quæ *Wena* deprauatè nominatur, *Curia* vulgò dicta, vnde & oppidi portæ nomen mansit *Curialis*. Visuntur ad

Sterreburgũ. Sciam amnem & vestigia castelli Sterreburgi, siue à depictis stellis, siue à positu turrium stellæ hexagono non absimili nuncupati, cuius possessio longâ serie ad Duueuordiam stir-

Capella. pem refertur. Arcis Capellæ vetustissimæ ruinas & vestigia ostendit ad amnis Iselæ crepidinem pagus cognominis, Naelduicenæ domus quondã peculium, nunc Arenbergij

Hodenpiliorũ castellum. Comitis hæredium. Hodenpiliorum nobilis minimeque obscuræ olim gentis castellum in Vlaerdingensi solo dirutum iacet. Similem cladem senserunt arx Polana fundatis-

Polana arx. simæ Polanorum familiæ, Equestri splendore claræ, in eo-

Binchorstum. dem territorio: & Binchorstum in luculentâ stirpe, Hagæ vicinum, sub idem tempus per plebem nobilitatemque in factiones diuisam, quarum alteri nomen à *pisce asello*, (De Cabbelausche) alteri ab *hamo*, (De Houtsche) nomen erat, euersa

euersa soloque æquata fuerunt. Arx Velsena disiecta lacerasruinosasque parietinas adhuc ostendit, ob parricidiale in Principem fœdè trucidatum nefas communibus Hollandiæ Zelandiæque armis expugnata atque euersa. cuius exauguratæ fundum Ianus Doûza, Musarum delitiæ, possidet: atque in eius viciniâ ad teli iactum paucis abhinc annis egregiam villam castelli modo latâ fossâ circundatam ab Hadriano Groeneuenio Harlemensi ciue exstructam videmus. Sanda, siue Sandeburgum Comitum castellum iam olim in ruinas dissipatum, interijt, ab arenario solo, vt apparet, nomen adeptum, postquam Guilelmus Roman. Cæsar curiam à Grauesandâ transmouit. Eandem in conditionem venit & Zilia castellum, vulgò Curiæ Zilianæ nomine notum, quod Ziliæ Rheni elici adsidebat. Supersunt Doûsia castellum ad elicem Rheni Doûsiam situm, vnde illi & familiæ clarissimæ nomen. Altenacum à nimiâ viciniâ, quâ Delphorum vrbi grauius videbatur, si quando obsidio timeretur, sic dictum, Adamus Almondius obtinet, nuper ab oppidanis incendio corruptum. Croesuicum vltra Rotam amnem: Locuesteinum arx validissima in diuergio amnium Vahalis & Mosæ inter Goricomium & Woricomium ædificata: & Honsela arx speciosa Naelduico vicina.

Velsena arx.
Sandeburgū.
Zilia arx.
Dousia.
Altenacum.
Croesuicum.
Locusteinū.
Honsela.

CAP. XIX.

De Nobilitate Batauica.

INLVSTRIORES nobilioresque gentis Batauicæ familias, quas aut priscis sæculis extitisse comperimus, aut superior ætas & auita memoria cognouit, aut præsens quoque sustinet, enarraturo mihi operæ visum est pretium fore, si veræ nobilitatis imaginem expressam ob oculos repræsentarem scripto: eoque magis, quo in hunc ordinem irrepere, & Palladium (quod dicitur) obtinere plærosque citra delectum, velut aduentitios, animaduersum sit, cerdones, schœnoplocos, restiones, mercatorum liberos, qui claritudine loci, quem natalem nacti sunt, aut quem peregrinatio-

ne religionis ergô ſuſceptâ acceſſerunt, aut qui datis repræſentatiſque nummis, municipij, ſatrapiæ, arcis ve titulum, ius, vſum, alioſque honores mercati ſunt, Nobilitatis glorioſo nomine venditare ſe præſumpſerint: haud equidem ſcio, quàm honeſtam manifeſtæ ac pudendæ præuaricationis cauſſam dicturi, ſi profanationem ordinis anteſtari liceret. Neminem enim aliter opinaturum exiſtimo, quâ quòd genuina nobilitas ea ſit, quam vel virtus vitæ ſocia exornet, vel mortis comes gloria cohoneſtarit. Neque verò torques, non armillæ, non abaci argenteâ ſupellectile graues, non pretioſa ſyntheſis, non ſegmentatæ & intercurſantibus mæandris lacinioſæ veſtium oræ, non in aſtragalis lunulæ, non latifundiorum poſſeſſio, non ampla hæreditas, non fumoſæ imagines, quibus atria fulgeant, non obſoleti clypeorum vmbones, non denique opum apparatus & ſplendor nobilitatem ſecum adferunt, quum in virtutis actione iſta, dum vita ſuppetit, conſiſtat, aut in glorioſo interitu conſumatur. Ianum nobilitauit eximia in rebus prudentia, quæ Bifrontis nomen illi conciliauit. Cecropem pudicitiæ & virtutis amor, dum promiſcuos belluarum ritu concubitus legitimi connubij frenis coërcet. Hercules & Theſeus è domitis ſublatiſque monſtris orbi terrarum grauibus & exitioſis, per ærumnas & pericula nobilitati ſunt. Codrum quis noſſet, niſi ſuo iugulo patriæ ſalutem quæſiuiſſet? Antonino Imper. paterna origo à Numa, Pythagoræ inſtitutione claro, nobilitatem maiorem addidit. Fabijs, Lentulis, Ciceronibus, Piſonibus inluſtribus familijs, quarum memoria libri omnes redundant, an fabas, lentes, ciceres, piſa, aliaque id genus legumina, quibus agros conſerere erant ſoliti, quum ex agris ad imperia vocarentur, nobilitatem & nominis claritudinem conciliaſſe putabimus, ac non potius res magnas domi foriſque geſtas? ita Metellis, Scipionibus non natale, ſed res quas fortiter geſſerint pro aris fociſque, & actam innocentiſſimè vitam, nominis dignitatiſque extitiſſe initium, diſertè ait Cicero. E diuerſo, Gabinio, altâ

Vera nobilitas quæ?

nobilitate,

nobilitate, blandâ videlicet conciliatriculâ (vt eiusdem vtar verbis) freto, ac propterea ingentes spiritus sumenti, flagitia plus obscuritatis, quàm splendoris luciscque claritas generis vetusti attulerunt. Rectè gloriari mihi videtur Cicero, se nobilitatis claustra refregisse, vt ad summos honores non magis nobilitati, quàm virtuti aditus pateret. Præstat itaq; rebus rectè gestis florere, ac nominis claritudinem vel eâ viâ, vel ingenij cultu comparare atque extendere, quàm sola maiorum opinioni tumere atq. inniti velle: satius est ita viuere, vt posteris initiũ nobilitatis & virtutis exemplum à te petatur. Harmodio, abnepoti clarissimi illius tyrannicidæ, qui communi cum Aristogitone operâ Pisistrati tyrannidem conuellit, exprobranti per conuitium generis nouitatem Iphicrati Athenienſium fortissimo duci; Mei, inquit Iphicrates, generis origo à me initium capit, at tuum in te desinet. Istius dicti simius Cicero, quũ cognomẽ suum ob ciceris leguminis vilitatem, fastiditũ inuisumq. intelligeret, amicis aliud sumendũ suadentibus, respondit: se nomen Ciceronis longè redditurũ illustrius, quàm vel Catonum, vel Catulorum, vel Scaurorum, quæ cum primis illustres apud Romanos familiæ erant: innuens nobilitatem solis imaginibus & stemmatibus innixam, malè firmis sustentari adminiculis, eam verò quæ proprijs virtutibus quæratur & concilietur, firmissimam pariter ac pulcherrimã esse. Scitè, Platone teste, nobilis ille Marathoniæ victoriæ laude Themistocles Seriphio cuidam in iurgio respondit, obijcienti non suâ, sed patriæ gloriâ ipsum splendorem assecutũ; Nec hercle, inquit ille, si Seriphius ego essem, nobilis; nec tu si Athenienſis esses, clarus vnquam fuisses. Præclarè Diogenes sciscitanti qui mortalium essent nobilissimi, respondit; qui opes, voluptatem, gloriam, vitæ vsuram despiciunt; contrà labores, inopiam, mortem nihili faciunt. Neque obscurè Antisthenes docuit, virtutibus ornatos, eosdem verè nobiles. Quorsum hæc tam multa? vt nimirum, quod antiquitatis, quod philosophorum, quod bonorum omnium, qui

vno

vno quasi ore idem loquuntur, iudicium, qui sensus de nobilitate fuerit, declarare. Nam quum in vniuersum vna sit nobilitas generis, quatenus videlicet ad posteritatem decurrit, in treis tamen species illa ceu ramos diffunditur, vt naturæ vna detur, virtuti altera, tertia arti debeatur: duarum posteriorum gloria & fama fundamentum est, incitamentum, & quasi classicum quoddam ad labores suscipiendos & subeunda pericula. Quos natura nobilitauit, ij existimantur, qui antiquâ & amplâ progenie, nataliumque splendore antestant, quos insignis progenitorum suorum virtus, aut opes antiquæ & inueteratæ eò claritudinis euexerunt, vt inuidiâ omni maiores sint: ijque colendi & summo iure amandi sunt, quòd his rerum clauum regendum Deus dederit, & Reipub. gubernacula cum iustâ potestate commiserit, quos propterea διογενεῖς, ceu ab Ioue editos oculata antiquitas nuncupauit. Secundum locum obtinent, quibus inlustria & nota cunctis facta, impensâ pro Reipub. incolumitate vitâ, exantlati pro Repub. labores, periculorum pro ciuium salute contemptio ac despicientia, nauata denique egregiè opera Principi, virtutis nobilitatem & sempiternam gloriam pepererunt; quorum immortalia facinora immortalis quoque memoria vt consequatur, iniurium non est: atque isti quidem sæpe humili & obscuro, aut saltem minùs generoso loco sunt orti, stirpis tamen suæ propagini, & ex se genitis generosum nomen & titulum quasi transcriptum relinquunt. Tertij ordinis sunt, quos ex doctrinâ nobiles & claros appellat Cicero, qui præstanti eruditione & scientiâ imbutis animis in commune prosunt, aut liberalis artis ope atque adiumento inclarescunt. His ingerit se ascitia quædam & acquisita nobilitas, quæ per diuitias, nuper fortunæ aut hæreditatis opimæ beneficio partas, adrepit familijs generosis seseque insertat, in modum luxuriantis vitis, quæ pedamentis, vt sustineat se, infirmitatem fulcit. Talis enimuero nobilitas ex ingeniorum conditione, vti è fructuum bonitate, aut feritate arbor, æstimanda est; quæ si tolerabiles

Nobilitas triplex.

Nobiles naturâ qui?

Nobiles virtute.

Nobiles doctrinâ.

Nobilitas acquisitia.

tolerabiles & non improbos homines produxerit, ferenda est; sin flagitiosos & vitijs deditos, despuenda. Stultè enim faciat, qui lapidem è sepulchro, pro deo venerari velit, quod ille inquit, & improbè senserit, qui talem nobilitatem pensi alicuius faciat, vtpote animi imaginibus ac virtutis defectam, quæ propter fluxas opes tantum graui supercilio tanquam Rhadamanthus nitatur. Itaque quum conditiones istas & genera nobilitatis animo sapienter peruidisset Sigismundus Imper. cordatus Princeps, potiore loco atque honore habuit eruditos homines, quos doctrina & virtutum præclara fama nobilitarat, dictitans identidem apud Germanos proceres, quibus vilescebat eiusmodi nobilitas, meritò magni à se fieri, quos cæteris antecellere ingenium dederit: & aliàs, in suâ manu esse, vt multitudinem profanam suorum nobilitatis titulo vel horæ spatio insigniat, sed eruditionem, ornamentum animi, neque totum intra decennium largiri posse. Cuius simile dicterium effusum memoratur à Dionysio Milesio in Heliodorum, Hadriano Imperatori ab epistolis, dicente, Te Cæsar pecunijs & honoribus augere potest & ornare, sed oratorem te facere non valet; vti Dio Nicæus refert. Ista non eo à me dicuntur animo, quasi improbem imagines & pictos auorum longo ordine vultus, quasi reijciam stemmata, quasi clypeos cum singulorum titulis auersor, quorũ gloriæ vetustissimæ origo virtutis plena attestatur, quippe statim ab exactis Româ Regibus incœpta, quando in scutis, quibus pugnæ obibantur, imagines ad viuum expressas vultusque eorum, qui illis vsi fuerant, insculptos, sacris publicisque locis primò, deinde priuatis etiam in ædibus, spectandos, additis honorum titulis, posuisse Romanos, auctor est locuples Plinius. Quin è contrario sum planè animi diuersus, Nobilitatique studiosè faueo, id quod bonos facere omnes inprimis decet, tum quia ex vsu Reipub. sit, nobiles viros esse, qui maiorum suorum vmbris digni ad clauum Reipub. adsideant; tum quia clarorum hominum qui de Republicâ optimè sint meriti,

etiam vita defunctorum, vetus memoria valere & sacrosancta haberi debeat: Sed damno atque explodo eorum vecordiam, qui metiuntur ex illis rebus veram & germanam nobilitatem; reliquos in ordinẽ cogunt, despiciunt, pro mancipijs & mediastinis ducunt: qui literarum scientiam atque eruditionem rident, proculcant, sannis excipiunt, quasi Nobilitati inutilem, imò indecoram potiùs: qui non libris vacare nobilem, sed venatorium instrumentum assiduè tractare volunt, aleatoriam scholam frequentare, discum iacere, pocula obducere, stupris claresceere, comedere patrimonia, decoquere creditoribus, è venere promiscuâ luem contrahere; quasi hæc demũ sint vera rudimenta & artes quibus nobilis animus imbui debeat. Neque supersedendum est, quòd plæraque omnis nobilitas transilire honesti limites putatur, quæ Thespiensium instituto mordicus inhærens, pollui nobilitatis decus existimat, si opificium discant, aut agro colendo operam nauent, vt in Politijs refert Heraclides Lycius: quod de conceptâ publicè & iam olim confirmatâ vulgari opinione natum esse credibile est, quæ vti rem rusticam (Columellæ verbis vt id dicam) negotiũ nullius magisterio præceptoris egens, ita opificium sordidum, ac proinde vtrunque à nobilitate alienum opus putauit. In cãdem sententiâ Persæ quoque & Lydij Scythæque fuere, qui artificium colentes in ignobilibus ducebant, at militiæ operatos, pro generosis habebant: ita vt iudicio nonnullorum videantur latrocinia, rapinas, neces, bellorum præmia, summæ nobilitatis vice habuisse: quod exemplum imitati Cares, primi venalem mercede vitam prostituisse creduntur, quamuis falsò; quòd Arcades hac infamiâ, seu laude priores fuerint, quibus belli nundinatio stipendio proposita erat. vnde Dionysij Milesij manauit scomma, dicentis, *Græcorum calamitates Arcadiam pascere.* Facessat à Batauâ Nobilitate iste fascinus, quum cõstet clarissimo Taciti elogio, vt *Gallos pro libertate, Germanos pro præda, ita Batauos pro gloria ad capessendam pugnam olim fuisse instigatos.*

Quin

Quin illam vltrò impulsam potiùs me præcentore aut ceteuste, atque exstimulatam velim, vt memoriam illam pristinæ virtutis propè intermortuam renouet, atque ita Batauici nominis amplitudinem à maioribus acceptam, bonis ominibus, suæ posteritati tradat. Iam verò Neapolitana nobilitas, cuius primam gloriam sibi affectant illi, inerti otio vacat; eoque solo nobilitatis bonum finemque metitur, in atrijs pictis deses, aut phalerati equi vectatione contenta: ita vt rem tractare rusticam, à professione suâ alienum atque abhorrens existimet: mercaturæ insuper vsqueadeo pertinace imbuta odio, vt in egestate turpem vitam tolerare fameque enecari, quàm locupletissimo etiã mercatori filiam nuptui collocare malit. Hanc similiter despuunt vilemque habent Romani, in rei rusticæ curam compendiumque attentiores, pecuario studio & agrorum cultu opes quærere, nobilitate non indignum iudicant. Gallicæ nobilitatis proprium est, prædia & rus colere, ciuitatis commercium, ceu primam sui labem fugere, ita vt opinio nobilitatis è vitâ rusticâ & prædij possessione plærunq. pendeat. Eadem fermè ratio est apud Britannos, vbi nobilitas saltibus viuarijsque inclusa rure vitam degit, è lanicio & gregum quos pascit fœtibus censum locupletans, proq. opum numero famulitium extendere coacta. Germani stirpis antiquitatem præcipuè admirantur & vnicè excolunt, vt quæque est vetustissima, etiam inter patrimonij censusque clades; plærique vrbibus procul abdunt se in saltus, aut inter rupes castellis affixi adsident: alicubi è latebris recessibusque, velut Caci quidam, exorti viatoribus insidiantur; ex eorũ pecuniâ otium suum alunt. At apud Principes ferè nostros in morem receptum est, vt nobilitatem conferant citra delectum & virtutis æstimationem, vel obsequio vel pecunijs gratificantes, atq. ita literis priuilegijsq. eã muniant; quos è cerâ miniatâ aut scriptis nobiles meritò dicere liceat. Verùm enimuerò inter virtutis præmia, summa ac primaria dignitas præcipuusque honos apud plærasque gentes fuit Equitum, quos istud sæculum

Neapolitana nobilitas.

Romana.

Gallica.

Britannica.

Germanica.

Equites Aurati.

culum ab aureis ornamentis, quæ illis attribuuntur, Auratos appellat. In quem honoris ampliſſimi gradum nemo antiquitus cooptari ſolebat, niſi quem facinora præclara & ſpectata bello virtus eo merito dignum nobilitaſſent. Talibus namque ſolis vt periculorum præmium & laborum fructus, ab ipſo exercitus duce ſolenni quodam ceremoniarum ritu, is honos deferebatur, inſpectante omni multitudine. Quem morem plane obſoletum, ante non adeò longum tempus reuocauit in lucẽ primus Franciſcus Galliarum Rex, quum in nobili illo contra Heluetios conflictu ipſe fortiſſimè dimicans inter primos & fortiſſimos, Ducis pariter & ſtrennui militis munia obiſſet, vt nimirum illuſtris clariq́ue exempli aſſertor exiſteret, additis ſolennibus de more veteri ritibus. Aſt alij hoc ſæculo inoleuere mores, quando honores adulterantur, dignitatis equeſtris gradus adulatoribus, potentibus, & gratioſis hominibus, aut opulentis qui militiam nunquam viderunt, etiam citra ſpectatæ virtutis teſtimoniũ, ceu emptitia merx, promiſcuè confertur, perſtricto leuiter nudo enſe humero læuo, idq́. Imperatoris aut Ducis manu, additis verbis ſolenni more conceptis. Cæterùm quia (quod dicitur) peculium re, non verbis, augetur, libet illuſtrium aliquot familiarum clenchum iſthîc apponere, velut lucida quædam ſidera, publici curſus notas, ſed ita vt non Helicen, quæ latiore gyro circumagitur, vago obtutu obſeruandam mihi ſumam, ſed potiùs Cynoſuram, quæ breui circà mundi cardinem ambitu fertur, ſequar: quod eò dico, ne quis putet me paſſis velis vſurum, quibus in illarum laudes laxâ & diffuſâ oratione peruehar, quum è diuerſo contractioribus obeundum hoc mihi ſtatuerim, ne inconſideratiore temeritate in altum abreptus, vbi cælum vndique & vndique pontus appareat, iniquum littus repetere inuitus cogar. Vtinam autem illarum virtutibus & præclaris facinoribus (quæ niſi ſcriptis tanquam præconum voce celebrata, memoriâ facilè excidunt & obliuione obruuntur) tam benigna affulſiſſet fortuna, vt iuxta

Franciſcus Rex reuocauit morem creandi Equites.

Alexandri

Alexandri Macedonis votum, Homerum quempiam inuenissent præconem, cuius præconij vim toties nobilitata Achillis hasta sensit. Interim graui vulnere exanimor, quoties recordor fundatissimas quasque & amplissimas familias bellis absumptas interijsse, cùm domesticis, quæ cum Cisrhenanis Frisijs gessimus, tum externis: siquidem nonnullæ deficiente virili stirpe, quasi traduces quæpiam, in alienas domos translatæ, altissimo silentio sunt obliteratæ: multas flagitium Velsianum inuoluit atq. in ruinam secum traxit, quæ, quo sanguine iunctiores, hoc exitio certo propiores, stirpitus excisæ fuerunt & abolitæ; aliæ cladi funestæ superstites, hæreditarij nominis ornamentis exutæ, nihil præter inane & aduentitium alienæ stirpis nomẽ assumere coactæ sunt. Sed quid superuacaneam & inutilem querimoniam profundo? surdo enim Orco ista occino: quin Wassenariæ domûs, inter omnes antiquissimæ, vmbris inferias dum piè sacramus, honorem ab antiquis illi attributum non denegabimus Ea domus summâ & apertâ omnium consensione facilè antiquitatem vltimam tuetur, cuius etsi illustria facta & res gestæ omnium in ore viuant, documenta tamen è vetustis librorum monumentis petenda in obscuro latere videntur; quanquam noui virum non indoctum, qui stirpis istius assertor ad Valentiniani & Theodosij Impp tempora stemmatis seriem perducit Ego certè diligenter omnia perrimatus, nusquam inueni vestigia nominis apud scriptores Romanos & Græcos, nisi fortè is posset esse Veromerus Batauorum Princeps, Augusti Cæs. temporibus, qui apud Strabonem vitiato codice malè nominatur ἑκρομυρὸς, η in κ transposito, & υ in locum η immisso; quod mendum clarè patescet ei, qui Germanica nomina Principum & summorum magistratuum, in Merus, vel Marus exisse intelligit; quâ de re diffusiùs egimus vbi nominũ rationem explicuimus: quin illo ipso loco σεμνὸς per η Cheruscorum dux Straboni rectè scribitur; tametsi locus ille totus lib. VII, qui de proprijs nominibus agit deprauatissimus, excusare vnum

Familiarum interitus.

istud nomen facilè queat, quando illic σεμιγεῦντος, pro σεγιμεῦνδος, ἀιγιμηρὸς, pro σεγιμηρὸς, ἀιγέστης, pro σεγέστης, & βαττῶν, pro βατάβων mendosissimè scriptum inueniatur. Equidem inclinasset animus, vt eandem fuisse stirpem crederem cognominis vicinitate, nisi vnum, quod dicam mox, mutare sententiam coëgisset: nam *Veromerus* idem fermè cum Wasserheer sonat, quod proprium gentilitiumq́. agnomen contendunt, volentes significare *aquarum potentem & dominum*, quòd portoriorum perpetuarius & hæreditarius possessor, aperire vel etiam claudere portus, negatâ vel concessâ ex arbitrio veniendi abeundiq́ue potestate, hoc est, naues & sistere & dimittere posset, vt Veermeyer signet *portorio præfectum*, aut in id ius habentem: Wasserheer verò (quod in Wassenaer detortum volunt) *aquarum ius sibi vendicantem*. Iam verò adscribi quoque error potest vetustati, quæ demit, addit, & vocum faciem immutat, vel librariorum incuriæ, vel scriptori idiotismi ignaro, vt primogenium vocabulum & verum fuerit *Vassemerus* (Romanis nunquam geminato W vsis) deflexum postea in Vassenarus. Sed nolo pluribus esse disertus in istâ contentione. Satis esto, quòd altissimam perpetuarij iuris nobilitatisq́ue vetustatem defendere stirps illa omnium confessione possit, nato inde prouerbio de trium illustrium Hollandiæ familiarum comparatione, *Wassenariã domũ antiquitate, Egmondanam diuitijs, nobilitate Brederodiã antestare.* Annalium monumenta Claudiũ Ciuilem, quem regiâ stirpe editum Tacitus loquitur, non aliâ ex familiâ extitisse volunt, quâ auctoritate nescio: eiusq́ue filiam Vitellio nuptam, quod somnium est anilibus Cascorum deliramẽtis vanius, quum Suetonius disertè duas illi vxores tribuerit, Petroniam & Galeriam, illam Consularis, hanc Prætorij viri filiam, nec plures: deinde quum à Galbâ in Germaniam inferiorem esset missus, vixdũ mense transacto apud Coloniam Agrippinam Imperator est consalutatus, vt tunc nuptijs vacare integrum illi non fuerit. Quin & in ijsdem memoratur Engistus

Strabonis locus emendatus.

Wasserheer.

gistus Radbodo genitus reuersus à Britannicâ expeditione victor, pyrgum Lugdum, alueo Rheni imminentem (quem Leydæburgum vulgus nuncupat) condidisse cum telonio, sub Theodosij Imperatoris tempora, atque ex eo Burgrauiorum (quod Burgi Comites denotat) nomen reliquum esse, imperiumque & ius principale in Rhenolandiam ab illis vsurpatum, in quâ hactenus vt fiduciarij Comitũ clientes pro mercibus vectigal exigunt, & *Plumarij Comites* nominantur, quòd & illic & in tractu Delphensi illorum iniussu nemini fas sit cygnos aut olores publicè alere. Ius familiæ imperium que in aquas ostendũt augescentes lunulæ, quæ gentis insignia exornant, quando lunæ imperium in humores & aquas auctorum omnium concentus tribuat. Hinc manauit ius *Grutæ*, quod penes eosdem semper extitit, quo coctores ceruisiarij pro vsu aquæ centesimam illis persoluunt, vernacula lingua Gruytgelt vocat, siue eam vocem à Flandris mutuata fuerit maiorum nostrorum ætas, qui lenticulam palustrem quæ in paludibus & stagnis per æstatem aquæ supernatat, gratissimum anatibus pabulum, *Grutam* appellant, quam nos corruptiùs Croes vel Crooſt dicimus; vt Gruytgelt sit vectigal, quod penditur pro tollendâ dissipandâque lenticulâ aquas operiente, quo limpidam haustris situlisque hauriant ad concoquendum vsui hominum cerealem potum: siue origo fluxerit (quod nonnulli volunt) ex vsu seminij cuiusdam aut herbæ, quam ceruisiæ incoquebant, olim Grutzung/ posteris Scarpetange dictæ, quæ cuiusmodi sit, ignorare me fateor. Quod ius à dynastis potentioribus (vt solet auaritiam illorum & libidinem accendere atque alere æmulatio) vsurpatum posteà video à Brederodijs apud Caninefatum caput Harlemum, & à Naelduicenis, vt mox dicetur. Vidit nostra ætas virum fortissimum, alterum quendam Achillem, Ioannem Wassenarium, Frisiæ subactorem, cui victricia per hostilem terram signa circum ferenti, idem spectrum oblatũ narratur, quod Druso Germanico ad Albim se ingessit; id quod ob parem virtutis

Pluymgrauen.

virtutis & lethi gloriam memorabile referendum hîc duxi. Scriptis namque proditum est â Suetonio Tranquillo & Dione Niceno, Druso, quum ad Albis ripam peruenisset, transire cogitanti, occurrisse mulierem specie humanâ ampliorem, dixisseque; *Quò pergis inexplebilis Druse, negant tibi fata tendere vltrà: quin abi, adest enim mortalium operum & vitæ finis*: quam rem memini poëmatio consignatam olim à Petro Nannio ad Fridericum Tauteburgensem, nunc Archiepiscopum Traiectinum, euenti conscium, cuius tunc pater fortissimus dux coniunctis copijs bellum Frisicum gerebat. narrat enim ei excubias exploranti dubiâ crepusculi luce obuiâ fuisse horrendam fœminæ speciem,

lib. 55.

Fœmina (inquit) *erat, nisi membrorum nimis ardua moles,*
Hanc commonstrasset numine non vacuam.

addit deinde voce horribili locutam;

Quid Frisiam attingis, deuota ò victima Diti?
Hîc te, non alibi, fata suprema manent.

libuit eius versus ab interitu vindicare, quos de clarissimo heroë verè cecinit. Is filiam reliquit hæredem, quæ in aliam transcripta familiam, dotalia bona attulit Iacobo à Linge, Comiti Falkenburgio. Transeo ad Egmondanæ stirpis originem, quæ in controuersiâ & contentione versatur, ceu in trutinâ appensa, & perinde momentũ hinc illincúe tractura amplioris aut leuioris claritudinis, prout studia hominum iniqua in hanc vel illam partem proniora inclinauerint. Nam qui accidunt atque eleuant vetustæ domûs claritudinẽ, ortum eius referunt ad officium & nomen *Aduocati & Tutoris*, additi Abbæ Egmondano; vsurpato inde agnomine, quod natalibus aut stirpi datum inficiantur, muneris duntaxat & officij per Abbam impositi atque indulti beneficium. Si tamen vera est *Aduocati* interpretatio, quam Iac. Meyerus alijque adferunt, pro ciuitatis principe; vesana atque improba istorum qui diuersum sentiunt, claritatemque familiæ de luce in tenebras vocant, expositio fuerit, & calumniæ proxima. Melior pars fontes natalium arcessit à Radbodo Principe,

Egmondana familia.

Aduocatus quid.

Principe, siue (vt volunt, quô dignitas augescat) Rege Frisiorum, qui siue is sit, quem è lauacri regenerationis solio, tingendus quum esset, pedem reuocasse, Sigibertus testatur; siue alius eo minor, qui Goudebaldi, eius qui in Pyrenæis montibus in conflictu contra Saracenos Scenitas occubuit, frater, primus Christianæ religionis rudimentis imbutus, Egmondanam arcem struxisse dicitur, tum certè caussâ casuros, & calumniæ manifestæ insimulandos fore auguror, qui alteram illam opinionem tuentur; quippe si ad Radbodum secundũ, qui ad annum salutis septingentesimũ nonagesimum mortem obijt, initia nataliũ reuocabuntur, octoginta minimum annorum curriculum defluxisse comperiemus, ante conditum à Theuderico primo Egmondense cœnobium; quòd ille regnante Carolo Caluo inauguratus Hollandiæ principatui fuerit, cui octingentesimus septuagesimus octauus annus vitæ finem, si bene colligo, attulit: quum plures multo anni numerandi veniant, si ad priorem respiciamus. quæ res clarè ingeret se legenti Reginonis & posteriorum scriptorum historias, ne prolixitatem odiosam quærere videamur, quando priuati voluminis materiam satis locupletem ea præbitura facilè sit, si exequi subtiliter annorum numerum & primordia familiæ instituam. Video alios arcis fundamenta ad inferiora longè tempora reijcere, nimirum ad annum 1140, vel circiter, quando Beroldus vnus ex istâ familiâ, ob singularem fidem quam in omnibus exhibuerat, latifundio donatus à cœnobij antistite, quod sex fundos continebat, arcis prima in eo fundamenta iecerit, à quo posteritas illius Egmondanorum nomen & titulum sumpserit atque vsurparit, sed malè consutas nugas nectere mihi illi videntur. Gerit hæc familia sex normas, seu canones alternis rubras & aureas in clypeo, quibus adumbrari sex præcipuas vertutes militares significant, quibus instructum esse ac relucere ducẽ nobilem volunt, cuius ad exactam libellam & normã exigi & quadrari vitæ actiones & munia debeant, qualem Simonides in Lyrico carmine ad

Radbodus Rex Frisiorum.

Egmond. insignia quid significent.

Simonides.

ne ad Scopam Thessali Creontis filium describit, χερσί τε καὶ νόῳ τετράγωνον ἄνευ ψόγου τετυγμένον, hoc est, *qui & dextrâ & animo quadratus citra reprehensionem sit*, nimirum iustitiam colendo, fortiter agendo, viuendo continenter, consilijs prouidendo, labores tolerando, & à clementia non discedendo, quæ ornamenta citiùs quàm deserendo ille se inquinet, malit decorâ morte paciſci, Plautinum illud semper in ore habens, *Qui per virtutem perit, non interit.*

Brederodia stirps. BREDERODIÆ nobilitatis memoria ex Annalium vetustate facilè repeti potest atq. erui, stirpis auctore Zyphrido Arnulphi tertij Hollandiæ Comitis natu minore (vt traditur) filio, qui paternas iras fugiens in Frisiam in voluntarium exilium abijsse dicitur, vbi generoso de sanguine virginis amore captus, eam coniugem assumpsit ignaro patre, binosque virilis stirpis liberos ex eâ genuit, Theudericum aui nomen referentem & Simonem; receptusque in gratiam à patre latifundia ac dominia amplioribus iusto decempedis (eius namque significatio in voce Brederoede continetur) dimensa accepit, atque inde in posteritatis agnomen transitio facta est: Donauerat tunc temporis eidem & arcem *Teylingam* genitor, quæ in dotale patrimonium secundo filio Simoni cessit, à quo fonte fluxit stirps *Teylingia*, cuius abolita est successio interitu duorum fratrum, qui familiæ reliqui, in ipso iuuentæ flore cæsi sunt & extincti vnâ cum infelici Principe Wilelmo, in conflictu contra Frisios. Quæ calamitas excepit ineuitabili sorte superioribus annis reliquias stirpis Brederodiæ, in quâ paucorum annorum spatio quaternas masculas proles, omnes adulto robore vegetas, militiæ honoratæ ornamenta, non dubio vindicis Nemesis argumento, corruisse vidimus. An è principijs & naturalium latentium mque caussarum nexibus suum cuique ordinem immutabili lege constitutum decurrere necesse est? an verò electionem vitæ nobis propositam (vt Paridi olim obiectâ dearum specie) certus imminentium ordo assequitur, prout eâ rectè secusue vtare, prosperis lætâ atque honestâ, exitio incon-

Teylinga stirps.

inconsultâ manentibus? MEROVÆA, seu *Meroinga* gens vltimæ antiquitatis restim (vt ita dicam) ductare mihi videtur, quantum coniecturâ augurari possum & prospicere, cuius claritati id datum fuisse autumo, vt *Vahalis* mutato nomine *Merona* vocaretur, cuius ripam arx quoque firmi & egregij olim operis ornabat, nunc in medio æstu ruinosa. Certè Einhartus Caroli Magni nutritius & scriba, Francos (quorum ego sedes in *Salandiâ* Transisulanâ viciniſque regionibus fuisse docui) consueuisse creare sibi Reges è Meroingorum genere ad Hildericum vsque, quem iniquâ ratione, si fas est dicere, munere regio Stephanus tum Pontifex, occultâ cum Pipino palatij præfecto coniuratione initâ, exuerat; attonsumq. Regem non suæ spontis in cœnobium detrusserat, scribit. Stirps ergò *Merouinga* à Merouæo tertio Francorum Rege originem (vt videtur) asserens, vtramque & nobilitatis & antiquitatis paginam facere suo iure potest. Illud constat, Francos principem honoris prærogatiui locum huic familiæ detulisse, quando per hanc vt & Carolingam, cum domi suum, hoc est, Germanicum, tum foris Gallicum imperium diutissimè administrasse legatur. *Meronæa stirps.*

HERCVLANÆ familiæ vetus, sed superbus fuit dominatus ac principatus, in *Teysterbandiæ* Comitatu inter Vahalim & Leccam situs, quem Linga secat segnis amnis, si non potiùs corriuatio, vel diuerticulum è Lecca ductum vocari debet; qui *Goricomum* præterlapsus Merouæ se commiscet. In eo plura extiterunt oppidula, in quibus recensentur præter dictum *Goricomum*, *Leerdamum*, *Aspera*, *Huecklomum*, *Haestrechtum*, & cum *Gaspera*, *Euersteina*, & *Hagesteina*; quorum nonnulla busta sunt arcium & infelices ruderum acerui. Sed siue præ intolerando fastu cunctorũ odia Principum inflammata fuere ad delendum impotentem domus istius dominatum, tanquam ad restinguendum commune incendium, siue ineluctabili fatorum vi consilia corrumpi solent eorum, quibus fortunas mutari aut euerti placuit, constat vno propè tempore diuersos Principes ditio- *Herculana domus.*

nem Herculanorum fuisse aggressos, eamque, vt Penthei artus Bacchantium fœminarum grex olim laniauit, concerpsisse: nam Fridericus Traiectinus Præsul Gasperam inuasit cum Hagesteinâ & Euersteinâ, funditusque euertit: Vianensis Rhenosteinum occupauit: Arnoldus Gelriæ Dux Leerdamum cũ Steneuordâ possedit: Haestrechtum Goudæ vicinum expugnauit Albertus Boiorum Dux, Hollandiæ Comes, & belli iure captum tenuit: mox idem Goricomum cum arce & vniuerso dominio ab Ioanne vltimo tantæ ditionis regulo, repræsentatis nummis emit ad quadragies sestertiũm, subscribente contractui atq. assentiente filio; quod conuentum pro irrito habuit paulò pòst ac rescidit filius extincto genitore, occupato vi Goricomio: quam iniuriam vltum vt iret Iacoba Princeps, collecto milite oppidum obsedit, oppugnauit, cepit, ibique fidei violatoris ac fœdifragi sanguine iustæ iræ parentatum fuit. Hic exitus fuit longè clarissimæ potentissimæq. familiæ, cuius possessiones & hæredia passim multiplicia in Brabantiâ, Limburgensi, Traiectensi, & Barensi ditionibus, in Hollandiâ, Zelandiâ, & Gelriâ, si commemorare velim, molestiam auribus facturus essem. Opes sanè permagnas & inuidiosas Annales illi tribuunt, quibus animi (vt fit) tumentes fastu & elati, ex altissimo dignitatis gradu deturbati, ac ruinæ modo præcipitati fuere. Inuenio enim putatâ & ad calculum reuocatâ ratione è codicibus accepti & expensi, summam prouentuum annuorum triginta tria millia nobilium Britannicorum cõfeciſſe, quæ vicies sestertiũm superat. Origo familiæ fabulosa per homines ad assentandum eruditos, aurium folles, refertur ad Troianos fictitij Francionis comites: olim nuncupatos Dominos de *Turribus* lego, ab insigni clypeo quem binæ turres rubræ distinguebant, quo repudiato, tessellis quadratis in modum scandularum aut graduum scansilibus, ijsque bicoloribus clypeum intersecuere. Sub tempora Pippini Franci Carolo Martello geniti, vnus ex hac familiâ auspicium ductumque præuij cygni secutus, cum

cum quiescente alite, locum & ipse quieti à vago profectionis errore cepisse legitur, ibique seu pagum seu castra Herculana cõdidisse, in memoriam Herculis Alemanici progenitoris sui. BATENBVRGA progenies extra cõtrouersiã cum altissimâ antiquitate coniunctam habet nobilitatẽ, de quâ vixisse in præcipuâ nominis famæq. opinione sub vno tempore ante quingentos annos lego Alberum, Rodulphum, & Theudericum Batenburgos omnes: nomen, dum Batauia, vnde appellati, stabit atq. in ore hominum erit, perennaturum, quamuis graui accepto nuper vulnere saucium, turbulentissimis istis temporibus, communis calamitatis cum multis expers nõ fuerit. *Batenburga domus.* HARLEMÆA stirps pari quoq. gloria innititur, è regiâ Frisiorum stirpe originem ducens, quæ de suo nomine arcem ad annum quingentesimum & sextum condidisse legitur, de quâ copiosiùs in Harlemo anteà scripsi: neque dubito, quin vrbs illa eandem fermè vetustatẽ arrogare possit. *Harlemæa stirps.* Eius arcis insanæ substructiones, peramplæ & munitissimæ atque opportuno loco positæ murorum reliquiæ, deformesque ruinæ se ostendunt non procul Hemeskirchâ. Reperio in Annalibus, Isbrandum ex Harlemæâ familiâ adiunxisse se itineris comitem Sophiæ Principi Hollandiæ, quum illa religionis ergô cum Othone minore natu filio ad annum 1173. Hierosolyma peteret. Nonnulli ex hac prosapiâ equestri dignitate viri infeliciter Martis aleam secuti in prælijs contra Frisiorum fatalem gentem susceptis occubuere. Ex eâdem Simon eques, quas habuit magnificas & peramplas ædes intra Harlemi mœnia, in asceterium conuertit monachis â Carmelo monte nomen vsurpantibus dicatum, anno salutis 1249. ante annos tercentum viginti. A quâ stirpe, mutato nomine, descendens *Assendelsia* domus, hæreditatem illam adijt, & insignia in hunc vsque diem præfert. *Assendelsia stirps.* Accepi huius, qui nunc vitam viuit, Nicolai Assendelsi (quem ob singularem & præstantissimam virtutem honoris caussâ nomino) patrem, serâ & perinde inutili pœnitentiâ indoluisse, haud exstructam à se

fuisse arcem (quæ ab ipso ædificata ab ipsis fundamentis Assenburgum nuncupatur) in vetusto hæredio, in firmissimis illis parietinis & fundamentorum ruderibus, vt stirpis gloriam, antiquitatis memoria vetusque recordatio ab obliuione vindicaret. Porrò ASSENDELFIA progenies nominis sui ortum habet à dominio, quod perpetuaria possidet, Assendelfo pago potente & opulento, quem olim ante quingentos annos *Asemannedilf* vocitatum scriptumq. in codicillis veteribus inuenio. CRALINGA aut rectiùs *Carolinga* familia dicta putatur antiquitus Carolina, ortusque sui primordia ad Carolum Magnum referre: certè radiata stella, quæ clypeum insignit, originem Francicam, à Francis olim vicinis nostris natam, loquitur: nobilitatem altissimam stirpis loquitur, quòd patrio solo excedentes & in Galliam transgressi Franci, longo tempore regnum vtrunq. & Germanicum, hoc est, suum, & Gallicum, quod inuaserant, per Merouingos & Carolingos, notissima Batauis familiarum nomina, iã labantia, administrarint. HVESDENAM stirpem è Cliuensibus Comitibus ortam post octingentesimum salutis annum, arguunt insignia vetera gentis, quæ sunt octo sceptra aurea in bicolore clypeo, hinc aureo, inde cyaneo: quem mutarunt aureo cum rotâ rubrâ, quem Edmundus Britanniæ Rex Balduino Huesdeno genero, qui filiam eius nuptam auexerat, permisit. Cliuensis ad annum 1290. resignauit ius pristinum in Huesdenũ & Altenatem agrum, quæ in clientelâ ipsius fuerant, Florentio eius nominis v. Hollandiæ Comiti, vt ei de cætero tenerentur sacramento, quod ipsum non diu illi stetit integrum: nam Huesdenus bello impetitus à Brabanto potentiore, oppidum cum agro omni facilè amisit, itaque in Ducis verba iurare, vsuariumq. ab illo accipere, coactus est: tandẽ omnis possessio Brabanto cessit; quâ diu frui non potuit, quòd Wilelmus Bauarus dum inter Flandrum & Brabantam componit litem controuersam, ipse sibi primo loco cauit, ac sibi posteritatique possessionem Huesdeni vindicauit, & perennẽ esse sanxit.

Assendelfum pagus.

Cralinga familia.

Huesdena prosapia.

Vsqueadeò

Vsqueadeò formidabilis est magnatum & Principum vicinia minùs potentibus, qui vt vulturij prouinciarum, inferiorum fortunis, vt quæque proximiores sunt, inhiant, quos Veioues innuit in Menippeis suis doctissimus Varro, vbi inquit, Varro.

Qui pote plus, vrget: pisceis vt sæpe minutos
Magnus comest: vt aues enecat accipiter.

Duneuordia progenies.

DVVEVORDIA prosapia è gente Wassenariâ, tanquã limpidissimo fonte, clarorum natalium ortum ducit; vocabulo à primâ impositione nonnihil variante ac deflexo, nam adhortationis ad incœpti operis studium significationem, primogenia vox in se complexa fuit, quum natu maior frater fortè (vt fit) minorem hortatur, vt lintrem conto subigat atque impellat, hac voce vsus, **Du voert**/hoc est, propelle scapham, aut, vt alij narrant, quum illum hoc dicto, **Doet voert** (quod sonat, perge facere, aut cœptum perfice) ad inchoati operis perfectionem animasset instigassetque. Ea tunc vox secundo accepta omine, in familiam minoris natu faustis auspicijs transisse creditur. Primus id agnomen familiæ tradidit Philippus secundo loco natus Adeluini Burgrauij Lugdunensis, Rhenolandiæ domini, filius, delato illi & aureo clypeo tribus corniculatis furui coloris lunulis. Aliter paullò narrat Theudericus Wassenariæ Curio, ex hoc Philippo natos fuisse quinos liberos dictitans, quorum natu maximum & nominis hæredem fuisse Theudericum: secundum Philippum, eumque primum Duueuordij agnomine donatum: tertium Ioannem qui primus Polanæ titulo & agnomine fuerit insignitus, addito clypeo, cuius solum argentei coloris, tres atræ concolores lunulæ in cornua curuatæ distinguerent: quartũ Sandhorstum incerti nominis: & quintum Arnoldum Groneueldium. Hanc stirpem illustrauit ad annum salutis 1353. Wilelmus Duueuordius, Osterhouti dominus, qui cùm in magnâ gratiâ apud Principes floreret, magnisq. copijs circumflueret, liberis carens, immensarum opum oceanum in alios à familiæ suæ ornamentis

mentis vsus dissipauit, exhausit, effudit, non sine quadam (si dicendum est) suæ gentis iniuriâ, conditis duobus à solo cœnobijs, vno Claranarum virginum, altero Carthusiani sodalitij prope Gertrudis montem, quæ & opimis reditibus locupletauit; nondum perlatâ lege, *quæ cauet, Monasteria latifundijs augeri*: neque hac contentus opum profusione, pyrgum cum portâ in dicto oppido, arcẽ Osterhouti erexit, & Vianam muris fossaq. circundedit, vti marmor eius memoriæ Bruxellis positũ testatur. *Polana.* POLANA domus ijsdem è fontibus (vt modò ostendi) originem cum Duueuordijs ducit, parum diu fœcunda; nam Ioannes Polanæ dominus cognominem sibi filium reliquit, ex quo nulla stirps virilis, vnica tantùm filia Polanæ, Leccæ, & Bredæ titulos cum dominijs marito Egberto Nassouiensi Comiti attulit. Ita stirps quasi in herbâ sepulta interijt, aliam in vaginam eruptura. *Naelduicena.* Eadem fortuna mansit NAELDVICENAM domum, ex quâ ortum Balduinum equitem Annalium monumenta nominant, arcis Vindonissæ in Frisijs præfectum, ad miliare vnum Hornâ distantis, quam arctissima obsidione circumsessam ab hoste, absumpto omni commeatu, ad extremum necessariarum vitæ rerum inopiâ adductus dedidit. Hæc familia *Wateringam* arcem munitissimam in cœnobium religionis ergô commutauit; nam in hac *Wateringa* stirps intermortua desierat. Hæc in clypeo leonem rubrum Bohemici regni insigne ostentat, creditúrque primos sui ortus natales ad regiæ stirpis iuuenem retulisse, qui siue profugus & extorris regno, siue operâ perduellium exutus, isthîc consenescere maluit, vitæ ne cupidine, quæ plærunque ingentes animos infringit, an coniugalis amoris obsequio, incertum. Eadem symboli vice regiam coronam, sed inuersam, superioris (nisi fallor) calamitatis argumento præfert: vtrunque & insigne & symbolum in Naelduicenis ædibus apud Hagam Comitis vbique oculis occurrit, in aulæis ac peripetasmatis vetusti operis, in specularibus, quas ædeis Antonius Hofflachus caussarum vindex multis nominibus *Antonij Hofflachi laus.*

clarissimus

clarissimus nunc inhabitat, Comitis Arenbergij beneficio, ad quem clientela & hæreditas Nalduici omnis translata est. Nobilitatem vltimam loquuntur primariæ dignitates huic stirpi permissæ; nam & Archimarescalli Hollandiæ dicuntur, quod testantur diplomata, & Plumarij Comites pari cum Wassenarijs potestate, iurisq. Grutæ exactores per vniuersum Scielandiæ tractum sunt. WOVDA stirps insititia est Warmondiæ, nam vndecimus Woudæ (qui pagus est in paludibus abditus, & adiecto Iacobi nomine *Iacobo Wouda* appellatur, quòd tota fermè progenies Iacobæa hactenus audierit, nullo alio aduentitio) hæres, matrimonij pacto vinctus cum vnicâ hærede *Warmondij*, siue *Pharamundi*, vt Galli scribunt sed malè, cum omni familiâ emigrauit in arcem Waramundam, ac deserto proprio suo hæredio, in alienum transijt; neq. mirum, quippe qui putidas & inamabiles paludes cum amœnis viretis commutarat; quæ caussa fuit, cur breui collapsa fuerit ruinâ *Wouda* arx. Refert autem domus ista, quæ semper equestris dignitatis fuit, primos natales ad Varamundum Francum (nî coniectura me fallit) deinde ad Woerdenam stirpem & Velsiam, insignes clypeo aurato, cui inserti tres rubri coloris rhombi visebãtur: quem non mutasse legitur, donec sub annum fermè 1359. Theudericus Wassenarius Burgrauius Lugdunensis cũ villarum & fundorum aliquot inuestiturâ, proprietaria Iacobo, eius nominis XIIII. Warmondæ domino, vtendum obtulit clypeum, quo, vt armamentarij Romani dominus & Burgrauius Lugdunensis, ipse vtebatur; nempe cyaneum clypeum aureâ tæniâ dissectum; cum ternis argentei coloris lunis corniculatis, quô hactenus ea vtitur familia. Porrò stirps hæc solum vertere atque exulare annos aliquot coacta fuit, propter conscientiam parricidialis necis Florentij Principis à Velseno patratæ, anno 1296. Verùm post quinquennium vbi resederant populariũm irarum æstus, placato mitigatoque insuper Principe (cui in prælio aduersus Traiectinum Episcopum tunc profligatum strenuam posuerat operam

Wouda & Waermondia stirps.

Iacobus eo nomine duodecimus) deletâque omni iniuriarum memoriâ, vetere Athenienſiũ exemplo, in priſtinam gratiam recepta, atque in integrũ ſuis hæredijs reſtituta eſt.

Poelgeeſtia ſtirps. POELGEESTANA familia illuſtris arcem quondam ſui agnominis & tituli propriam in agro Oeſtgeeſtano (quem pagum maiores nominarunt *Kerckwerue*) poſſedit, quæ mutato nomine *Alcmada* hoc ſæculo nuncupatur, ſed quo iure quáve iniuriâ, me latet. Huic ſtirpi beneficiariæ Wilelmus Romanorum Rex apud Magontiacum exiſtens indulſit vſuarium dominium *Hochmadæ*: eidem permiſit & *Coudekerckæ* dominium Wilelmus alter, Hannoniæ & Hollandiæ Comes, cum iure prætorio, quo in pago ad Rhenum medio inter Lugdunũ & Albiniana caſtra itinere, arx gentis validiſſimis muris conſtructa, ſolo tenus deiecta fuit anno 1489. factionibus diſſidijsque inteſtinis fluctuante tunc Hollandiâ, prioribus ſæculis *Hornana* arx appellata, quam domini Hornani dicti perpetuario iure poſſederãt, quorum nomen penitus obliterauit Libitina: quam arcem dirutam, & à ruderibus repurgatam, conſenſu Caroli v. Imper. Gerardus Poelgeeſtius Eques reſtitui fecit in meliorem vſum concinnatam; cuius interitus familiæ, cui magna parabat, nimium feſtinatus fatis, luctuoſus extitit.

Alcmadia ſtirps. ALCMADIÆ familiæ arx (cuius titulo illa inſignitur) in Warmondiæ ditiuncula ſita fuit, cuius ruinæ illîc viſuntur & murorum fornices: nam quæ nunc *Alcmadiæ* fert nomen, ad Marnum flumẽ ſita, olim propriè *Poelgeeſtia* arx nominabatur; quod ex diplomate Theuderici Burgrauij Lugdunenſis liquet, quo agnoſcit conſtitutum à ſe proprietarium Iſbrandum Poelgeeſtium. Inuenio & Henricum Poelgeeſtium & Florentium Alcmadum vterinos fratres vixiſſe ad annũ 1320.

Culemburga. CVLEMBVRGA familia ante annos quadringentos originem ſuam refert ad illũſtrem magniq. nominis atque exiſtimationis virum Rodulphũ *Boſicomium*, è Comitatu Teyſterbandiæ oriundum.

Abcoudia. ABCOVDIA gens opulenta & illuſtris fuit, latè auditum nomen, quæ trientem agrorum in Traiectenſi

ctensi ditione sui iuris habuisse dicitur: eadem possedit & Batauodurum oppidum cum arce. Ex hac Assuerus prima arcis Abcoudiæ fundamenta inter vliginosas paludes, quâ vix in adultâ æstate plaustris accessus patet, medio inter Traiectum & Amstelodamum itinere, iecit, vt memoriæ prodiderunt Annales. Emit & Gaesbecanam ditionē quidam Gisbertus Abcoudius, qui eam filio natu minori Assuero iusto titulo possidendam dedit; ex quo nata proles mascula ex Comitis Liningi filiâ, cui Iacobo nomen fuit, in magnis opibus floruit; nam principio *Gaesbeci* dominus, mox à fratris monte, *Batauoduri*, *Abcoudæ*, *Putteni*, & *Streniæ* dominus, prima cœnobij Carthusianorum prope Traiectum fundamenta substruxit, qui posteà, extincto vnico filio, captus in prælio à Traiectensi Præsule, ad iniquas pactiones coactus descēdere, Batauoduro & Abcoudâ cessit, appensâ illi exiguâ summâ, & incolumi relicto dum viueret dominiorum vsufructu & possessione. PERSINA stirps, *Waterlandiæ* dominatu clara, & insulæ *Marcæ* possessione, equestris ordinis fuit, nunc antiquata est penitusq. interijt. *Persina.*

RAEPHORSTIA magnæ nobilitatis domus, & loci equestris, è quâ lego duos germanos fratres in conflictu aduersus Frisios vnâ cum Principe suo Florentio concidisse. *Raephorstia.*

MATENESIA gens natalium suorum incunabula accepta refert ac transcribit antiquissimo ac perinde illustri Wassenariæ stirpis stemmati, quod Burgrauiorū Lugdunensium titulum cum agnomine præ se tulit. *Mateneſia.*

VLIETENA domus exilio multata fuit olim & proscripta, quamuis cædis Florētianæ haud consors, sed in odium Woerdeni fratris, cum alijs agnatis affinibusque in vnam & eandem noxam coniectus Gerardus Vlietenus exulauit, insignibus & hæredijs exutus; posteà tamen operâ & auxilio Florentij Duueuordij & Lichtenbergij, ob egregiæ virtutis meritum in prælio, quo Traiectinus Præsul cecidit, in gratiam redijt cum Principe, restitutus integritati & possessis insignibus. *Vlietena.*

VELSIÆ & WOERDENÆ honos desijt in Gerardo Velsio & Hermanno Woer- *Velsia.* *Woerdena.*

deno, quòd nefario se parricidio Florentij Comitis inquinarant, quorũ ille captus ad exemplũ crudelissimæ necis, quâ Attilium Regulũ à Pœnis confectum scribunt Tubero & Plinius, in arcã ligneam, in qua claui acuti introrsum adacti erãt, cõiectus volutatusq. diuturnæ mortis ludibrio interijt.

Amstelia. AMSTELIA stirps proprietaria fuit Amstelodami, Amstelueni, viciniæque, & domina Iselsteini, quæ binominis & Amstelæ & Iselsteini titulis, altero veluti oculo orbata fuit, quando nefanda atque impia coniuratio Gisberti Amstelij, Hermanni Woerdeni, & Gerardi Velsij, quum constricta teneretur conscientia Brabanti & Cauci, de Florentio Principe viuo perducendo in Britanniam, neque tamen abducendi facultas daretur, in caput Principis erupit, quem per insidias captum trucidarunt: tum namque alterâ bonorum parte orbatus, quicquid Amstelij nominis fuit aut iuris, id omne amisit, in miserià exul extinctus: altera mansit incolumis filio Arnoldo vnâ cum matre per integrũ annum intra oppidum clauso, quando in eas pacificationis leges, antequam solueretur obsidio, consensum ab illo est, vt dotali parte quam nominaui multatus, Iselsteinium cum arce tantum retineret: ex quâ familiâ inter posteros Maximilianus Imp. Fridericum primum Comitem Iselsteini & Leerdami nominauit. Porrò Ioannes Hannoniæ Hollandiæque Comes Guidoni fratri suo dominia Woerdæ & Amstelæ vsuaria largitus est, quæ ab eius morte (propterea quòd Præsul factus Traiectinus sine legitimâ stirpe decesserat) repetijt atque occupauit Willelmus cognomento Pius, tanquam hæredia ante Pontificiæ dignitatis honorem concessa, quæ nullo iure possent à corpore auelli aut alienari.

Scagia. SCAGIA stirps originem suam debet Alberto Boiorum duci, Hannoniæ & Hollandiæ Comiti, qui Willelmum filium Scagæ pagi inclyti & copiosi, & Burchorni perpetuarium constituit.

Hochtwonda stirps. Sic HOCHTWOVDA domus natalium suorum auctorem Willelmum Boiorum Ducem agnoscit, qui Euerardum nothũ filium donauit possessione Hochtwoudæ

woudæ & Aertſwoudæ, amœniſſimorum & ditium pagorum. Par ratio eſt familiæ HAMSTEDIÆ, quæ à Wittone notho Florentij Comitis ortum trahit. HORSTIA proſapia vetus & nobilis videtur plures ex ſe diffudiſſe propagines ad modum luxuriantis vitis. Hinc exiere, vt apparet, BRONCHORSTII Sicambricis familijs adnumerati; & *Lochorſtij* è Traiectenſi territorio olim profecti; & à capris cognomen trahentes *Bochorſtij*; vt à *rapinis ne*, an à *rapis*, *Raephorſtij*: ex illâ familiâ Ioannes Bochorſtius, Catuici & Nordouici dynaſta, in ſobole numerosâ filium ſibi cognominem reliquit Nordouici dominum: ex hac verò inclytæ nobilitatis & equeſtris loci, duo germani fratres concidiſſe memorantur in conflictu cum Friſijs inito, vnà cum Florentio Principe ſuo enecti. Huius familiæ reliqua eſt arx *Raephorſtum* dicta, medio inter Lugdunum Batauorum & Hagam itinere: illius memoriam tuetur *Bochorſtum* (quod vſus, quem penes arbitrium loquendi eſt, in *Boechorſtum* mutauit, quaſi à fagis arboribus, quas Boecken vulgaris lingua nuncupat, nomen inuenerit) arx a capreis ne, an ab hircis in incerto mihi eſt, olim dicta, in mediâ ſyluâ quæ Caninefatis interſecabat, ſita; quæ bis terúe eandem cum cæteris excidij cladem experta, primæ moli longè impar viſitur, milliaris vnius ſpatio diſiuncta Nordouico; cuius poſſeſſio hæreditario iure accreuit Vlictenæ familiæ. DVNIÆ gentis inter claras & vetuſtas habitæ vnica hæres filia ante tria fermè ſæcula Theuderico Brederodij dynaſtæ filio natu minimo innubens, nomẽ familiæ tranſcriptum dedit; quod ille ſoboli ex eo coniugio natæ, ſed additis ſuis inſignibus, reliquit; duratque in poſteritate, quæ *Sprangæ* dominium per atauum eorum qui nunc ſuperſunt, iure coniugiali à *Wieleſteinis* acceptum pro hæredio poſſidet. ZYLIÆ ſtirpi nominis origo accreuit ab amne *Zyliâ*, è Rheni elicibus vno; qui non procul Lugduno Batauorum in vicinum lacum ſe exonerat; in cuius crepidine ſtetit quondã arx *Zylia*, in hodiernam vſque lucem *Curiæ Zylianæ* nomine notiſſima;

Hamſtedia domus. *Horſtia.* *Dunia.* *Zylia.*

tissima; vndè & *Zylia porta* & *pons Zylius*, appellationem traxere. In ea illustrem ad posteros famâ transmisit *Gerardus Zylius* equestris ordinis vir, Purmerendæ Purmeraniq́ue territorij dominus. Cuius posteritati re vel decoctâ, vel per interuersores erosâ (quæ calamitas nobilibus familijs propè peculiaris est) nudum penè nomen reliquũ mansit, nisi quòd resumere spiritum penè intermortuum videtur in Petro Zylio viro prosperâ eloquentiæ famâ claro.

Haftinga. HAFTINGI vetus Batauiæ prosapia, cuius in historijs ante annos septingentos fit mentio, inter Nortmannos claro & illustri loco. Memoratur enim Haftingus, dux Nortmannorum bellicosus, Ligeris ostium classe occupasse ad annum salutis octingentesimum sexagesimum octauum, & Nannetas, Andegauos, Turonos, Pictauosq́ue cum infesto exercitu percurrisse, ac duobus hostium ducibus, qui insequebantur, Rotberto & Ramnulpho Aquitanis interfectis incolumem exercitum reduxisse ad classem, ingenti prædâ opibusq́ue cum suis ditatus. Cuius spectatæ virtutis æternam opinionem in ea clarâ gente adoleuisse in hunc vsque diem videmus, quum fictæ & vanæ soleant interire ac diuturnitate extabescere.

CAP. XX.

De Cœnobijs Nobilitati Hollandicæ destinatis.

PIETATIS religioniq́ue exercendæ officinas ac diuersoria quædam, haud pridiano, sed vetere instituto iam tum in ipsis Christianæ professionis cunabulis extitisse, vt ne dicam Pythagoræ & Socrati antiquioribus fuisse cognita inter Ethnicos, nemo sanæ mentis, qui priscorum scripta

Phrontisteria. legit, inficias iuerit, quæ Phrontisteria Eusebius appellat à

Asceteria. commentationis studio: Philon Hebræus Asceteria, quòd illîc animos in rebus diuinis & verâ philosophiâ exercerent:

Αγνευτήρια. eadem ἁγνευτήρια dicta, quòd religionis meditatio mentes à ciuilis vitæ contagio lustret atque expurget; posterior ætas

Cœnobia. Cœnobia à vitæ facultatumq́. communione (quam inter Iudæos

Iudæos primi inuexisse videntur Essæi, testimonio Iosephi & Porphyrij) dixit. Horum singula separatas habuerunt cellas & ædificiola, vbi pietati vacabant & mentis deuotioni, quæ Monasteria & σεμνεῖα, vt Philon ostendit, nomi- *Monasteria.*
nari voluerunt, quòd secreti solique puræ vitæ mysterijs ibi se dabant totos, eoque nihil quod corporis vsui necessarium est inferri patiebãtur: ea Septimius Tertullianus Cogitato- *Cogitatoria.*
ria videtur dixisse. Cæterùm asceteria, vt è Basilio didicimus, procul ab hominum commercijs olim secreta fuere, vt ne pietatis meditatio continuo exterorum & hospitum accessu abrumperetur. Ex his prima fuerunt & principatûs quoque tulere laudem, eorum qui postpositis substantijs, nullis exterarum opum escis attracti, immutabili voluntatis lege fratribus, parentibus, coniugibus, sodalitijs, amoribus, patrijs denique (quæ omnia sunt veluti validissima retia atque illecebræ trahendis ingenijs opportuna) nuncium re- *Coenobia solitaria.*
misere, ac procul vrbibus, in hortis solisue agris, solitudinem quæsiuere, dum Timonis illius Misanthropi nõ exemplum sequuntur, renouato hominum odio, sed dissimilium ingeniorum commercia nociua vitant. In ijs receptum fuisse morem loquitur Philon, vt oriente Sole preces ac vota funderent, itidem & occumbente illo, cùm vt reuera cæleste iubar mentes afflaret atque imbutas satiaret, tum vt animis cibo potuque recreatis, veritatem ipsam ceu per vestigia quædam indagarent: intermedium verò tempus in exercendâ instruendâque omnigenæ lectionis opibus mente, euoluendis veterum scriptis, & vernaculæ philosophiæ cognitione, collocarent. Horum quædam spontaneam men- *Coenobia mẽdicantium & locupletium.*
dicitatem & inopiam profitentur, nullis aut perexiguis opibus: alia rebus reditibusque opimis lauta vtriusque sexus totâ Europâ abundant. Quina posterioris generis apud Hollandos sunt è Comitum fermè sinu profecta, eorumque censibus ac patrimonijs fundata, quæ cuncta non plebeijs sordibus, sed olim comparata fuere Nobilitati. Primum & antiquissimum ædificari cœptum ad annum 876 à primo

Hollandiæ

Hollandiæ Principe ligneum virginitati, mox à filio lapideum factum, viris destinatum fuit, & quidem nobili loco genitis, quos generis clades & opprobrium excludere non poterat, EGMONDÆ vicini pagi nomine clarum & Præsulis insulati titulo. Ex quo maiorum nostrorum simplicitatem discere licet; cuius, vt & pietatis ex professo amatores, in ædificando luxum profusis sumptibus non quæsiuerunt, nec insanas illas substructiones è quadratis saxis expetiuerunt. testantur id tot Principum ibi sepultorum singulæ tessellæ singulorum sepulchris inhumatorum impositæ, indices atque testes memoriæ: alioqui non puduit magnum illum & triumphalibus titulis clarum Ludouicum Francorum Regem, quem Clodouæum Galli nominant, Argentoratensem ædem, quæ celeberrimum hoc tempore spectaculum orbi ostendit, ligneam exstruere. Sed vt in aruis fata, ita hîc quoque natiuum instituti laudabilis bonum degenerauit, cupiditatis fortasse vitio, quando admittuntur opes viris egentes (vt obiter ad Themistoclis dictum alludam) aut certè vitio simplicitatis Antistitum, qui collegarum è nobilitate inopiæ consulentes, obliteratâ paulatim institutionis conscientiâ, quosuis è medio vulgo authorarunt in cœtum suum cooptatos. At quaterna illa virginitatis claustra, haud temere aliquas, nisi præstantibus nobilitate ac genere familijs editas, inseri suis conuenticulis antehac passa fuerunt, mordicus institutum vetus retinentia. Quorum nomina sunt *Rhenoburgum*, *Coningfeldum*, *Leuenhorstum*, & *Losdunum*; quod postremum in delectu nobilitatis exorbitasse nonnihil creditur. RHENOBVRGVM, nomen habet à *burgo* præsidioúe Rheni præterlabentis alueo contiguo, id quod loci facies abunde adhuc loquitur, tumulo editiore, qui cœnobij hortis dicatus visitur, antiqui operis lateribus coctilibus obmunitus. Situm habet in solo agrorum hubertate fertili, argilloso, triticiq. feraciſſimo. Ipsum cœnobium magnificis ædificijs exornatum fuit, in quibus vnum præcipui operis ac splendoris fuit, quod omnigenarum virtutum

Egmondana abbatia.

Vestaliũ cœnobia nobilibus dicata.

Rhenoburgũ.

tutum & humanitatis laudibus cumulatissima Antistita sacrosanctæ memoriæ Elburgis, destinatum generosorum & virtutis opinione spectatorũ hospitio ante decimum quintum abhinc annum exstruxit; cuius frontispicio numerum annorum loquens distichon meum inscriptum legebatur:

*Nob*ILI*tas prob*I*tásq*V*e* I*sth*VC *s*I*b*I IV*rè* L*eg*V*nto*
*Hosp*I*t*IVM, EL*b*V*rg*I*s d*VLC*es q*V*od fe*CI*t ad* V*s*V*s*.

Huic cœnobio (quod Petronilla Lotarij Cæs. soror, Florentij secundi, Comitis Hollandiæ vxor condidit, in substructis, vti reor, præsidij fundamentis exædificatũ) nunc præest generosa ac cordata Antistita è stirpe Rossemiâ. Cæterùm Cœnobium totum calamitoso & fatali hoc bello, exterorum militum proteruiâ inflammatum in cineres concidit.

LEEVWENHORSTVM distat Rhenoburgo milliare vnum, ad mille quingentos passus Nordouico, situm est loco peramœno, agrorum feracitate cedit illi; religionis nobilitatisq. par vtrobique cura, sed impar nominis honos atque dignitas; Antistitam habet Ioannam Douzij stemmatis, primariam & sapientem fœminam, Latini sermonis nõ ignaram, & quæ magno operæ pretio auxit res cœnobij; cuius auctor condendi memoratur Arnoldus Sassenhemus Harlemensis Curio, qui virginalis pudicitiæ studio, cùm in hoc, tum in alterum quod Harlemi Vestalium choro dicauit, Magni cognomine vulgò celebre, opes suas largiter effudit ante annos trecenos. exstrui cœptum ad annũ 1262. Quod dixi KVNIGFELDVM, Latinè spirat *regium campum*, Præmonstratensis ordinis cœnobium, à Richardâ sorore Wilelmi Cæsaris exstructum in suburbio Delphorum ad Sciæ fluminis ripam. Locus cognominis illi, vbi Melchisedecus Solymorum Rex Abrahamum excepit, quem Iosephus testatur πεδίον βασιλικὸν, hoc est, Regium campum quoque fuisse nominatum. Huic quoque cœnobio clades superiori similis abhinc triennio ferme ingruit, quod incendio absumptum, fundo tenus dirutum est & excisum, quòd opulentæ ciuitatis mœnibus imminens situs vicinià suâ exi-

Leeuwenhorstum.

t'groot baghijn-hoff.

Kunigfeldum.

Losdunum. tiosus illi fore timeretur, si hostis eò receptus esset. LOSDVNVM duobus passuum millibus ab Hagâ Comitis dissidet, à collibus quos inter habitatur nomen adeptum, Bernardi institutũ sequitur, à Mathilde constructũ, vbi ostenditur inter alia monumentum Margaretæ Principis fœminæ, quæ Florentij IIII. Comitis è Mathilde iam dictâ vxore filia, Comiti Hennebergensi nupta, vno pauciores, quàm annus vertens dies habet, liberos partu portentoso edidisse memoratur: quæ res, vt compendio absoluam, ad hunc habet modum. Pauperculam gemellos enixam, & pendentes vtrinque ab vberibus lactantem, quæ Comitis vxori se fortè obtulerat stipem flagitans, probro incessebat ipsa Princeps, & adulterio concepisse incestam prolem aiebat; fieri enim posse vt vno ex marito bina stirps nasceretur, pernegabat. Illa pudicitiæ intemeratæ Deum testem citans, imprecatur illi sobolem, quæ numerum solidi anni dierum æquet, si pudicitiæ suæ constaret honos. precum efficaciam comprobasse euenti fides dicitur, partu incredibili, nisi publici monumenti auctoritatem conuellere, fidemque tabulæ ad testandam sempiternam rei memoriam positæ dissoluere nefas putarem. Epigraphen non abs re fuerit hoc loco adscribere, seruatâ eius sæculi lexi, vt Saliorum & Carmentæ obsoleta verba religiosè retinenda duxit antiquitas, & conseruanda, ne fides periclitetur.

Partus mirabilis.

ILLVSTRIS *Domini Florentij Comitis Hollandiæ filia, cuius mater fuit Mathildis, filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoque habuit Guglielmum Alemanniæ Regem: hæc præfata Domina Margareta, anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ætatis suæ anno quadragesimo secundo, ipso die Paraſceues, horâ nonâ ante meridiem peperit infantes viuos promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quatuor, qui postquam per venerabilẽ Episcopum Dominum Guidonem Suffraganeum præsentibus nõnullis proceribus & magnatibus in pelui quâdam baptismi sacramentum percepissent, & masculis Ioannes, fœmellis verò nomen Helisabeth*

Heliſabeth impoſitum fuiſſet, ipſorum omnium ſimul cum matris animæ ad Deum æternaliter victuræ redierunt, corpora autem ſub hoc ſaxo requieſcunt.

Exemplum numeroſi partus.

Conſimilis exempli in partu numeroſo obſeruati fides, ne quid Dei potentiæ derogetur, adnotata legitur ab Annalium Brunſuicenſium ſcriptore: conſentientibus Alberto Crantzio in Vandalicæ hiſtoriæ commentarijs, & Erneſto Anhaltinorum Principum hiſtoriographo, quorum cõſenſus teſtatur triceſimo ſeptimo poſt prædictum prodigium anno, Margaretam huic de qua loquimur cognominem, Holſteinij Comitis coniugem, totidem capitum ſobolem maturo partu enixam ediditſe, in quo fœtus omnes humanam manifeſtè ſpeciem repræſentantes, in baptiſterio ſalutari vndâ abluti fuerint. Porrò Ariſtarchi cuiuſpiam miniatas ceras depoſcere videtur, id quod Io. Cuſpinianus, qui Cæſarum vitas diligenter annotauit ſcripſitque, à noſtris Annalibus non parũ euarians, Mechtildem ſororem Guilelmi Cæſaris, Comitem Hennebergenſem nominat hanc ipſam, quam nos filiæ puerperæ matrem diximus; quam (vt ipſe numerum init) trecentos quinquaginta fœtus vno partu, fidem omnem ſuperante miraculo, excluſiſſe prædicat, ab Othone auunculo Traiectino Præſule in peluis labro baptiſmo tinctos. Nos tabulæ penſilis, quæ in Loſdunenſi fano rei memoriæ conſecrata eſt, fidem ſequimur: quam eo libentiùs hîc inſeruimus, quòd animaduertam non piguiſſe clariſſimos viros, Eraſmum & Ludouicum Viuem, auctoritatem rei geſtæ monumentis ſcriptorum publicè teſtatam ad poſteros tranſmittere. Extatque hodie ſupra Worcomium cis Moſæ ripam arx eiuſdem memoriæ teſtis, Puerorum cognomine nuncupata, quæ totidem, quot fuerunt capita, feneſtras olim oſtentabat, nunc Roſſemiæ familiæ propria.

Cuſpinianus à noſtris Annalibus diſſentiens.

Arx Puerorum.

CAP. XXI.

De Germanorum origine & populis, quibus olim nominibus appellati fuerint, quibus hodie.

POSTQVAM gentis nostræ cunabula detexui, eiusque ortum à fonte altiùs repetiui, operæ pretium mihi facturus videor, si in Germaniam Chattorum, quos progenitores nostros non inuiti agnoscimus, genitalem terram digrediar, quò intelligant Germani rectiùs, quã hactenus à quopiam proditum scio, ortus sui altissima primordia, nostrisque hominibus clariùs pateseat, quibus originem nostram debeamus, quos finitimos populos, quos socios hostésue habuerimus, quibus moribus cum Germanis coãluerimus; postremò declaretur quibus singulæ nationes nominibus olim cognitæ fuerint, vt excussa dubitationis atque obscuritatis latebra, lux rebus accedat. Germanorum igitur nominis ratio multiplicem disceptandi atque altercandi materiam ingenijs præbuit, dum pro se quisque commenta veritati quam simillima, & non absurda etyma fingens, inuentis suis gaudet, ac gloriæ aucupio intentus, in mustaceo (quod aiunt) laureolam quæritat. Hic namque Germanos quasi prorsus viros, ob martium ac virile virtutis robur: ille à certa obstinataque fide quam sibi mutuo integram præstabant, æternum nomen inuenisse existimat: neque perperam diuinasse creditus est, qui ab honorata militia nominis etymon deducere voluit, quasi Geert man / contracta vocis mole, German / dictus populus fuerit. Alius purè puteq. Latina voce, veluti genuinos & gnesios dictos censet, quòd priscæ integritatis & rusticanæ simplicitatis nulla ferè gens plus retinuerit; cuius somnij auctorẽ in aures populi influere & ad gratiam loqui voluisse apparet: quamuis simili errore inuolutus cum Liuio geographus Strabo, summo iure inditum illi genti à Romano populo illud nominis putat, quòd penè legitimi ac germani fratres Celtarum essent, siue mores & viuendi ritum, siue proceritatem corporum

Chatti progenitores Batauorum.

Germani vnde dicti.

porum & rutilam cæsariem spectare quis velit. Ioannes Goropius amicus noster, quantum video, à cogendo militē & ad se colligendo non absurda ratione deducit à Geren/ quod est, cogere. Cuius opinioni adiumento esse & adminiculi vicem præbere videtur Tacitus, qui in commentario De moribus Germanorum profitetur, Germaniæ vocabulum recens esse nuperque additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi (vt eius verbis dicam) Gallos expulerant, nunc Tungri, nunc Germani vocati fuerint, ita nationis nomen, nō gentis eualuisse paulatim, vt omnes primùm à victore ob metum, mox à seipsis inuento nomine Germani vocarentur. Quibus verbis obscurioribus innuere videtur, Germanos aliquando transito Rheno quum in Gallos expeditionem mouissent, in alienæ ditionis terris amne medio excluſos à suis finibus, victorum voluntati (quippe præpotentibus tunc Tungrorum opibus) concessisse, vt communi nomine coniunctim Tungri dicerentur, postea separatim proprium nomen sibi delegisse atq. vsurpasse ab illis discretum: quam sententiam intelligere licet è voce Nationis à Festo Pompeio dilucidè explicata, vbi Nationem dicit esse hominum genus qui non aliunde venerint, sed ibi nati sint: ita vt latiùs eius pateat significatio, quàm Gentis, quum vna natio plures gentes includat. Itaque Germanos nationis nomine censeri existimo, quorum appellatio prævaluerit, & Tungricæ gentis nomen diluerit postea atq. obscurarit. Neque desunt qui Germanos conuenas & collectitium populum interpretantur, à Geren/ quod congregare significat, quo pacto Asinius Quadratus inclytæ fidei historicus, Alemanos (quo nomine sub inclinati Imperij tempora vocari cœperāt) velut collectitiam gentem, aut conuenarum colluuiem, qui longè lateque patentem regionem inundarant, nuncupatos scripto prodidit: quanquam parùm exactè peregrinæ vocis vim perspexisse homo Romanus creditur, propiusque ad verum collimaturus fuisse, si vniuersos bellatores, & à virtute viros eius nominis

Taciti locus explicatus.

Natio quid.

minis ambitu contineri censuissent. Sunt & qui bellicosos & præliorum amantes innui autumant, à *Gerra*, quam adiecta quinta vocali plenioribus buccis *Guerram* pronunciant Itali, cuius vocis notior est significatio, quàm vt hîc apponi debeat. Vir in gente Saxonum doctissimus à Carmanis Asiæ populis, Lucano etiam memoratis, vocabuli auspicium deducit, vti à Sacis Saxonum; alibi Hebræo etymo illos dedicat, vt sint quasi *Gerim ani*, quod lingua illa significat aduenas inopes & egenos. Vlterius etiam prouectus plenis velis, & quadam studij in patrium nomen voluptate delibutus Peucerus Germanos, quasi *Hermenner*, hoc est, militares viros dictos existimat. Ita luditur proteruè in pugnacissimæ gentis nomine toti orbi aliquando formidabili, dum naturæ suæ semina persequens vnusquisque, prouerbij veritati nihil derogari patitur; quod totidem sententias, quot capita esse loquitur. At ego nominis originem ad famosum illud aquarum diluuium, quo totus interijt orbis, reuoco: quando Saturnus, qui idem & Noäcus, in ternos liberos orbem terrarum partitus est, quo tempore Iapeto in sortem cessit Europa siue Occidens; Semo Asia siue Oriens; & Chamo, quem etiam Cameſen alij nominant, media mundi pars Africa, quod & à Sulpitio Seuero traditum est. Quam sortitionem Græca vanitas, mendaciorum architecta & parens, in Iouem, Neptunum, & Plutonem referendo, imitari atq. adumbrare voluisse videtur, quando illa sacrorum vatum libros, quos non perfunctoriè inspexerat, historias concinniores verioresque, suis somniorum præstigijs inficere, obscurare, óbruere aggressa est, cuius rei locuples testis est in Apologetico suo Iustinus martyr. Quàm verò aptè & conuenienter cum natura & ingenio regionũ ista sortitio congruat, ita vt nullus Polycleti canon accommodatiùs id in quadrum (quod dicitur) redigere possit, paucis verbis explicatum dabo: siquidem Iaphet Hebræo idiomate pulchritudinem denotat, fatali nomine debitam & peculiarem futuram Europæis populis, qui eximia

Sortitio triplex orbis terrarum.

Iaphet quid.

pulchritudini

pulchritudinis ſpecie, & niueo corporũ decore cæteras nationes antecellerent tametſi alij ea voce dilatationem ſignificari velint, argumento imperij quaquauerſum extenſi & immenſum aucti. Rurſus Sem ſignificat nomen ſeu nominis ſplendorem, quæ propria laus eſt Aſiæ, quæ & opibus & fertilitate, & ampliſſimarum ciuitatum gloria nobilitatem quæſiuit, & aſſecuta eſt rerum geſtarũ maghitudine. Cham verò, quo vocabulo calor denotatur, ſeu Cameſes, quo flagrans & æſtuoſus calor, quomodo appoſitè magis naturam exprimere poſſit Africæ ſeu Libyæ, nõ video, quãdo Aphrica frigore defectam, Libya pluuiæ egenam ſignet, cui cælo terraque aquarum penuriam, quòd feruenti Solis igne aduratur, eſſe ſcripſit Salluſtius. De poſtremis duobus, quando vniuerſi hiſtoriam non perſequor, plura dicere nunc ſuperſedeo, ne legentium animos vana expectatione ſuſpendam, ad hæc noſtra quæ exorſus ſum pertexenda properans. Iam verò conſtat ex Moyſe, cui inter legiſlatores & religionis ſacræ ſcriptores principatum, etiam ethnici detulerunt, poſt factam non fortuitò aut temere, ſed altiore quodam & diuino conſilio orbis terrarum partitionem, Iãpeto natam eſſe maſculam prolem, nomine Gomerum, ſiue cognata litera Comerum, qua voce apud Hebræos perficiens & circulum ambiens ſignificatur. Ea verò vocis genuina ſignificatio, ſcriptoribus Cimmeriæ linguæ imperitis hactenus ignorata, quòd nemo eam caliginem diſcuſſerit, meridiano ſole clariùs eluceſcet me duce, ſi cratem dictionis molliter diſſoluas. Quid enim aliud in iſto idiomate ſonat, *Go om her*, diſiuncta, rurſuſque in compagem clauſa eadem voce, *Gomer*, quàm in orbem ambio, & curſum perficiendo abſoluo? hinc dicta eſt & Gomera orbicularis illa diſciplinarum ſeries, quam Encyclopædiam Græci, orbem doctrinæ Fabius nominauit, quòd ſit ἀπείρων nulloq. fine, vt & annulus, circumſcribatur. Iure igitur felix iſtud nominis auſpicium ſoboli Iapeti obtigit, quæ in orbem circumijt, & vti præ ſe fert appellatio, curriculum datum præſcriptumque ſorte

Sem quid.

Cham quid.

Gomer quid.

Encyclopædia Gomera.

sorte absoluit, ab ortui Solis substratis terris ad vsque eius positum, terras omnes emensa. Nemo namqne historicæ cognitionis tam est rudis & ignarus, quẽ lateat Gothorum & Vandalorum (qui Cimmeriorum progenies fuere) armis Hesperiam vtramque occupatam, possessamque fuisse, quæ felice ex illis stirpe ac beata propagine in hoc vsq. senescentis sæculi curriculum, velut reddita Pyliæ iuuenta, peruirescunt. Quare quum consentientibus calculis è Gomero propagatos esse Cimmerios, omnes fateantur, qui quum principio interiora Asiæ penetralia tenuissent, à Scythis pulsi, & semper ad occidua tendentes, in Scandiam, inde in Cimbricam Chersonesum traiecerunt, quod conuenientius vocabulum gentis Cimbricæ auctori Gomero, & vicissim genitoris sui nomen retinenti populo aptari potuerit, quàm à circumeundi & circumquaque palandi studio, non perspicio. Quæ namque gens vna maiorem terrarum circuitum confecerit, haud facilè legendo didicisse quenquam arbitror: id quod apertè ac diligenter explanat Iosephus Antiquitatum Iudaicarum accuratus scriptor, qui Gomeri posteros ex Armenia profectos ad Tanain vsque amnẽ excurrisse, inde per Europam vniuersam extremis Gadibus tenus terras omnes multitudine inundasse scribit. Clarissimè verò propagandi & conficiendi cursus sui studium ea in gente Plutarchus in vita Marij explicauit, cuius verborum sententiam solùm appendam Latinis auribus, ne citandis Græcis lectori fastidium pariam, chartasq. odiosè prolixus onerem. Cimbros (inquit) prædicant, quoties loco se mouent » mutatis sedibus, non vno impetu aut assiduè, sed quolibet » anno vbi tempestatis fauet commoditas, prorsum semper » tendendo, proximas quasq. regiones bello aggredi, quum- » que varia inter illos populorum sint nomina, communi ap- » pellatione Celtoscythas agmen suum vocare. Alij referunt Cimmeriorum, quos ab antiquo Græci cognouerunt, non magnam fuisse vniuersitatem, sed exules potius quosdam aut seditiosos à Scythis exactos, à Mæotide in Asiam transmisisse,

E Gomero Cimmerij & Cimbri.

Plutar.

misisse, ductore Lygdami: longè verò maximam & bellicosissimam gentis portionem in extrema maris Oceani ora consedisse, ac regionem opacam, nemorosam, & propter præcelsas spissasque syluas ad Hercynium vsque saltum pertingentes, soli inaccessam colere. Hactenus ferè verba illius vtcunq. reddidi: vnde Homerus de ijs ita cecinit in Odyssea: Odyss. λ.

Cimmerij nube ac densa caligine mersi,
Quos nunquam radijs lustrat Phœbeius orbis,
Seu quum signiferum curru consurgit in axem,
Seu quum præcipitante die iam colligit vmbram,
Sic miseræ genti longùm nox incubat atra.

In quo nomine non intellecto nasuta & sciola Criticorum turba meras Chimæras & figmentorum portenta excogitauit, dum hi illos κεμμερίους nominant velut tenebrosos, à κέμμερος, qua dictione caliginem & spissam nebulá significari prodiderunt: alij κερβερίους scripsere, secuti Comici Aristophanis auctoritatem, à Cerbero cane infernali, cuius latratum imitari gens barbara voce incondita & absona ipsis videretur: nonnulli à patrio deæ Vestæ numine (quam Noaci vxorem fuisse, & Chaldaicè ignem, qui religiosè ab illis habitus fuit, significare constat) quam κίμμεριν nuncupatam Alexandrinus Hesychius annotat: Rursus χειμερίους Zeugmatites Grammaticus appellandos censuit, quòd septẽtrioni subiecti, ac propterea perpetuis algoribus obnoxij damnatiq́ue sint. Omitto hîc gentis etymon ex Etymologici auctore repetitum ab Eustathio, quasi gens illa Scythica, borealis, & incertis sedibus palabunda dicta fuerit, à κεῖσθαι ἐν ἔρᾳ, quòd subterraneis locis vitam degerit: quæ etymi ratio si accipienda sit æquis tabulis, Laconico ritu, iã ijdem cum Erembis & Troglodytis fuerint, qui à Dionysio inter Æthiopas censentur, voce idem signante; nam & Erembi nomen habent ab ἔρᾳν ὑποβαίνειν, quòd tellurem subeant; & Troglodytæ à ξώγλα; ὑποδύω, quòd specus & antra caua subingrediantur, quos non rectè cum Saracenis confundit Eustathius: quæ trina populorũ nomina, vt in etymi signi-

Cimmerij populi.

Vesta Noaci vxor.

ficatione consentiunt, in terrarum positu toto cælo dissident, ita in subterranearum habitationum ratione vt conuenire possint, absurdum non fuerit, quando diuersa lege substratos boreali axi populos immane frigus subterraneis se specubus induere cogit, Æthiopas verò torrens Solis æstus altissimis se antris abdere compellit. Hæc diffusiùs de Cimmeriorum nomine annotare libuit, quòd etsi in nullo ferè consentiant de gentis etymo auctores, in hoc tamen deprehendatur discordia quædam concors, quòd in eandem gentem cuncta diuersè dicta conueniant. Vnde verò Cimbros Germanico etymo Plutarchus, aut Gallico Festus Pompeius latrones ac subsessores dici probare queant, non intelligo, nisi pro latronibus milites conductitios accipiamus, quomodo Plautinus miles glorioſus dixit, *Latrones quos conduxi*; & rursus, *vt sibi latrones cogerem & conscriberem*. quando & Latrocinari idem Poëta extulerit, pro, stipendio præsente militare; vt in Pœnulo, *Latrocinantur, quia aurum poscunt præsentarium*. & in Trinummo, *Latrocinatum ire* dixit, quod militatum abire Terentius: aut nisi videatur Plutarchus id retulisse ad peculiarem genti morem belligerandi, vt quæ clandestinis latronum more insultibus finitimos opprimeret: atque ita memorat impetuoso illorum incursu perculsam Italiam timuisse, quum gentem neque de nomine neque de genitali sede notam, repetinæ nubis instar suis ceruicibus ingruere intellexisset: atque eo modo dixit Fl. Vopiscus Proculum Imp. Germanos obtriuisse, nunquam aliter quàm latrocinandi pugnantes modo. Atq. hactenus de Gomero Cimmeriorum gentis & nominis auctore. Ex hoc triplex propago extitit, Asknaz, Riphath, & Thogarma, vt Moyses, & Annalium, qui relictorum nomine inscribuntur, auctor, prodiderunt: quos inter Asknaz Scandianorũ, qui Scandiam insularum maximam incolunt, à quo non abludit vox Hebræa; Riphath Riphæorum, qui iudicio meliora sentientium doctorum sunt Sarmatæ & Heneti, qui Nomadum ritu vitam scenicam &

Cimbri.

Latro.

Latrocinari.

Asknaz.

Riphath.

cam & motoriam (vt dicitur) fabulam in plaustris degunt cum familijs loca & pascua semper incerta mutantes: nisi per Riphæos velimus ipsos Scythas accipere, quandoquidem gens ista Caucasum altissimũ montium accolit, quem etiam Riphæum ipsi nominant. Thogarma Germanorum progenitores fuisse contendo. quamuis enim Æscanazim communis Rabinorum opinio teneat Germanos esse, non tamen illi accedo, multoq. minùs Saxonis etymo, quod ab Æsch cohen deducit, ac si custodes fuerint & sacerdotes ignis quo propitiabatur Deus, ob religionis curam: neque suffragor Bodini sententiæ, qui ita dictos autumat quasi dispersos habitatores, à Sacannaza. Goropius in Orphica philosophia coryphæus, Iberorum sententiam obiter delibat, qui ignem quasi aspergentem exposuerunt, animi impotentiam furori non alienam, qua mentis sedes percellitur, eo innui volentium: ipse persequens opinionẽ de Germanis initio librorum proditam, attribuit illis accipitrinam rapacitatem. Proximè ad rei veritatem collimare mihi visus est eruditissimus iuuenis Guido Fabricius Syriaci Euangelij interpres, quem honoris caussa nomino, qui hac appellatione septentrionales populos ait ab Eschek nazeh, quod sonat testiculum redundantem aut effluentem, censeri genituræ argumento, quòd cæteras omnes gentes gignendis prolibus fœcunditate superent. Constat enim è Scandiæ siue Scandinauiæ locupletissimo alueo erupisse variarũ gentium examina, quæ Europam longè lateq. procellæ in modum oppleuerunt, Vandalos, Gothos, qui inter Asknazæ posteros ab Eusebio recensentur, & quidem rectè, Danos, Burgundiones, Pictos, pluresq. alios. At in Tho-garma, siue per secundam vocalem The-germa (est enim apud Orientales arbitrarius ille punctus, sicut accidit in Thira secundum Aquilæ lectionem, quod in Thora mutauit Symmachus: deinde Tau litera est adiectitia, propterea ab Hebræis Hemãtica appellata) manifestè relucet origo nominis Germanorum, reiecta, vt dixi, tau adiectitia, & secunda vocali

Thogarma.

sumpta pro prima, ac si quis nostrate lingua per articulum *the*, efferat, *the germans*, id est, Germani; & respondet voci etymon aptissimum & genti, quod est, *garam* siue *geram*, quod os significat, & metaphoricè robur, quòd ossea sit gens tota, & solidarum virium firmamento ac robore prædita. Verùm ne quis malè oculatum me caussetur, aut malefirmo iudicio, defensionis nostræ fundamẽta inniti arbitretur, age inuictam Achillis armaturam proferamus, & magno æquitatis patrocinio caussam nostram tueamur, quod vaticiniorum cap. tricesimo octauo præstabit Ezechielus, vbi minitans Deus se oppositurum impijs totum terrarum orbem & gentium immanium arma, Prophetæ verbis ita loquitur; Gomer & vniuersa eius agmina, domus Tho-germa, latera aquilonis. quo loco Chaldæus paraphrastes non obscurè Germanos, pro voce Tho-germa, reddit & nominat, clareq. Propheta sui ipsius interpres appellat familias Thogerma, syllepticè latera aquilonis, vel (vt Hebraicè sonat, tsaphon) abscõditi. Sic etenim Septentrio vocatur ibi, quòd ea mundi plaga radijs Solis imperuia sit atque inaccessa, ac proinde in tenebras abstrusa: Germanos verò latera septentrionis nuncupat, quòd adsiti sint & vicini boreali axi. Meminit eiusdem nominis & gentis idem vates cap. vicesimo septimo, vbi illud Prophetæ, de domo Thogerma equos & equites, Chaldæus interpres conuertit, de regione Germaniæ. Hinc est quòd Stephanus Ethnographus Germara Celticæ, hoc est, Germaniæ populum, qui Solem non videat, testimonio Aristotelis in libello De mirabilibus commemorat. Ab eadem gente verisimile est Germen Hellesponti vrbem conditam, & Germaniciam quoque ad Euphratem sitam, vt Asinij Quadrati auctoritate refert Stephanus, cuius in Itinerario prouinciarum fit mentio. Atque ita quidem de Germaniæ nomine atque etymo, imò verò & de natalibus primis altissimaque nationis origine, indicta priùs, non dissentiendi ab alijs studio à me in medium prohta existimari velim, sed solùm limandæ atque indagandæ veritatis

Ezech. c. 38.

Septentrio quare absconditum vocetur in scriptura.

Cap. 27.

Germanicia.

veritatis cauſſa, quando ſepoſito altercandi animo deceat nos veritatis eſſe aſſertores, hanc in lucem proferre, huius amori præ Stagyritis & Platonibus palmam omnem deferre. Germaniæ tractum in quina hominum genera partitus eſt Plinius, Vandalos, Ingeuones, Iſteuones, Hermiones & Peucinos: ſed qui breuius, in tres eam populos diuiſere, nimirum Ingeuones, Iſteuones, & Hermiones: quos qui à ſingulis Regibus nomina traxiſſe volunt, eorum impudens eſt oratio, & veneris omnis expers: ſiquidem ab orbis poſitu nomen illis inuentum veriſimilior ratio obtinebit. Ingeuones quaſi αὐτόχθονας & indigenas interpretantur, quomodo Corn. Tacitus indigenas eos credidit, quòd aliarũ gentium aduentu hoſpitioque permiſti non fuerint, quam gloriam germanam & propriam priores ſibi arrogarũt Athenienſes: quanquam quid aliud ea conſecuti fuerint, quàm vt Antiſthenis conuitio aſpergantur, nimirum vt parem ſibi cum cochleis bruciſque nobilitatem conſtare cogitent. Itaque cùm iſtud non probaretur Beato Rhenano, vt interdum mihi videtur præcipitis atque incoërcitæ audaciæ plenior, reijcit eam vocem planè, ſuumque Vigæuones inculcat, ac pro indubitato affirmat, oſtenſurum ſe dictitans id quod ſuo è cerebro immaturo partu editum profert, volens ea voce ſignificari accolas ſinus maris, à Wijck ſiue Wig/ qua ſinus maris fluuijue, vti nobis approbare è Saxonica lingua conatur, denotetur. Laudi datur in obſcuris ac dubijs dextrè hariolari, neque vitio mihi vertendum erit, ſi lucis aliquid infundere abſtruſis coner. Itaque certa ratione perſuaſus eas gentes nomina à terrarum poſitu ſiderumque reſpectu accepiſſe auguror, id quod Germanis familiare, & vt verbis Beati Rhenani dicam, ſolenne eſt, à ventis indere locis & populis nomina. Quare vt ſuo ipſe iudicio conuincatur, pro Vigæuonibus, quos ipſe praua ratione reponit loco Ingeuonum, Iſteuones appellandos, quòd ad orientalem mundi cardinẽ vergentes terras inſederint, certò exiſtimo; quam nominis neceſſitatẽ facilè obtineat diuerſum Viſtæ-

Veritatis ſtudium præualeat.

Germaniæ tres populi.

Ingeuones.

Athenienſium indigenæ.

Vigæuones qui.

Beati error.

Vistæuones. uonum etymon, qui appellationem habent à situ occiduum Solem spectante, vt illi fuerint Istwones, ac deinde Eestwoners, hi Wisteuones, & Westwoners. Quis enim non rideat insaniã Pseudoberosi, qui ab Isteuone quarto Rege Thuisconum nominis originem traxisse, in scripta retulit; quem Achilles Gassarus ædificandi rationem rudi populo monstrasse nugatur, quasi homines tunc primùm è quercubus nati, iuxta fabulas, cœperint algores, æstus, aliasque aëris in-

Hermiones. iurias persentiscere. Sequuntur Hermiones, qui mediterranei fuere (ita enim obiter restituenda est ac distinguenda

Plinij locus restitutus. apud Plinium lectio ex Tacito, vbi perperam ea vox cum Cimbris iungitur hoc modo, Quorum pars Cimbri mediterranei, quum post Cimbri puncto appositio, legendum veniat, Mediterranei Hermiones &c.) sic dicti quòd loca inter orientaliorem & occiduam plagam media possiderent, id enim sonat, ther mid woners / vel Hertmidwoners/quòd telluris meditullium insiderent, ab Herto, quod vocabulum pro terra etiam Tacitus in libello De Germanorum moribus agnoscit: quod non vidit Rhenanus, qui vitiatam vocem existimauit pro Herduones, quòd firmius solidiusque solum colendum sumserant, veluti oppositi Vigæuonibus, qui depressiora magisq. irrigua & vliginosa loca insederant: quos ineptè ab Hermione quinto Germaniæ Rege Zieglerus Hieronymus nuncupatos prodidit, qui vir belli arte clarus disciplinæ militaris inter suos institutor fuerit: quod ipsum ex Berosi (nisi fallor) fabulosis antiquitatibus repetijt Nouiomagus. Atque hæc de tribus Germaniæ populis mea

Germania duplex. sententia est. Germaniam duplicem concorditer faciunt

Germ. prima. auctorum scripta, ac præcipuè Marcellinus, Superiorem siue Primam, in qua Mogontiacum, Vangiones, Nemetes, & Argentoratum præcipua municipia recensentur: deinde In-

Germ. secũda. feriorem siue Secundã, quam Agrippina Colonia, & Tungris copiosis atque amplis ciuitatibus munitam Ammianus prodit, quibus Cæsar lib. 2. adiungit Neruios, Atrebates, Morinos, Menapios, Eburones, Veromanduos, pluresque

alios

alios vno nomine, vt inquit, Germanos appellatos: cuius fines attingebat Belgium ad Oceanum vsque & Rhenum amnem. Superioris verò limes erat Obrincus seu Mosella. Totam autem Germaniam illinc Rhenus ripis suis terminat, hinc Oceani littora, à meridie Alpes Italiæ, pro muro obiecti & inuicti propugnaculi atque impenetrabilis vicem præstantes: ab oriente Sarmaticarũ gentium confinia claudunt, ex eorum arbitrio qui immigrationem populorum linguæq; commercia respiciunt; quam sententiam fouent Strabo & Mela. Hinc diuersus est Germanorũ tractus, qui ab Isala Rheni ostio ad Albim vsq. sedes coluêre, vt docui, quorum regionem tertiam Germaniam facio. *Germania tertia.* Porrò Germanis in vniuersum ab auctoribus corporũ moles & firmitas, mortisque contemptio tribuitur, vti Agrippa apud Iosephum Iudaicæ captiuitatis lib. 2. edisserit; & testantur idem Hegesippus, & in Celtico Appianus, ob spem resurrectionis animorum, quod eleganter Lucanus expressit ibi, *Germani resurrectionem crediderunt.*

——— *Populi quos despicit Arctos*
Felices errore suo, quis ille timorum
Maximus haud vrget lethi metus; inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis, & ignauum est redituræ parcere vitæ.

Teutones & Tuiscones eosdem esse voluerunt, siue à Tuiscone Deo terrâ edito, gentis conditore, seu potius à Teutate, quem Mercurium exponunt, qui magna religione & humanis hostijs apud Germanos colebatur, vt præter Lactantium Lucanus fidem facit illo versu: *Teutoni.* *Teutates.*

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensq; feris altaribus Hesus.

Tuisconem verò Telluris filium veteres credidere, quòd omnem ætatum memoriam eius Antiquitas fugerit, eiusque sedem fuisse ad Rhenum apud Coloniam Agrippinam affirmant, municipio memoriam eius retinente, quod Tuitium vocant, Rhegino Duciam, in cuius codicibus malè Duriam scriptum inuenias. *Tuiscon.* *Rhegino emẽdatus.* Iam verò vt Germaniæ populos quibus

quibus nominibus Romani Græciq. vocarint, quibus item hodierna nomenclatione nuncupentur, explicem, diuersiùs paulo à recentiorum opinione eos in classes digeram, inter quos Visteuonibus attributos inuenio Sicambros, Batauos, Mattiacos, Vsipios, Tencteros, Tubantes, Frisios, Bructeros, Chamauos, Angriuarios & Vbios. Istæuonum nationes sunt Cimbri, Chauci, Teutoni siue Germani, Vandali, Rugij: Inter Hermiones recensentur Sueui, Hermunduri, Chatti, Cherusci. Ordiar autem à Visteuonum Sicambris.

Sicambri. Sicambri, vt vulgati typis codices præferunt, in manuscriptis Cæsare & Orosio Sugambri scribuntur, teste Fuluio Vrsino inexhaustæ lectionis viro; quam scripturam constabiliunt Ptolemæus & Plutarchus, qui συγάμβρας in Cæsaris vita, paululumque euarians Strabo συγάμβρας scribit, vt Dion συκάμβρας: quocunque tandem modo scribatur vocabulum, videntur illi nomen inuenisse à sagace cura circumspiciendi indagandiq. consilia finitimorum atque molimenta; id enim sonat, ſuch om her/ aut ſich om her/ quo circumquaque lustrandum aut circumspiciendum monetur, siue illud symbolum gentis duci vsurpatum fuerit, siue à natiua ac domestica eiusdem nationis solertia, quæ ad modum canum venaticorum cuncta odorari & perueſtigare assueuerat, certè resident in Gelris & inferioris Cliuiæ indigenis (quos veros esse Sicambros iudico) priscæ sagacitatis scintillæ ac superstitis gloriæ reliquiæ. Hunibaldus tanquam alto ex veterno experrectus Sicambris nomen mutuatur à Cambra Regina Belini Britanniæ Regis filia, astutissima fœmina, Antenoris ex Marcomiro filij coniuge, cuius insignis calliditas in prouerbij ludicrum conuersa fuerit, hominum digitis demonstrata, illam indice designantium, Sich Camber/ hoc est, contemplare Cambram. Peucerus maritimos Cimbros vocabulo notari existimauit, quod alibi dictum mihi est. Sicambros olim infra Vbios, quorum latissimè fines extendebantur, ad alteram Rheni ripam habitasse volunt, nomenque gentis conseruari ruinis vrbis arciſque

ciſque Sigenburg circa Teutoburgum, appellationemque ab ijſdem habere cœnobium Sigemberg, haud procul Colonia, figlinis, ni fallor, nobile, & Sigem oppidum in Bergenſi Ducatu. Sed alas genti nido maiores illi concinnant. Beroſus fictitius nominis originē deducit ad Gambriuium ipſorum Regem, quum Gambriuij populus fuerit non multum diſcretus à Langobardis & Cheruſcis. Hos dedentes ſe Auguſtus Cæſ. in proximos Rheno agros traduxit, vti memorat Suetonius, quo nomen Romanis formidabile, vti meminit Tacitus, obrueretur. Deditos autem conſilio atque aſtu potiùs Tiberij, quàm vi aperta, ex ipſius ad Germanicum verbis apud Suetonium conſtat. Cur verò formidabiles Romanis Sicambri fuerint, cò referunt quidam quòd Centuriones cogendis ſtipendijs miſſos in cruces egerint; id quod de Friſijs apud Tacitum lectum eſt: atque hinc ab Horatio Sicambros feroces & cæde gaudentes vocari putant, niſi hoc potiùs ad inſanum militiæ ardorē ac ſtudium referri placeat. Quanquam & ad hiſtoriam accommodari & iſtud poſſit, quæ tradit Appiani teſtimonio, à quingentis Sicambris quinque equitatus Romani milia in fugam coniecta fuiſſe, obtritis ſupra ſeptuaginta. Cæſar & ex eo Plutarchus Vſipetum nationi vicinæ iſtud adſcribunt, quos præter belli legem, inducijs otioſè fultos quum cæcidiſſet Cæſar, qui cladi ſuperſtites remanſerant, à Sicambris recepti fuerint, moto propterea in hos bello, contabulato priùs in ipſo Rheno ponte, quem apud Geldubam oppidum Rheno imminens (quod Gelriæ nomen de ſe creaſſe putatur) conſtrauiſſe prodidit Iulius Florus. Sicambrorum legio quæ ſub Romanis ſignis militauit ad Iſtrum, iuxta veterem Budam, oppidum de ſuo nomine condidiſſe legitur, vbi pagus ab Hungaris vulgo *Schambry* dictus, memoriam gentis teſtante lapide, qui temporibus Mathiæ Coruini Regis effoſſus fuit, in hæc verba, ſi Lazio credimus:

Sicambri Romanis formidabiles.

LEGIO SICAMBRORVM HIC PRÆSIDIO COLLOCATA CIVITATEM ÆDIFICAVERE, QVAM EX

SVO NOMINE SICAMBRIAM VOCAVERVNT.

quæ inscriptio suspecta mihi videtur, neque antiquitatem spirat. De Batauis & Mattiacis in prioribus dictum nobis est: neque Frisiorum fines indicti sunt, inter quos qui Maiores censentur, turpiter cum cæteris Willichius intra Amisiam collocat, & Visurgin, vbi est Groningensium ager & ciuitas. his enim vtitur verbis. Quo quid potuit ab homine docto ineptius mendaciúq. manifestius dici? quum tractus ille sit Embdani Comitatus, at Groninga infra Amisiam Frisijs contermina sit: rursus Minores Frisios intra Visurgin & Albim, quâ Bremensium ditio patet, falsissimo errore deponit, cum alterius erroris appendice, quando eosdem etiam Busacteros maiores vult esse: hæc namque eius sunt verba, ne quis mendacio illum peti existimet: Frisij, inquit, duplices sunt, aut maiores aut minores. Illi forsan sunt intra Amisum & Visurgin, vbi est Groningensiũ ager & ciuitas; Hij verò sunt intra Visurgin & Albim, vbi est Bremensium tractus, qui essent & Brusactori maiores &c. Vide quàm lepidè, quàm pulchrè, quàm denique ex fide Geographo & historici insignis declaratore digna populos confundat. Sed animaduersionem meretur hominis inconstantia, exactam regionum cognitionem sibi vsurpantis, quando eodem in libro Chaucos minores Ptolemæi intra Amisium & Visurgin cõstituit, vbi sunt, inquit, Frisij Groningenses: maiores intra Visurgin & Albim. Quo loco clarè secum ipse iterum discrepat, & Frisios Chaucosq. eosdem facit propemodum, siquidem interamnates illos statuit, inter Visurgin Albimque inclusos. Sed tam apertè mendaci, ego Pythagoræorum consuetudinẽ imitatus, cenotaphium imaginariumq. tumulum exstruam, tanquam veritatis & cognitionis desertori: illi etenim à sapientiæ studio, quod complexi fuerant, deficientibus, qui ad rationem viuendi priuatam vitæ cursum reflexerant, id facere solebant, pro mortuis eiusmodi habentes, vt ab Origene traditum est. Visipetes, qui Tacito & Martiali Visipij, Ptolemæo transpositis

Frisij maiores.

Willichij error.

Pythagoræorum consuetudo.

Visipetes.

sitis ineptè literis Vispij nominátur, Straboni etiam νεσίπι, ij sunt, quicquid alij dicant, quos hodie Zutphenos appellamus, vocis vestigia adhuc retinentes, temperato molliùs literæ, S, susurro, & veluti mansuefacto per duplicem, Z. imò ipsa vocis assonantia hæret in lingua, à Sipeten progressa ad Sitpeten, inde Sitpen, postea mutatione tertiæ vocalis in quintam, adiecta aspirata nobis familiari, Sutphen & Zutphen. Hos Plutarchus in Cæsare perperam scribit & appellat Ὕπας, quum ἀσιπετὰς ibi scribendũ sit, vitiose etiam apud Appianum in Celtico scriptum inuenias, ὁι Συπετῶν, pro Ουσιπετῶν. Rectè vicinos Frisijs eos iudicat Marlianus, quando illorum fines latè patuerint, & non procul à mari, in quod Rhenus se exonerat, consediſſe, à Sueuis (qui Saxones nunc dicuntur) bellicosissima maximaque natione bello pressos exagitatosque, vt è Cæsare clarum fit, & agricultura prohibitos. Ex quo Peucerieoque prioris Altameri, insignis videlicet rerum Germanicarum indagatoris, atq. huius vestigijs insistentis Glareani (quibus omnibus rerum regionumque externarum inscitia & patriæ studium, cui quo iure quáve iniuria omnia asserere fategerunt, animos ita occæcauit, vt veritatis lucẽ peruidere non potuerint) error facilè se prodit, qui eodem in ludo docti omnes tradũt Vsipetes eam Franconum ditionem & Hessorum tenuisse, quæ à Francofurto celebri emporio & Mœni cum Rheno confluentibus, ad occidentem vsque dictam syluam (vulgo **Westerwalt**) in qua Nassauia est, Lonumq. amnem extenditur, & Ringoia nuncupatur. Quorũ erroris particeps esse voluit Caluetus Hispanus. Quin & impotentiùs delirans Irenicus, sedes illis inter Neccarum, Mœnum, Rhenumq. constituit. Quid, quòd & Willichius in agro Frãcofurtiano & Confluentino locisq. vicinis collocat Vsipios, in magnis erroris inscitiæque tenebris implicatus, quum Tacitus disertis verbis illos Rhenum accolere alueo iam certum, & quem iam terminum esse sufficiat, hodie Isalam nuncupatum, refert? quæ verba eò spectãt, quod ab initio fossæ, quæ

Plutarchus correctus.

Appianus emendatus.

Sueui qui.

à Drusi nomine, cuius iussu ducta fuit, Drusiana appellata est, duo iusta miliaria ad Vsipiorum vsq. metropolim, nunc Sutphaniã, numerãtur, quo toto spatio quia Rhenus perpetuo amne decurrit, neq. amplius metus est aut periculum, vt veterem suum alueum, qui Arenacũ delabitur, repetat, propterea ille scriptor dicit eum fluuium esse iam certum alueo. Quin & vbi Tacitus Frisios & Vsipios Caucorum prouinciæ obtendi ait, clarè ostendit quem orbis positum tenuerint, nimirum Frisijs & Embdanis, qui Cauci sunt, vicinum. Quòd si mari non longè ad Rheni propè exitum sedes habuisse Vsipetes, vt & Tencteros, à Cæsare discere illis licuit, cuius verba haud obscurè lecta in mediũ proferunt, quid in mari aquam quæritant? quid ad Mœnum sedes illorum incertis vestigijs indagant? Vsipetes namque cum Tencteris Cæsari plurimum negotij facessserunt, quos populos Plutarchus testimonio Cæsaris commentariorum (quos Ephemeridas nominat) Rhenum transgressos, præmissis legatis inducias pactos, ex insidijs adortos fuisse Romanum equitatum ad quinque millia numerosum, ac in fugam compulisse, non ausum exspectare illorum impressionem, qui soli octingenti fuerant, deinde iterum misisse honoratiores legatos, deprecandi erroris caussâ, non fallendi specie, sicuti Cæsar interpretabatur, eosq. ab ipso detentos in castris, ne quid suis indicij facerent, atque ita dum illi otiosi feriatiq́ue nihil etiam mali suspicarentur, Cæsarem omnes suas copias in barbaros duxisse, ingentemq́ue edidisse stragem, quum iudicaret stultum esse fidem seruare perfidis, qui contra pacta fœdera ius violassent. Qua de re quum grauiter barbari questi fuissent, Cato (vt refert Canyfius) in senatu dixisse memoratur, quum ad decernendas ob victoriam supplicationes sententiæ inclinarent, Cæsarem dedendum esse barbaris, vt violati fœderis religio illius supplicio expiaretur, auctorq́ue diras capite lueret.

Catonis sententia.

Bructeri.

Bructeri Ptolemæo Busactori dicti, Westphaliæ pars sunt, & Monasterienſis Episcopatus, per quorum ditionem decurrisse

curriſſe Lupiam amnem diſertè teſtatur Strabo lib. ſeptimo. vnde coniectura augurari licet illos prædictum flumen vtrinque prætexuiſſe, Rora amne incluſos. Eoſdē Amiſiam fluuium attigiſſe veriſimile eſt; ſiquidem Strabo ſcripto prodidit eos à Druſo naualibus prælijs deuictos; Druſum autē conſtat per Amiſiam claſſem inuexiſſe, Apollinaris eorū fines ad Viſerin vſq. ſiue Viſurgin extendiſſe videtur, ibi,

Bructerus vluoſa quem Viſeris abluit vnda.

Vbi ſomniator, neſcio quis, qui ad libellū Taciti De populis & moribus Germaniæ cōmentariolo adiecto, aut commento potiùs, vetuſta German. populorum vocabula ſe explicaturum profitetur, Vlmoſa legit, & vlmigeros etiam vocatos Bructeros annotat. Claudianus hos Hercyniæ ſyluæ accolas facit eo verſu, *Venit accola ſyluæ Bructerus Hercyniæ*. Straboni βάκτεροι nominantur, omiſſa in codicibus Græcis. ρ. litera. Æneas Pius latæ culpæ inprimis arceſſendus, qui è vocis vicinia Bructeros conijcit eſſe Prutenos, longiſſimo terrarum tractu diſiunctos: quod ipſum & ſomniator ipſe ſecutus, factum hoc putat, quòd à Tencteris pulſi in Sarmatiam conceſſerint. Tacitus penitus exciſos à Chamauis & Angriuarijs ſcribit, occupatis eorum agris, idque conniuentibus aſſentientibuſque vicinis nationibus, inuidia'ne opum atq. exinde natæ ſuperbiæ odio, an prædæ magnitudine, id verò in incerto relinquit: imò obiectos fuiſſe feris per Romanos conſumptoſque gladiatorum ſicis in ludis publicis, idem auctor non diſſimulat, vti interpretantur quidam, quando ex ijs ſupra ſexaginta millia oblectationi oculiſque ſpectatorum cecidiſſe cōmemorat. Quanquam id referendum potiùs ad inteſtinam gentis diſſenſionem ac diſcordiam, & mutuam inde lanienam cædemque exiſtimarim. Neque tamen ita fuit deletum omne Bructerorum nomen, vt nullæ ſuperfuerint populi reliquiæ, quando tot poſtea ſæculis Claudianus (vti monui) & Sidonius gentis meminerint. Nominis autem etymon à perpetuis paludibus obtinuiſſe videntur, quas Brouken vocamus, vt

Sidonij locus.

mus, vt sint Broucters/ hoc est paludium accolæ. Bructeris adhærent Tencteri, quos à Rheno, hoc est, Isala, incipere, & secundum Frisios habere sedes vsq. ad Amisiam fluuium ex Ptolemæo discas. Florus Tencateros appellat, Plutarchus in Cæsare perperam τεντερίδας, Appianus adhuc peiùs ταυχαρεῖς pro τεγκτήρας, Ptolemæus etiam τ.γγέρας nominat. Hîc iterum coarguitur erroris Willichius, dum Lani & Lupiæ amnium accolas eos facit: sic solet vitioso iacto fundamento cetera moles vitium quoque trahere. Sunt autem Tencteri (nec abludit vocabulum) qui hodie Drenteni audiunt: vt Tubantes illis confines, quos Tuentenos nominamus, quorum ditio à Gora oppido ad Dunculam Benthemi Comitatus fluuium extenditur. Præcelluisse equestris disciplinæ arte Tencteros scribit Tacitus.

Tencteri.

Tubantes.

Chamaui.

Chamaui, aut, vt alij scribunt, Chamani, Frisijs quos hæc ætas Seuenwoudos appellat, vicini fuere & contigui, quos vir eruditus & multiiugæ in historijs lectionis Antonius Scoenhouius coniectura fuisse auguratur, qui nunc Campani accessione literæ vocantur, quorum vrbs mutato Isalæ cursu etiam sedis positum mutauit, quæ quondam fuit Transisalana (qua in ciuitate adhuc censetur) nunc facta Cisisalana. Porrò qui Chamaui per quintam vocalem scribunt, vocis etymon referunt ad, *au*, qua regio significetur. Horum extat mentio apud Ammianum lib. 17. & Panegyristen his verbis: *Quid memorẽ Bructeros, quid Chamauos, quid Cheruscos, Tubantes? bellicum strepunt nomina, & immanitas barbariæ in ipsis vocabulis adhibet horrorem.* Quo loco duplex irrepsit error, in Chamasos scribendo pro Chamauos, & Eruscos pro Cheruscos Itaque fœdi erroris notandus est Willichius, qui intra Melibocum montem & Albin amnẽ eos collocat, vbi, inquit, sunt nonnulli Miseni.

Emendatus Panegyristæ locus.

Cheruſci.

Cheruscos Hercyniæ populos cum plærisque Turingos annotat esse Peucerus. Irenicus habitatores Episcopatuum Halberstatensis, Hildesheimensis & Comitatus Stolbergensis facit: alij Brunsuicenses. nonnulli volunt esse tractum illum

illum qui à Sueuiæ Bruxella, Heydelbergam extenditur, atque vlterius etiam: quorum omnium errorem clarè detegunt atque denudant Ptolemæus Albis accolas describens, & Claudianus ibi, *Latiſq́ paludibus exit*
Cimbrus, & ingentes Albim liquere Cheruſci.
Tacitus adiungit eos lateri Caucorum, & rectè: ex quo ditionis eorum ſitus facilè innoteſcit: ſiquidem Dion hiſtoricus eos vltra Viſurgin habitaſſe teſtatur, quod ex Tacito etiam manifeſtum fit. Nam quum ſuperato Amiſia Germanicus Cæſar cũ exercitu terras Bructerorum inuaſiſſet, occupato quicquid interiacebat terrarũ, ad Viſurgin vſque caſtra extendit, vt traiecto amne, qui Romanos à Cheruſcis dirimebat, hoſtes illos, ſed libertatis Germaniæ vindices Arminio duce infeſtos, opportunè inuaderet. Quare Willichius ineptè ad confluentes Salæ in Saxonia illos collocat. Propiùs ad verum colliniat qui Luneburgenſes eos facit. Longè ampliſſimos eorum fuiſſe fines demonſtratu non fuerit difficile, quippe regionem altrinſecus ſeptam infinitæ magnitudinis ſylua Semana ſiue Baceni, quæ pro natiuo muro obiecta Sueuos, hoc eſt Saxones arcebat à mutuis iniurijs incurſionibuſq́ue, ex Cæſaris commentarijs conſtat. Regem habuere Arminium Segimeri Principis filiũ, manu fortem, & vltra barbarum ingenio promptum (quod de eo teſtatur Paterculus) qui ſecuritate nimia Vari Quinctilij ad occaſionem rei benè gerendæ vſus, tres Romanorum legiones cum totidem alis ſexq́ue cohortibus ad internecionem cecîdit in ſaltu Teutoburgenſi, teſte Tacito, qui ſaltus Teutoburgo, nunc Duiſpurgo dicto, oppido ad Roram amnem flexuoſo Mæandro non imparem ſito vicinus eſt, quod oppidum olim ad ipſam Rheni ripam, à qua dimidiæ horæ ſpatio nunc abeſt, adiectis alluuione fluuij agris, aſſedit. Vnde colligi poteſt euidenter Cheruſcos, à Caucis ſupra Viſurgin habuiſſe initium, perq́ue Monaſterienſem, Paderbornenſemq́ue Præſulatus ad Rhenum Duiſpurgo tenus deſijſſe, per longos terrarum anfractus. Horum finitimi erant à ſeptentrione *Arminius.*

ptentrione Sicambri, versus austrum cum Angriuarijs Vbij.

Angriuarij. Angriuarijs nominis occasionem dedisse videtur inuadendi hostes studium, quod sonat angripen: quibus bellicæ gloriæ laude claris sedes libentiùs attribuerim ad Angriam Westphalorum nō procul à Luppiæ capite (cuius se Colonienſis Archiepiscopatus Ducem præfert) quàm cum Willichio Magdeburgenses fatear, veterisque Marchiæ incolas simile nominis vestigium seruante Angermundo vetusto scilicet oppido, in Brandeburgensis Marchionis ditione.

Gambriuij. Gambriuij tractum Hamburgensem insedisse, nomenque inclytæ vrbi dedisse putantur.

Vbij. Vbiorum ciuitas fuit ampla atque florens, vt est captus Germanorum (inquit Cæsar eleuans hostium opes & fortunas) qui fuere paulo quàm erant eiusdem gentis & generis humaniores, propterea quòd ad eos Rhenum attingentes crebri mercatores ventitarent, quodque propter propinquitatem Gallicis essent moribus assuefacti, quos Sueui multis sæpè bellis experti, cùm propter amplitudinem grauitatemque ciuitatis finibus expellere nō potuissent, tamen vectigales sibi fecerunt. Horum sedes fuere trans Rhenum ditione Marchia Cliuensis Principis propria: sed à M. Agrippa in citeriorē ripam traductos ad victoris arbitrium ex Strabone cōstat, quo nomine miror Volaterranum non puduisse Vbijs sedes assignare in Marchia Badensi, quæ ad Heluetios est. Verisimile fit nominis vestigiū seruari in pago Coloniæ obiecto, quē Tuitſch vulgus nominat, olim fortasse, Te Vbiſch/ & contractè Tubiſch/ atq. inde Tuitſch/ vbi nobile extat & vetustū cœnobium, olim præsidiarium munimentum à Fl. Constantino constructum, & Diuitense nuncupatum, quod fortassis ab Heriberto Præsule Colonienſi ad pios fuit vsus commutatum. Neq. veri dissimile videtur nobilem illam primi ordinis sacerdotio aram, à Tacito non semel memoratam, eo loco extitisse, apud quam Segimundus (qui per eram Straboni Semiguntus vocatur) Segestæ Sicambrorum Principis filius sacerdos creatus fuerat,

Volaterrani error.

Strabonis locus.

rat,quem postea in defectione Germaniarum, duce Arminio,ad rebelles profugum, vittas abrupisse Tacitus scribit. Peucerus non rectè Vbios incolas Eijsaliæ existimat, qui citeriores sunt, quos alij meliùs Tarbellios Ausonij putant. Caucos Germaniæ populum, Caycos Lucanus & Claudianus Poëtæ nominant,neq. desunt qui Cauconas Paphlagonum gentẽ vagam & quæ in migrando motoriam egisse fabulam legitur, cum his confundunt. Quem autem tractum tenuerint, prædicti Poëtæ & Tacitus manifestum faciunt. Lucanus etenim in primo Pharsaliæ illos Germanis conterminos facit, ibi: *Canci.*

Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppositi, petitis Romam, Rhenique feroces
Deseritis ripas.

qua apostrophe Germanos seu Francos innuit,isto nomine nondum notos,qui Caucis obiecti erant, & à tergo Rheno includebantur. Claudianus vtranq. gentẽ similiter coniunxit in Eutropiũ ita scribens,

——— *Pacem implorantibus vltro*
Germanis responsa dabat, legesque Caycis.

Iam verò Tacitus eos inter Germanos nobilissimum populum appellat,& à Frisiorum finibus incipere, partemq. littoris occupare,& per immensum terrarũ spatium in Chattos vsque introrsum sinuari ait, ac lateribus Tencterorum, Vsipiorum,Frisiorum,Angriuariorumque obtendi. Ex quo amplitudo illorum imperij ac ditionis dilucidè cognosci potest,quæ res effecit cur in maiores minoresque à Plinio alijsque scriptoribus distracti legantur. Caucos minores Amisiæ amnis fuisse accolas, & primariam ditionis vrbem nunc esse Embdam censeo,siquidem inter Amisiam & Visurgin etiam Ptolemæus sedes illis constituit, cuius verba sunt, καῦχοι οἱ μικροὶ μέχρι τοῦ οὐισέργιος ποταμοῦ, εἶτα καῦχοι οἱ μείζονες, μέχρι τοῦ ἄλβιος, id est, Cauchi minores ad Visurgin amnem extenduntur,at maiores Cauchi ad Albim vsque. & apud Cauchos minores deducta in Oceanum per Amisiam classe millenaria cum legionibus,solam triremem *Canci minores.*

Germanici Imperatoris ex fœdo naufragio appuliſſe ſeruatamque fuiſſe refert Tacitus. Caucis maioribus Bremam aſſigno, qui à Viſurgi Albim vſque ad Hamburgum ſedes tenuerunt. Nam qui Phabiranum Ptolemæo dictum oppidum, nunc Bremam, minores tenuiſſe, & ad Albim vſque fines ſuos extendiſſe ſcripto prodidit, quàm ille verè ſentiat, iudicabunt locorum gnari, quando conſtet ex Tacito, Caucos in commilitium à Romanis aſcitos fuiſſe & auxiliares, contra Cheruſcos, quos Viſurgis amnis, qui Bremam prælabitur, ab infeſto Romanorum exercitu diſterminabat, vtroſque interfluens. Cauſſam errandi præbuiſſe illi receptum vulgo & hactenus creditum Friſiæ orientalis nomen, ac titulum Comitibus Embdanis vſurpatum, vel moneta quam cudunt teſte atque indice. Itaque dum nido maiores pennas extendit Peucerus, ac Friſiæ pomœria, quæ Amiſia fluuio concluduntur, longiùs quàm rei veritas exigit ad Viſurgin vſque prorogat, neceſſariò ille indaginis anguſtijs obſeptus, conterminæ nationi, vt finibus iſti adhæret, nomen ſequentis proximè populi impoſuit. Ita fit ferè, vt erroris leue momentum ſæpe improuiſos altioribus induat errorum labyrinthis. Ælius Spartianus in Didij Iuliani vita, Caucos Germaniæ populos Albim fluuium accolentes, tumultuarijs auxilijs repreſſos, quum in Belgium eruptionem feciſſent, à Iuliano Belgij procuratore ſcribit, vbi Bremenſes cum finitimis intelligi volunt. Venio nunc ad Cimbricam, è qua Romano nomini tantopere formidabilis effuſa fuit procella, vt eius memoria multis pòſt ſæculis aures animoſque circumſonuerit; hi partim Dani, quaſi abiegnis in ſyluis educti; partim Holſati, velut ſyluarum incolæ; partim Dietmarſi ſeu Teutomarſi à deuexiore ſoli vliginoſi natura nomen ſortiti fuere, vbi poſteris ſæculis ab Henrico Aucupe Imp. inſtituta eſt limitanea præfectura, qua cohiberetur & excluderetur hoſtilis Danorum excurſus. Hos conſtat Scandinauiam ſeu Scandiam inſulam ampliſſimam, alterum quaſi terrarum orbem habitam Plinij teſtimonio, tenuiſſe:

Cauci maiores.

Peuceri error.

Cimbri.

Dani.

Holſati qui?

Dietmarſi.

Scandia inſula.

tenuisse: quam fœdo errore deceptus Procopius Thulen (quæ Islandia à gelu hodie dicitur) existimauit, populorum genitricem,& officinam nationum à Iornando Gothorum Præsule appellatã. Eam voce leuiter corrupta, hodie Sconen nuncupant, distatque à Cimbrica Chersoneso exigui freti interuallo, in immẽsum versus Arcton excurrens, ad vsque pigrum immotumque, quod Amaltheum veteres dixere, quo claudi terrarum orbem creditur: ea insula fœcundam gentium luxuriem in vniuersum terrarum orbem effudit, in qua nunc latè regnum obtinent Noruagi,& Suiones Tacito dicti, nobis Suedi, quam vocem in Plinio reponendam, pro Hilleuiones, scribendo Suiones, arbitror, apud vtramq. gentem Solis occidentis fulgor cum ortu fermè continuat, vsque adeo nitidus & clarus, vt hebetatis siderum ignibus, solis caput ceu nebula obscuratũ conspiciendũ se præbeat.

Mare Amaltheum.

Suiones.

Suedi.

Vandalos à peregrinando dictos volũt, quasi ambulones, à Wandelen/ quod est ambulare & spatia facere: quos ego potiùs à Dalijs populis, vnde exierunt colonias quæsituri, nuncupatos iudico: extant namque hodie in parte Scandiæ, quæ Noruagia dicitur (Plinio Nerigos appellata haud dubiè, modò integra sit lectio) è regione Cimbricæ Chersoneſi, Coperdalia regio, Osterdal, Vbdal, Zuijderdal, Nydal, Fosdal, Sundal, Mondal, Ganzendalia, Holmdal, Socknadal, Caperdalia, & id genus plures cùm vici, tum oppidula è quibus egressi traiecto freto vix vnum miliare lato, continentes terras inundarunt. Egregia quoque militiæ laude nobiles ibi sunt Dalcarlij, siue Dalecaroli rectiùs, natio bellicosa, & in quam aptè quadret, quod de Æacidarum gente extulit Hesiodus,

Vandali.

Nerigos.

Dalcarlij.

Prælia quæ pluris ducit, quàm fercula mensæ:

πολέμοιο τε χαρήοντες ἠυτε δαιτὶ.

quibus ludus est nuda capita gladiorum ictibus exponere, quòd crania habeant spississima durissimaque, quæ sauciata iniecto medicati lardi tomo perfanant. Sunt qui Windos & Henetos cum Vandalis confundunt. Cæterùm vt Germaniæ colophonem imponamus, demus illi suos amnes clario-

Amnes Germaniæ.

res, quos in Oceanum emittit, hoc ordine à Plinio luculentè pertextos, lib. 4. cap. 14. *Guttalus, Viſtula, Sueuus, Albis, Viſurgis, Amiſius, Rhenus, & Moſa.* Quem ordinem haud temere otioſeque poſitum exiſtimo à locuplete ſcriptore, nobiſque ſequendum. Itaque Guttalum in quinta Germaniæ parte, quæ verſus Baſtarnas extenditur, eũ amnem vt eſſe credã, qui celebre illis locis emporium Anactorium ſeu Coningbergam, Montémve Regium (pluribus enim nominibus ditatur locus) præterlabens, Venedico ſinui, qui Curienſis à Curiorum regione vocatur, miſcetur, facilè adducor: ſiquidem poſtrema nominis parte nihildum ſaucia, ſed planè integra, *Al* hodie nuncupatur: magno enim errore tenentur Celtes & Irenicus, qui confundunt Sueuum cum Guttalo.

Guttalus

Al fluuius.

Viſtula.

Sequitur Viſtula ſiue Iſtula, quem etiam Bilibaldus Vandalum nominat, Germaniæ terminus, quòd vltra eum Sarmatiã Europæam Ptolemæus collocet, Iornandes Scythiam, qui Sarmaticis iugis decurrens, Cracouiam Polonici Regni metropolim, alluit, auctuque fluminum vaſtus in trina ſe fundit oſtia; hinc Gedanum (ea vox Heneto idiomate præſidium Danis obiectum ſignat) nobiliſſimum emporium Dantiſci nomine notius: inde Elbingam Prutenici Boruſſorum Reguli Academiam: tertio Lochſtetum oppidum præterfluit, ſicque trifido agmine in Venedicum ſinum effunditur. Tertium locum tenet Sueuus, quem alij Viadrũm nominãt, qui corrupta deflexaq. voce Odera dicitur, quòd ex Oderbergo monte cognomine fontes trahat ad Marcomanniam ſiue Morauiam: qui multorũ amnium acceſſione auctus Francofordiam Gymnaſio celebrem præterlabitur: tandem poſtquam hinc Stetinum Sidenorum ſedem, maritimum emporium, illinc Caminum vrbem Epiſcopalem prætexuit, ibi lacu ingenti effecto in Germanicum Oceanum eluctatur. Nam qui Spream (qui inter nobiliores quoque amnes habetur, & Brandenburgum inclytam Marchionum ſedem prætermeans, apud Hauelo-

Gedanũ quid.

Sueuus.
Viadrus.
Odera.

burgum

burgum in Albin decurrit) Sueuum esse autumant, erroris comperti sunt, quorũ è numero est Bilibaldus, qui in Oceanum abire Spream iuxta Sundam maritimá vrbem scribit. *Bilibaldus erat.*

Quartum in locum venit Albis, amplissimum Germaniæ flumen, quod Sueuos à Cheruscis (ita enim legendum censeo apud Vibium Sequestrum pro Ceruecijs) diuidit: Velleius Semnonum atq. Hermundurorum fines præterfluere testatur. Dioni vocatur Ἀλβηΐος, quem è Vindelicis montibus decurrere ait, sic enim huius scriptoris emendandus est locus, vbi vulgati codices habent, ῥεῖ δὲ ἐκ τῆς ἀνδαλικῶν ὀρῶν, pro ἀνδελικῶν prono lapsu. Tacitus in Hermunduris Albin oriri flumẽ inclytũ scribit, at Conradus Celtes ex Hercynio inter Bohemos. Multas vrbes claras præterlapsus tandem inter Caucos minores & Cimbros Oceano insinuatur. Hic est cuius in crepidine mulieris species humana amplior, Drusum compellans, pergere vlterius vetuit, quod ex Dione & Tranquillo alibi relatum mihi memini. *Albis.* *Vibij Sequestri locus emẽdatus.* *Dion emendatus.*

Visurgis sequitur Variana clade nobilis, vt Paterculus ait, malè à Dione ἰσισθρὸς vocatus, quum vera scriptura esse debeat εἴσουργος libro 55. in quo repetitus error longè fœdior irrepsit in excusos typis codices, ἐρύρᾳ scribentes pro ἰσισύργου, vbi memorat Tiberium antea quidem ad Visurgin vsque progressum, pòst Albi tenus perrexisse: græcè legitur, μέχρι γε τοῦ ποταμοῦ πρότερον μὲν τ ἐρύργου. Hunc Ouidius Iturgum videtur appellasse eo versu, *Visurgis.* *Dion correctus.* *Ouid.*

Decolor infecta testis Iturgus aqua.

Visurgin ad Amisiam decurrere Strabonis interpres erroris manifestus ait, vt & Lupiam, quum longè vltra Amasiam, Bremensem vrbem præterlapsus, Veseræ nomine notior, in Oceanum deferatur: Lupia verò in Rhenum exoneretur; de quo errorem aliorum obiter per occasionem nõ possum non detegere. Lupia autem hodie Lippia dictus, apud Alissonem, quam Wesaliam vocant, in Rheni alueum influit, in Paderbornæ finibus ortus, inter quem & Amisiam, cuius non procul inde fontes surgunt, tres Vari Quintilij *Strab. interpretis error.* *Lupia fl.*

legiones ab Arminio deletæ fuere, non longè à Teutoburgenſi ſaltu. Hunc Vadianus turpi errore inuolutus Neccarum eſſe coniectat, qui prope Ladeburgum Rheno immergitur, veteribuſque Nicer vocatur, neq. conſtans ſibi, Strabonis teſtimonio, Lupiam in Viſurgin deuolui ratus, Fuldam amnem eſſe arbitratur, interpretis vitio deceptus, qui locum ita peruertit. *Biſurgis & Lupias amnis in vnum ad Amaſiam deferuntur*: ſed præſtat Græci codicis fidem in medium proferre, tametſi inuitus id faciam, dum prolixitatis tædium vitare ſtudeo. ἐπὶ ταῦτα δ' ἐ (videlicet ἔθνη quod præceſſit) πρὸς Ἀμασίᾳ φέρονται βισουργίς τε καὶ Λουπίας ποταμός. id eſt, Ad has nationes decurrunt cum Amaſia Viſurgis & Lupia amnis, qui per Bructeros minores labitur, à Rheno circiter ſexcenta ſtadia diſtans. Iam verò & Irenicus turpiſſimè omnium Lonam amnem facit Lupiam: tanta eſt illorum hominum vel cæcitas vel inconſtantia. Sextus eſt Amiſius, Straboni Amaſias dictus, qui paullum infra Paderbornam Weſtphaliæ vrbem caput fonteſue ſuos ducit, & in Septentrionalem Oceanum exiens apud Embdam Caucorum minorum emporium, nomen illi ſuum mutuatur, Eems dictus.

Vadiani error.

Nicer fl.

Irenici error.

Amiſius fl.

Rhenus fl.

Rhenus ſeptimo loco eſt, qui è Lepontijs, vt Cæſar: ex Adula monte ſummarum Alpium brachio quodam, vulgo Etzel dicto, ſicut Strabo & Ptolemæus voluerunt: è Rhetia, vt Claudianus, oritur. De cuius fontibus Glareanus in commentarijs ad Cæſarem, & Egidius Tſchudus exactiſſimè ſcripſerunt, vt ſuperuacaneam ſim poſiturus operam, ſi lucis amplius requiram: cuius oſtia tria maxima, falſus enumerat Bilibaldus, per quæ in Oceanum Germanicum ſe exoneret, nimirũ Vahalim, Inſulam, nunc d'Yſel/ & Lecum, die Leck: ſed eius impudentior eſt error, quàm vt exagitari ſeriò mereatur, quum alia illi dederim, veritatis certus.

Moſa.

Poſtremam lineam ducit Moſa, qui è Vogeſi iugis, qui in Lotharij regno celeber mons eſt, oritur, ſecundũ Ammianum & Cæſarem: Marlianus in Lingonum finibus ortum eius

eius memorat. Hic demum Rheni longè clarioris amnis nomen obruit atque abolet, suoq. nomine geminas vndas in Britannicum Oceanum euoluit. Minoris famæ & extra numerum est Vidrus, qui Bructeros Frisiosque diuidens, à fuscæ vndæ nigrore, Aqua nigra vulgo vocitatur; cuius nomen hoc loco apponere visum est, ne propter viciniam cum Viadro confusus errorem in aliquorum mentibus pariat. *Vidrus.*

CAP. XXII.

De Celtis, quòd Germani fuerint, non autem Galli.

INGENS ac diuturna hactenus doctissimos homines è Germanis Gallisque pugna exercuit, de Celtarum ancipiti nomine, quod & hæc & illa gentes ad se mordicus traxerunt, ob rerum quas gessisse antiquitus leguntur claritudinem, quas venditare sibique arrogare otiosè cur magis studeant, quàm ad earum laudem imitatione aspirare, id verò quærendum etiam atque etiam ab ipsis est. Vtcunq. sit, dubia scriptorum fides, meo iudicio Germaniæ luminibus plurimum hîc obstruxit, gentisq. splendorem obscurauit, qui dum promiscuè Gallorum, Celtarum, & Galatarũ nomina confundunt, alienæ gloriæ falsam hæreditatem Gallis attribuerunt, Germanis suam derogarunt. Cuius erroris geminam mihi videor occasionem obseruasse, cùm indistinctam populorum cognitionem, siue ignorationem potiùs, tum antiquiorem in Gallica natione, quàm inter Germanos, scribentium copiam, quippe apud quos nupera admodum ac recens ista laus esse cœperit. Nam Gallia postquam Francorum Regibus, post Gothos in prædam cessit, atque illi ob cultum, fertilitatem regionis, & opes, peculio nouo armis quæsito victricibus, plus aliquãto curæ impenderunt, & studia inter Ecclesiasticos viros, in quibus Benedictini primas ferè partes tenuerunt, potissimè aluerunt: quæ res occasionem dedit, vt gentis suæ laudes plenioribus buccis

buccis prædicare ſtuduerint, quaſi protelo & incitamento in ſeram poſteritatē extracto. Celtas (vt à nomine initium capiam) ab Herculis filio Celto appellationem traxiſſe ſcribit Parthenius Eroticōn auctor, quem è congreſſu eius viri cum Celtine puella Britanni filia partu editum, Celtis populis nomen creaſſe fabulatur. Appianus hiſtoricus à Celto Polyphemi filio nominatam gentem putat, illorum opinioni ſuffragatus, qui è Polyphemo Siculo & Galatæa coniuge natos ternos liberos, Celtum, Illyrium, & Galatam, adulta ætate è Sicilia oram ſoluiſſe, & à ſe ſubactis poſſeſſisque tribus regnis nominis originem dediſſe aſſerunt. Paullo diuerſius commentum adfert Græcus Etymologici auctor, ſcribens Herculem geſſiſſe morem Celtæ Britanni filiæ amore Heroïs inflammatæ, noctemque ab illo petenti, eumque in diſceſſu compreſſæ reliquiſſe arcum ſui monumentum, addita oraculi voce, qua Regem fore (ſi maſcula proles fuiſſet edita) auguratus fuit, ſi arcum illum in cornua flexum tendere valeret, natumque ex eodem concubitu Celten, patris augurium impleuiſſe, gentique à ſe nomen indidiſſe. Idem auctor ſui oblitus regionem Celticam à Celte Herculis ex Sterope Atlantis filia genito dictum annotat. Sed iſtorum auctoritas poëticæ fabulæ quàm hiſtoriæ vicinior, quid momenti aut ponderis apud eruditorum animos habitura ſit, non video, quemadmodum & illorū qui mediæ Græciæ è latebris appellationis fontem reuocant, quaſi κέλητες Celtæ, hoc eſt, Galli dicti fuerint, quòd liberis equis, haud ſtratis aut ad currum iunctis vehi conſueſſent, ac proinde omnium maximè equitatu valuerint, vti Bodino homini imprimis docto placere video, quum peditatus gloria penes iſtam gentem fuerit ſemper habita antiquior: quaſi Celtæ ab ea voce κελῆται, & per ſyncopen κέλται nuncupati fuerint. Strabo lib. Geogr. quarto ambiguè ſcribit Celtas appellatos, διὰ τὴν ἐπιφάνειαν, quòd auctoritate valuerint, ſiue quòd robuſta & viribus valens natio fuerit: idem autem eſt gelten / quod valere; quò ſpectat & pecuniæ etymon, quam

Celtæ vnde dicti.

Celtine.

Celtus.

κέλητες.

quam Germanica lingua Gelt nuncupat, quòd penes pecuniam rerum reginam valoris omnis momentum sit & æstimatio. Memini fuisse qui tam Galatas quàm Celtas ab ea voce nominis fontes arcessere debere contenderint, quòd vtraque gens pecuniæ auidior vitam nundinaretur, & Carum more venalem haberét, denis in diem assibus animam & corpus æstimans, vt Taciti verbis dicam. Ita & Celtoscythæ (sic dicebatur communi nomine Cimbrorum agmen Plutarcho teste) dicti videntur, velut pecuniæ iaculatores, quòd æra merentes pecuniam qua abundabant sine laude profunderent, qui Germanicæ militiæ quasi hæreditarius morbus permãsit. Hactenus de vocabuli origine satis multa: nunc ostendamus Celtas pro Germanis accipi apud scriptores. Pausanias in Phocicis confundit absque discrimine cum Galatis Celtas, nunc hoc, nunc illo vsus vocabulo, vbi de Celtis pertexit historiam, qui Brennum ducem strenuum & in fallendis hostibus mirè industrium, in Græciam expeditionem mouentem secuti sunt. Idem in Atticis Galatas qui in Græciam incursionem fecerunt, ab extrema Europæ maritimaq.ora profectos, lingua patria dictos fuisse Celtas commemorat. Diodorus Siculus Galatas à Celtis hoc discrimine separat, quòd hi à Pyrenæis iugis mediterranea colant, illi ad Oceanum & saltus Hercynios ad Sarmatiam vsque extendantur (quod ego non de montibus qui Galliam ab Hispania secludũt intelligendum puto, sed de Pyrenæo monte inter Alpes, qui lingua Heluetica hodie Brennerus vocitatur) vtroque tamen nomine Germanos comprehendi, luce ipsa clarius est. Diligẽtia & fide aliquanto maiore vsus Polybius Gallos vbique Galatas nominat, vt Germanos Celtas, quorum operâ vsum Hannibalem in obsidione vrbis Tarentinæ refert libro octauo. Idem scriptor lib. 2. Hasdrubalem Hannibalis patrem virum militia clarum, cuius diligentia res Carthaginiensium magnum incrementum acceperat, in exercitu suo Celtas habuisse memorat, è quorum ducibus vnus noctu Hasdrubalem in ten-

Gelt.
Pecuniæ vis.
Pyrenæi.
Pyrenæus mons.

torio aggressus, ob priuatas inimicitias, confecerit. Itaque latæ culpæ non immeritò arcessi queat Liuius, qui Gallos pertinaciter vbique appellat, quos Celtas Polybius, è quo plæraque omnia iste deprompsit. Herodotus quum Danubium inter Celtas nasci scribit, diuersam à Gallis nationem, Germanicam nimirum, Celtas clarè loquitur. Cimbros & Teutonos quos Marius deleuit, Appianus Celtas nominat in Celtico. Dion Tencteros & Vsipetas Celticum genus vocat lib. 38. his verbis, τέγκτηρί τε καὶ ὀυσιπέται κελτικὰ γένη. quod Cæsar eadem de re loquens prior dixerat lib. 4. » Vsipetæ Germani & item Tencteri. Eôdem facit quod subijcit Dion eos à Gallis euocatos Rhenum transisse: Græcè est, πρὸς τῶν γαλατῶν ἐπικληθέντες. quibus è verbis clarè patet vtriusq. gentis in nominibus discrimen. Rursus idem Batauos Celtas appellat lib. 58. quibus mos erat armatis fluuios quamuis citatos tranare: quod de Batauis & Germanis confirmat Tacitus. Appianus bellorum Ciuilium lib. pri- » mo, Cimbri, inquit, natio sunt Celtica. Idem Boios Celtis adnumerat, quos nemo inficiabitur, nisi emota sit mente, puros putos esse Germanos, appellans eos nationem Celticam cumprimis efferam & immanem. Polybius Ernestum Celtarum regem quando nominat, quis non peculiare gentis Germanicæ nomen agnoscit? E quibus Germanis Celtas originem ducere Cæsar asserat, dictum est à me alibi. Hesychius quoque Grammaticus Celtas diuersam à Gallis gentem tradit, & quidem rectè. Quin & Suidas Celtas dici Germanos Rheni accolas è veterum scriptis haud dubiè, quorum testimonia & fragmenta sine nomine sæpiùs adducit, annotauit. Adhæc Eustathius in Dionysium commentarijs discriminat à Galatis Celtas, vbi ait hos porrigi secundum Rheni ripam, διήκειν δὲ λέγονται ἄχρι καὶ τοῦ ῥήνου οἱ κελτοὶ, ἀπὸ δὲ αὐτῶν οἱ σύμπαντες Εὐρωπαῖοι γαλάται, κελτοὶ ὑπὸ ἑλλήνων ἐκλήθησαν. hoc est, Celtæ pertingere dicuntur Rheno tenus, aut, secundũ Rhenum extenduntur, à quibus cuncti Europæi Galli à Græcis Celtæ dicti fuere. Audiamus

& Lucil-

& Lucillium Tarrhæum Apollonij scholiasten quid sentiat, is disertè saltum Hercynium Celtis attribuit: cum verò saltum Germaniam sibi propriam vendicare extra controuersiam est. Dion lib. 39. Celtas antiquitus nominatos fuisse ait, qui Rhenum vtrinq. accolerent. quod eius verba sonant: τότε πάνυ ἀρχαῖον κελτοὶ, ἑκάτεροι οἱ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ ποταμοῦ οἰκοῦντες ὠνομάζοντο. hoc est, Priscis temporibus Celtæ dicebantur, qui Rheni fluminis ripam vtrinque prætexebant, vel, accolebant. Simocatus in epistolis Rhenum Celticum flumen appellat: Nazianzenus eiusque fermè æqualis Iulianus Apostata, scribunt Celtas ad explorandam thori coniugalis fidem, liberos suos recente partu editos periclitari, Rhenoque immergere; creduli spurios & adulterinos fœtus fluminis vortice rapi, legitimos innatare illæsosque existere. Istud verò Germanos pro consuetudine tenuisse, neque esse fabulosum, ex Galeni testimonio clarè constat libro Salubrium primo, vbi disertis verbis sic loquitur: Germani infantem modò natum & ab vtero calentem „
adhuc, ad amnem deportant, algentique fluminis alueo „
tingunt, ceu ferrum candens, tum vt periculum faciant de „
naturæ vigore, tum vt corpus ipsum roborent durentque. „
Quem illorum ritū & Gregorius & Claudianus, pulcherrimeque Nonnus Dionysiacōn auctor expressērunt, ita vt dubium minimè sit, quin ijdem cum Germanis sint Celtæ. Ad superiorem controuersiam facit, quod Plinius & Iulius Florus Gallum fuisse scribunt seruum publicum, qui Minturnis Campaniæ oppido cum imperio in carcerem immissus fuerat, vt C. Marium interficeret: quem Velleius Paterculus Germanū vocat; eundem Val. Maximus Cimbrum appellat, quippe Cimbrico in bello captum. Vbi Arrianus in Alexandreide de Celtis loquitur, quos proceris esse corporibus, magnosque sibi spiritus sumere scribit, non alios quàm Germanos designauit: à quorum legatis amicitiam Alexandri ambientibus, diuersum ab opinione sua responsum ille tulit. nam cùm arbitraretur dicturos, quod

fama nominis illius fuissent exterriti, responderunt se longo locorum interuallo ab ipso dissitos in locis difficilibus metuisse, ne aliquando cælum in ipsos corrueret. Celticam audaciam Aristoteles proiectam illam & cum vitæ contemptu coniunctam vocat, cuius origo è superioribus liquet, nimirum mortis despicientia. Mirum est quòd Ælianus in variæ historiæ libris tam stultam & vecordem huic genti audaciam adscribit, vt plus quàm belluina stoliditate præditos fuisse oportuerit, si à vero non exorbitauit: sed eius tam impudens est oratio, vt pudeat verba contrà facere. Quis enim adeò fungus & stipes fuerit, vt ingruentes marinos fluctus præpilatis hastis nudisque ensibus territare præsumat? aut quis non ruinæ labentis tecti subducere se malit, conseruandæ vitæ caussâ, cuius interitum animantia omnia fugiunt, quàm volens sub eo mortem oppetat? Quis nisi Coræbo stultior nolit præsens incendium, modò pateat effugium, euadere, quàm miserrimo necis genere flammis absumi? Repertus tamen est qui victuris chartis hæc mandauerit, qui tantæ vecordiæ fidem mortalibus approbare se posse putarit. Celticæ etiam vocabulo Germaniam intelligere Plutarchum luce clarius est, quando in Mario τὴν κελτικὴν διὰ βάθος χώρας ἡ μέγεθος κατὰ τὸν μαιῶτιν ἐπιῤῥέφουσαν ἅπτεσθαι τ̃ ποντικ̃ς σκυθίας commemorat. dicam idem Latinè propter peregrinæ linguæ nescios. Sunt, inquit, qui Celticam, vt est vasta & ampla regio ab extremo Oceano & plaga Septentrioni subiecta, apud paludem Mæotidem versus Orientem reflectentem, Scythiam Ponticam attingere dictitant, gentemque Celtoscythas vocari. Idem sentiunt Herodotus & Diodorus Siculus. Trebellius Pollio historicus in Claudij vita barbaros enumerans, qui ad vastandum Romani Imperij solum inuitati fuerant, Celtas adscribit, haud alios quàm Germanos intelligens. Hæc fermè sunt quæ de Celtis, hoc est, Germanis, opinionem meam confirmare videntur. Illud corollarij vice adijciendum duxi, Lugdu-

Celtica audacia.

num

num vrbem à Stephano Ethnographo κελτογαλατίᾳ assignari, vt sit communis Germanis & Gallis, aut in earum gentium collimitio sit sita.

CAP. XXIII.

De significatione nominum & impositione veteribus vsitata, tam gentium, quàm Principum & personarum.

CIMMERIÆ Cimbricæúe gentis tenebras locum prouerbio aperuisse mirandum non est, apud hos qui caligantibus animi oculis lucem nunquam admiserũt, aut eam comprehendere & intelligere curarunt, supina exoticarum linguarum negligentia atq. contemptu inducti, cùm si rem ad veritatis amussim explorare studuissent, oculatam gentem illam, vt & eorum posteros & ἀπογόνους eodem in cælo & aëre natos Gothos, & rerum arduarum cæleſtiumque cognitione imbutam, didicisse potuerint: atque ita quidem vt cæterorum populorũ luminibus obstruxisse ac caliginem quandam offudisse nationes illæ, quantumuis despectæ & barbariei macula famosæ, meritò existimari queant, non in disciplinis modò grauioribus, verùm etiam ea in scientia, quæ diuinum maximè cultũ spectat & tradit, ex re Theologia vocitata, si Iornando accedimus. Sapientiæ certè prudentiæque non vanum, sed penè singulare documentum dedere circa nominum impositionem; qua de re dicturus, pauca de ritu & ratione nomenclationum delibanda priùs putaui. Græci speciosa videtur adamasse nomina, quorum interpretatio cum fatorum euentis cõcinere videtur, quanquam à naturâ vnumquodque vero rectoque nomine insignitum esse Platonicus Cratylus contendat: ita Agamemnonem à longinqua mora vocatum, qua in expeditione ad Troiam hærens consedit ac propè consenuit, id enim sonat ἄγαν μένειν: ita Priamum ab emendo, quod est πρίασθαι, tum quia puer venundatus fuerit, tum quòd exactè ad sacoma appenso auro filij Hectoris corpus licitatus ab Achille redemerit:

Cimmeriæ tenebræ prouerb.

Cimmerij & Gothi rerum arduarum periti.

Cimmerij & Gothi Theologiæ periti.

Nominũ impositio qualis.

Agamemnonis etymon.

Priamus vnde dictus.

Achillis etymon.

redemerit: sic hunc ipsum Achillem dictum, quòd medullis ferarum & carnibus ab infantia citra solidioris cibi & cerealis esum enutritus à Chirone Centauro eodemq́. pædagogo fuerit, velut ἄνευ χιλοῦ. At Romani non nisi ominato peractis litatisq́ue sacris creasse nomina videntur, quasi requisito numinum assensu. Itali paganismum spirant etiamnum, & in nominibus reducunt, è media scena & portentosis fabulis Polyxenas, Dianas, Hectoras inuehendo. Nostrates aut defunctorum parentum & auita cognataq́ue nomina natis primùm liberis, quodam metempsychosis Pythagoricæ, aut regenerationis potiùs argumento indunt, aut à die solenni & Diui alicuius memoriæ sacrato nomen mutuantur, aut amicorum gratiæ votisq́ue locum dant. Verùm prisci cùm Hebræi, tum barbari Aborigines nostri non superuacaneo nominum honori vacarunt, sed auspicata, minimeq́ue otiosum præclararum virtutum testimonium, ad quas se conformarent, exhibitura memoriæ, aut à fortunis quibus nascerentur, aut alijs insignibus exornata nomina imposuerunt, quæ haud temere in aliam linguam transfundi posse, seruata eadem vi & efficacia, putauit diuinus ille Iamblichus in eo libro, cui Theologiæ Phœnicum titulum fecit, propterea quòd magna emphasis, succincta breuitas, ambiguitatis minus, in barbaris insit nominibus. Cuius verba, quia nusquam in lucẽ auctor ille exijt, operæ pretium duxi adscribere. οὐ δὲ γὰρ πάντως τὴν αὐτὴν διασώζει διάνοιαν μεθερμηνευόμενα τὰ ὀνόματα, ἔπειτα κἂν εἰ οἷόν τε αὐτὰ μεθερμηνεύειν, ἀλλὰ τὴν δύναμιν οὐκ ἔτι φυλάττει τὴν αὐτὴν, ἔχει δὲ καὶ τὰ βάρβαρα ὀνόματα πολλὴν μὲν ἔμφασιν, πολλὴν δὲ συντομίαν, ἀμφιβολίας τε ἐλάττονος μετέσχηκε καὶ ποικιλίας. quod ipsum & Origenes libro aduersus Celsum quinto sensit. Hinc est quòd Chalcidensis ille philosophus postquam suis hominibus, nimirum Græcis, τὴν ἄστατον εὑρεσιλογίαν, hoc est, desultoriam in fingendis vocibus leuitatem tribuit, barbaris constantiam stabilitatemq́ue animorum assignat. Sed omissis istis, ad nominũ explicationes accingor, ab alio nescio

Italorum appellationes.

Nominum impositio nobis vsitata.

Barbara nomina difficulter in aliam linguã transfundi.

Barbara nomina efficacia.

Iamblichus.

neſcio quo, ſed infeliciter (niſi mea me fallit philautia) tentatas. Quam operam vbi hiſtoriarum amantibus, & præſertim peregrinis nationibus linguarum ignaris commodauero, tantùm abeſt vt inuidiam mihi deprecandam exiſtimem, vt etiam à lubentibus plæriſq. & gratis ingens operæ pretium expectaturus ſim, quando & multorum caligantes oculos reſignabo, vt accenſo lumine nominum rationes, velut in aliam coloniam deductorum, obſcuras antea, peruideant rectiùs atque intelligant; deinde vt ſcriptorum inſuper errores, quos linguæ ignorantia in altiſſimum cœnum demerſit, vindicent, & ad præſcriptam normam ceu coticulam exactiùs explorent. Vt igitur à Cattis auſpicer, ſuo quaſi iure id poſtulat patria, quo patrum maiorumque nominibus litet; qui quòd ſedes quas incolimus nobis reliquerunt labore & ſanguine partas, & induſtria conſeruarunt, digniſſimi propterea ſunt, qui primorem locum obtineant. Catti, quos noſtra & prior ætas Heſſos vocauit, commune cum felibus cattiſque nomen ſumpſiſſe videntur, à ferocitate qua in hoſtem inſultabant. cui enim ignota ferocia & impetus animalis iſtius, domeſtici licet, in appetendo illius iugulum, qui anguſtiam adferendo illud premat? vel à doloſis inſidijs quibus aſſilire in hoſtes ſoliti fuerint, vti tergis murium aſſultant feles. Eiuſmodi namque genius fuiſſe gentis Cattorum bellicoſæ & ferocis videtur. Referri huc poteſt vſitatum apud Hueſdenos, quos à Batauia Moſa excludit, Hollandiæ tamen Comitatui coniunctos, vocabulum Heſſi pro catto ſeu fele; qui ſi quando domeſticum animans muribus inimicum ſignificare volunt; heſſum nominant. Poſſunt & præſtantes virtute viri hoc Cattorum nomine deſignati fuiſſe olim à veteribus, quòd tales etiamnum lingua Batava *Cattos* vocitet, certè virtutem & gentis excellentiam non aliunde diſcas meliùs, quàm à Tacito, qui genti illi plus decoris & diſciplinæ totius militaris attribuit, quàm cæteris omnibus Germanis, quippe qui diſpoſitis excubijs diem in quadrum redigere, noctu obiecto vallo

Appellationes nominũ benè intellectæ, quantum proſint.

Catti qui.

Cattorum ingenium.

Heſſus pro catto.

Catti, excellentes viri dicuntur.

Cattorũ virtus bellica.

& per

& per tesseras securitati suæ cónsulere, fortunæ casus ancipites, virtutem certam æstimare norant: ijdem etiam delectos duces præferre, obedientiam illis præstare, ordines in acie dispositos internosse è signorum ac symbolorum indicijs, rationes occasionesque inuadendi hostis, aut cohibendi velut iniecto freno, impetus qui fieri debuerat; adhæc ducis imperium, quàm exercitus voluntatem, pluris fieri oportere, percalluerant. Itaque aptissimo nomine populi ingenium expressum fuit, siue ferociam & impetuosos assultus, siue præstantiam spectes. Hermunduris quoq. congrua appellatio cessit ab antiquo, genti Cattis finitimæ & infestæ, qui dicti videntur quasi inopes, sed liberi; id namque sonant dictiones in vnam conflatæ, **Herm vnd vri.** O beatum hoc vocabulo populum, qui non pudendam sibi aut probrosam egestatem nomine tenus duxit, modò libertas, inæstimabile bonum, illam leniret, ac propterea omni laude cumulandum, præ vili illa Cappadocum gente, quæ imperari maluit, quàm libertatem non precariam, sed vltro oblatam amplecti. Belgarum appellationem ad nationis ferociam referendam autumo, vt sint Belgæ quasi *Velgæ*, hoc est, atroces & violenti: nisi mauis Belgas mutatione secundæ vocalis in primam, dici velut *Balgas* à dimicandi pugnandique ardore ac studio, est enim **Balgen**/conserere manus ac confligere. Est tamen qui somniat dictos quasi *Welgas*, hoc est, extraneos, cuius originis nec caput nec pes mihi se aperit. Burgundiones quos ob proceritatem staturæ septipedes & gigantes vocat Sidonius, ex re nomen inuenerunt, quòd per Burgos (quo vocabulo censentur præsidiariorum castra, & posita in limitibus habitacula militum) olim à Druso & Tiberio adoptiuis Augusti liberis dispositi fuerint, subacta iam interiore Germania, qui postea tractu temporum in validam gentem coaluêre, vt scribit Paulus Orosius. Langobardis quasi Longobarbis, summissam & prolixam quam gerebant barbam, nomen dedisse clarius est, quàm vt in dubium vocari debeat, attestante & Paulo Diacono

Hermunduri vnde dicti.

Libertas inæstimabilis.

Belgæ vnde appellati.

Burgundionũ appellatio.

Burgus quid?

Langobardorum etymon.

cono Desiderij Regis Langobardorum Cancellario, qui sic dictos ait ab intactæ ferro barbæ longitudine: sunt qui secures longas, quibus in bello vsi fuerint, & albardæ etiamnum vocantur, nominis occasionem præbuisse existimant. Gallus scriptor magna vir doctrina & eloquentia risum nuper nobis concitauit, qui Langones & Bardos vicinos Galliæ populos componere & in vnum coagmentare conatus est, è quibus conflata sit ista nominis Chimæra: sed istud imperitiæ linguæ condonandum est. alius à longo tractu fertilium agrorum (quòd Germanicè tractus Bord vocetur) nominis etymon parum verisimiliter deducit. Alani; quos Massagetas Dion facit, nomen mihi sumpsisse videntur, quòd motoriam fabulam agerent, semper vlteriora loca appetendo, haud subsistendum sibi vno in loco rati, ab Alan/ quod in ore illis perpetuò erat, pergendum esse monens. Iulius Scaliger Alanum Scythica lingua canem dici annotat, vnde genti nomen datum putat, fortasse quòd in vexillis militaribus & insignibus canem pictum prætulisse feratur. Rugij, non à dorso, quod magni nominis vir existimat, nomen acceperunt, sed vel ab hirsutie corporum natiua, quam in syluestribus hominibus spectare licet, vel ab hirtis ferarum pellibus, quibus amiciebantur; est autem Ruge idem quod hirsutum. Cherusci à bellica ferocia, qua hostem Romanum duce Arminio auertere, sedibusq. suis arcere glorioso titulo iactabant, à Keer-usz/ quod eliminare atq. propulsare significat. Sicambri vox prouidum periculi ac sollicitè discrimen circumspectantem signat, à Sich om her: vel à solicita indagine, à Souc om her / id est, lustra circumquaque, quod etymon Græcæ scripturæ quæ apud Appianum est συνάμβεγι magis conuenit. Quàm autem verè iudicet, qui illos etymi ratione, Zee Cimbros/ hoc est, maritimos Cimbros nuncupat, alijs æstimandũ relinquo. Tubantes, non à tuba Latina voce, sed à banda, quo vexillum significatur, dici autumo, qua se inuicẽ cohortabantur ad sequenda signa militaria, à to band / hoc est, ad signa seu tænias,

Albarda quid?

Alanorum etymon.

Scaligeri opinio.

Rugij vnde dicti.

Cherusci vnde nominati.

Sicambrorum etymon.

Tubantes vnde appellati.

Banda quid.

quarum pro vexillis vetus fuit vsus. Ad hanc vocem etiam
Brabantia vnde dicta. Brabantiæ nominis originem à Francis natam refero, quòd
esset veluti lata tænia fasciáve, hoc est, brad, vel vt molliùs
cadit nunc sermo, breed bandt/vt ditionis latitudo signetur:
neque tamen absurdum etymon est à Bratus bantio Bello-
uacorum oppido, vocabuli mole contracta ac considente,
per συνίζησιν à Grammaticorum filijs dictam, & bratus bant/
Scoti vnde dicti. in brabant / contracta. Scoti, non à tenebris, sed à iaculandi
Gothi vnde. peritia nomen adepti sunt. Gothos diuersorum populorum
lætam propaginem, è Scandia natales suos ducentem, no-
men sumpsisse crediderim à cultus diuini studio, quod si-
gnificat Got thienen (vsi namq. Zamolxi institutore & le-
gislatore perhibentur) Dei autem præcipuus cultus in puri-
tate consistit vitæ, cuius insigne testimonium ac præclarum
acroama in hac gente refert Saluianus Massilienses Episco-
pus, negans licere inter Gothos esse scortatorem Gothum,
solis verò Romanis inter eos permitti esse impuris, præiudi-
Gothi cur Troli dicti. cio nationis ac nominis. Hos à Vandalis cognominatos Tro-
los scribit Olympiodorus Thebis Ægyptijs oriundus, incer-
ta nominis appellatione; quam dum curiosus scisitator à
Gotho quopiam discere satagit, vani hominis commen-
tum non piguit illum literis prodere, qui cognominis ratio-
nem referebat ad summam annonæ caritatẽ, qua Trullam
(mensuræ exiguæ nomen est) frumenti aureo redimere à
Vandalis Gothi fuerint coacti. At longè alia ac diuersa no-
menclaturæ ratio extitit: siquidem Trolum Cimbrica lin-
gua, Gothicæ affinis, imò non aliunde nata, cacodæmonem
rubrum nuncupat, quod omnibus & lippis & tonsoribus il-
lic notum est. Extatque in hodiernum diem ea in gente an-
Trolorum familia. tiquissima primæque nobilitatis familia Trolorum (è qua
Herlefus Trolus Danicæ classis præfectus, comitate & eru-
ditione clarissimus, singulari me amore complexus illuc
euocatum fuit, abhinc quadriennio morte indigna in naua-
li prælio contra Suiones absumptus) qui pro clypei insigni-
bus ostentãt Troli, id est, dæmonis rubri rutili've truncum,

capite

capite extra clypeum in apice cassidis supereminente: quod honoratæ militiæ insigne accepisse putantur, deiecto atque obtruncato in acie Gothici nominis principe. Itaque Troli vocitati fuere Gothi, quòd truci vultu formidabiles dæmonum instar, metum inferrent, nullo hostium sustinente infernalem aspectum, quod de Arijs refert Tacitus, qui tinctis fuligine corporibus atras noctes ad prælia deligere solebant, veluti ferales quædam vmbræ. Argutam oppidò nimisque Belgicam etymi rationem in hac voce commentus est amicus noster, tanquam troulos/ hoc est, fluxa & afflicta fide homines illa ætas nuncuparit; quod vitiũ in nullo non hoste causari solemus. Abotritis (quos vtramque Albis ripam obsedisse ædificijs, & Luneburgios pariter ac Megaloburgios existimare me scripsi) quis linguæ Germanicæ non imperitus, haud iustum etymon ab antiquo inditum fuisse inficias iuerit, quasi Abont rijters dictis? Ea vox sonat vespertinos equites. Cuius namque aures non pepulit vetus atque vsitata, imò vbiuis terrarum peruulgata, gentis vtriusque latrocinandi viasque insidendi ratio, qua nobilium (qui plærunque re sunt contractiore, per luxum aleæúe naufragium comminuta) ministeria armata solent hospitibus & negotiatoribus pagos ac diuersoria cõsueta (quæ in locis insolentibus nec multum habitatis rariora sunt) ad vesperum repetentibus, insidiari sub sera crepuscula, eosque, si viribus superent, exspoliatos vacuosque dimittere. Tribocci populus Alsatiam nũc incolens, quos deprauata scriptura Tribonos, mutato x in v, scribit Ptolemæus, videntur à gulæ studio nomen per ludibrium traxisse, quasi triuentres aut tricorpores. Glareanus famosum cognomentum defugiens, à tribus fagis appellari putat, illud à Dreij-boucken / hoc à Dreij-buchbaum deducitur: iudicium penes æquos iudices esto, vtrum etymo concinat propius. Frisiam à Phrygia genitali patria dictam sunt qui scribunt, alij à gelu extremo, quo ditio rigeat, nomen deriuant. Abbas Spanheymus auctoritate Hunibaldi, teterrimi historicæ veritatis corruptoris, à

Troli cur dicti Gothi.

Tribocorum etymon.

Frisij vnde dicti.

ris, à Friſo Clodionis criniti Francorum Regis filio nomen accepiſſe fabulatur, quaſi non multis antè ſæculis Plinius ac Tacitus illo nomine eos nouerint. Ego ad libertatem, cuius ſtudio ſemper flagrarunt, nominis fontes referendos exiſtimo. Mattiaci (qui à maris Balthici cognomine inſula Zelandi nunc vocantur) à vulgata voce quæ ſæculis omnibus illorum linguam obſedit, quaſi cum ipſis ſimul nata, mat & matia/ vel vt nunc maet/ quæ contubernalem aut ſodalem ſociúmue ſonat, quæ in prouerbij quoque ludicrum inter exteros verſa eſt, vbi Zelandum notare volunt. Sed omiſſis Nationum nominibus, venio ad propria, quæ aut à genitura prima imponuntur, aut ab euentu accedũt, aut delectu & ex arbitrio ſumuntur; id enim militiæ præſertim ſolenne eſt ac familiare, vt ducibus militiq́ue ex vſitatis crebrò vocibus cognomen loco nominis indatur. Sic Carauſius ob militaris rei peritiam ex humillimo viliſſimoq́ue loco euectus ad maris præfecturam à Diocletiano, vt Eutropius memorat, ab exinaniendis poculis cognomen ſumpſiſſe videtur, quod à ſcriptoribus pro vero nomine receptum fuit, à Carauſſ/ quo vtuntur qui exiccari depleriq́ue poculum fundo tenus iubent. Sic Haudouachrius, aut vt quidam codices ſcribunt, Adouacrius, ſed mendoſi, nonnulli Odoacer, dux Saxonum maritimorum, qui bello nauali Gallias infeſtauit, Sigiberto teſte, à mirifica & ſingulari vigilantia nominis à cognomento aut vſitato ſymbolo accepti originem videtur obtinuiſſe, quòd, vel Homerico Somnio teſte, ducem deceat cui ſubditorum & Reipub. cura incumbat, peruigilem eſſe, neque ſolidam noctem ſomno dare. Nec aliud ſonat ſymbolica illa vox, houd v wacher/ quàm Serua te vigilantem. Eadem ratio eſt in Combuti & Oriſtorio, quos Celtarum Regis Brenni duces commemorat in Phocicis Pauſanias. Eſt autem Combutis ferocis atque audacis viri appellatio, qui alios ad certamẽ prouocet, à Com-buten/ quod ſignificat In propatulum exire. Ea verò prouocantis vox eſt, quando aliquem vt in arenam deſcendat, pedem extra

Mattiaci vnde nominati.

Nominum propriorum impoſitio.

Carauſius vnde dictus.

Haudouachrius vnde.

Combutis vnde.

extra limen efferre ad conserendũ manus lacessendo iubet. Oristorius quoque dici videtur à wor-is-ther / hoc est, vbinam ille est? quod eius est qui hostem quærit & inuestigat vbi sit. Nominum propriorum terminationes variæ sunt: inter quas Rix apud Cæsarem, apud alios Ricus, opulentiæ argumentum & potentiæ adfert, quomodo pecuniosum, Geldricum dicimus; amnem piscosum, Fischricum; terram frumenti feracem, Kornricam. Hîc offert se primum auspicatum illud nomen, quod primus Hollandiæ Comes tulit & repræsentauit, ac rebus gestis & virtutum splendore augustius fecit in nouo regno, quod vt cum difficultate acquiritur, ita ægrè nisi per virtutes retinetur, maiestatisq́ue beneficio conseruatur. Qua via etiam cognominis illi filius posteriq́ue ad cælestes aspirauerunt honores: quòd verissimum vetus illud sit prouerbium, Ανέρα δὲ ζοίη θρηΐκιον οὔ τι φορήσει. hoc est, *Threicium non Troia virum produxerit vnquam.* & *Imbelles columbos aquilæ non progenerant*. Est autem nomen illud Theudericus, quo nobilis fuit inclytus ille Gothorum Rex, qui vt orbis amor cum Tito dici, ita & exemplum ac regula viris principibus esse ad imitandum potest, præclarum elogium à Procopio meritus, qui cunctis Naturæ copijs circumfluens quæ in Regem conueniunt, Gothos Italosq́ue summa prudentia moderatus est, iustitiam religiosè coluit, leges sanctè obseruauit, à finitimis barbaris ditionem fortiter tutatus est, prudentiæ ac fortitudinis fastigium inter primos tenuit. Nulla magnopere iniuria populum aut ipse offendit, aut alium simile quid tentantem passus est: verbo tenus tyrannus, re ipsa verus rex, nullo eorum, qui regio in honore vnquam laudari meruerunt, inferior; quæ res effecit vt certatim cùm Gothi, tum Itali eum incredibili amore complexi fuerint. Nomen istud quantiuis pretij, plurisq́ue faciendũ, quàm Crœsi amplæ diuitiæ, quàm omnes triumphorum laureæ, virtutum copijs affluentem ac dotatum significat, originemq́ue habet à *Theude* vocabulo Gothico

Oristorius vnde.

Nomina in rix, & ricus.

Theudericus I. Hollandiæ Comes.

Theudericus Gothorũ rex canon principum.

Theudericus quid significet.

seu Cimbrico, quod nos Theuchde/ vel corruptiùs à primo ortu, Deuchde nunc scribimus, idemque pleniùs quàm barbari olim, scribendi rudes ac negligẽtes potiùs, quod ipsum ob molestam aureſque radentem aspirationem, molliùs in Theude/ conuerterunt cum Græcis Latini: quo nullum accommodatius aut naturæ virtutis cõgruentius vocabulum excogitari potuit, deducto vocis etymo à Theuchdij/ quod est, ostende te: illud enim proprium virtutis est ingenium, vt in occulto abstrusa latêre ac veluti inclusa nequeat indignetur-que, imò per difficilia perque aspera lucem suam mortalium oculis, ceu testibus, prodat, ad modum veritatis, quam consimili ratione Alethiam Græci dixere, quòd abscondi ita non possit, quin semper emicet, ac temporis successu in apertum se proferat. Quæ geminæ sorores id cum Sole luminis auctore commune habent, quòd, vt hic densissimas etiã nubes perrumpit, & in baris sui præsentiam discussa caligine ostendit, ita illæ splendorem suũ diffundant, nec interitu obrui, nec posteritatis obliuione extingui patiantur. Originem patriæ vocis vero similioré facit Strabo scriptura ortui suo magis affini, quàm Procopius, Agathias, & Conlectaneorum concinnator Suidas, qui omnes Theuderichus Θευδέριχος scribunt, quum ille simpliciter Deudorix, siue, quod idem est, Deudoricus, Δευδόριξ, quo nomine fuit Augusti principatu filius Bætorigis Sicambrorum Principis: pessimè omnium media ætas Theodericus scripsit, quasi Deum, qui Græcis θεὸς est, vox ipsa spiraret: propiùs aliquanto accessere ad verum etymon, qui Diedericum, & rectiùs Thiethricum scripto nominarunt, quod factis glorioſis inclytum sonat. Bætorix apud Strabonem Melonis Sicambrorum ducis filius, à fructu & emolumento, quo subditos suos ornare & ditare decet bonum & liberalem principem, Baet enim commodum & emolumentum sonat: nisi quis contendat in Bætua, quæ Batauiæ pars est, latifundijs locupletem fuisse. Neque verò displiceret, si pro Bætorige scribas Bæorigem, quod nomen in Plu-

Virtus & veritas latere non possunt.

Deudorix.

Diedericus.

Bætorix.

Bæorix.

in Plutarchi Mario legitur, βοιωρὶξ, qui Cimbrorum rex fuit & ductor: à quo non abludit Ambiorigis appellatio, quem in commentarijs suis Cæsar Eburonum caput ac regem appellat, vocis etymo non multum absono atq. alieno ab Amptrick/quòd ditionum & terrarum quibus ius dicebat, locuples esset; ab ambactu, cuius vsus seruatur in Ambacht/& contractè Ampt/ pro ciuitatis territorio: sunt qui Ambiorigis vocabulum in Emericum seu potius Heimericum conuertunt, vt significet domicilijs & arcium habitaculis abundantem. rectiùs illi quidem, quàm qui hospitum regem exposuit Gallus, in peregrina ignotaque lingua plus nimio curiosus. somnij namq. vice mihi est quòd rix pro rege exponit, ausus insuper ineptiæ notam Germanis aspergere, qui vocem hanc pro diuite interpretentur citiùs, quàm pro rege, nimium animi securus in idiomate ignoto, vbi de colorum iudicio arbitrium sibi sumit oculis captus: quo fit vt Dumnorix pro rege dominantium exponere non vereatur, & Orgetorix pro rege insanorum, parum ipse sanus, qui Græcam vocẽ ὀργὴν pro furore & iracundia in Celtico seu Germanico nomine locũ habere vult: quum prius illud à Dum siue Dom dicatur, quo principale antistitum templum significatur, fortè quòd diuersorũ sacerdotiorum opimis prouentibus afflueret: Posterius verò locupletem & locorum possessione diuitem significat, ab ort/commune locorum vocabulum: nisi quis malit vocem compositam significare eum qui abundet exercitu obsequente ac fido, quasi hor getrou rix: neq. enim Romani potuerunt ita commodè reddere vel pronunciando vel scribendo vocabula Germanica, seruata natiua prolatione, quin suo more adijcerent semper aliquid, aut detraherent: quo factum est cur terminationes iuxta Latinarum vocum normam conformatæ, amissa genuina specie, obscuritate inuolutæ sint, neque intelligi ita facilè queant. Chytræus vir præter eruditionem summam incõparabili iudicij integritate præditus, Orgetorigem, pro duce Henrico seu Erico exponit, quasi Hertoge

Ambiorix.

Bodini ineptia.

Dumnorix.

Orgetorix.

Romani non potuerũt scribere Germanicas dictiones.

Gebericus. toge Erich. Gebericus Gothorum rex magnæ virtutis & nobilitatis, signat liberalem opum largitorem & munerum datorem. Ermanaricus ex nobilissima Amalorum stirpe, qui bellicosissimas quasque in septentrionali plaga gentes subegisse & suis legibus obsequentes fecisse perhibetur, Alexandro illi Magno iam tum comparatus, videtur per antitheses dictus quasi inops & opulentus, erm and rich: quòd ei quantumuis copiosæ facultates nõ sufficerent, cùm propter assidua bella exhaustæ, tum propter regiam verè munificentiam, quæ in caussa erat cur eius, vt Gratiarum, arculæ iuxta Simonidem semper inanes ac vacuæ fuerint, quod ante meam ætatem in liberalissimo Principe D. Maximiliano Aug. cum laude obseruatum fuit, qui cum Ptolemæo Lago iudicans, regalius esse ditare, quàm ditescere, nunquã desides apud se in arcis pecunias patiebatur; itaque summas & Imperatorias inter opes semper egebat. Potest & Ermanarici vocabulo intelligi militaribus copijs (id namque sonat Hermans) affluens atq. instructus princeps. quid enim vetat quo minùs vnum idemque nomen ad diuersas significationes extendatur, quemadmodum Electra, quam Laodicen Homerus nominat, secundum aliquos à buxeo colore oris, succino (quod electrum vocatur, Ambræ nomine nobis cognitum) nõ absimili, ad aurum accedente, appellata fuit: ad dicterij notam alijs originem referentibus, quòd multo tempore ἄλεκτος, hoc est, cælebs torique coniugalis exsors permansisset per iratæ Clytemnestræ iniuriam, quæ collocare marito filiam distulit. Vedericus, siue Videricus, lego enim vtrunque, è principe Amalorum & antiquissima inter Gothos prosapia genitus, sonat pecoris diuitem; vede namque pecus est: quod nomen apud Iornandum Withericus scribitur, neque alio sensu, quàm quòd speciatim arietini gregis diuitem notet, aries enim wither siue wider dicitur. Hinc diuersus est Fridericus, nomen optimo laudatissimoque Principi congruentissimum, pacis amanti & εἰρηνοποιῷ, qui putatur esse Cæsaris Eparedorix, & aliorum

Verbum vnũ diuersas significationes habere potest.

Electra vnde.

Vedericus.

Withericus.

Fridericus

Eparedorix.

aliorum Viridorix; ineptè enim Neſtorem grammaticum ſecutus Bebelius Fœdericum putat à fœdere iciendo dici, quum à fride / quæ vox pacem notat, deducatur. Eutharicus vel Vthericus, vtraque apud Iornandum ſcriptura inuenitur, Vederici prædicti filius, cui omnibus naturæ & formæ dotibus conſpicuo, & ex Hiſpanijs accito, filiam Amalaſuentam matrimonij pacto vinxit Theudericus Gothorum rex, dictus videtur ab amplo & copioſo patrimonio, quaſi ſupra modum locuples, & extra communem mortalium ſortem opulentus, ab vther ſiue euther / quod extrà ſignificat: idem nomen Autaricum ſcribit Polybius: licebit nominis ortum referre, ſi velis, ad diuitias in vaccarum armentis ſitas, à voce vther / quæ nunc contractè wder & contractius wr dicitur, qua boum fœminarum vber, à Græcis ἔθαρ conſimili planè vocabulo dictum, ſignificatur: qua ratione à copioſa ouilli gregis fœtura Ildericum nuncupatum crediderim, propter ouium vbera ilders vel elders vocitata. fuit autem eo nomine Vandalorum rex mitis ac clemens, ob mollitiem animi armis militiæq. minùs idoneus, vt ex Procopio diſcas, vnde & ob bonitatẽ à ſuis neglectus deſertuſque, ac perfidia & impietate Gilimeris in carcerem fuit coniectus. Alaricus Gothorum rex, qui ab obſeſſo Rauennæ Honorio Imp. ius liberum Gallias Hiſpaniaſque occupandi obtinuit, & quo fraudulenter artibus Stiliconis perrupto Italiam vniuerſam cũ Roma in prædam, cædem, & funera conuertit, ſignificat omnium rerum copijs abundantem & παμπλούσιον. Hoc nomen poſtera ætas in Vdalricum, & per contractionem Vlricum, vertit, quod ſupra omnes locupletem ſonat: à quo ſignificato nihil diſſidet Abericus, ſic Comes quidam in Reginonis annalibus appellatur, qui in vulgatis codicibus malè Albricus ſcribitur, ita nominatus prædiues aut vltra communem hominum conditionem pecunioſus ac locuples. Segericus nomen Gothici Regis, veriore ſcriptura quàm quæ Regericum appellat, ſignificat victorijs ornatum principẽ, qui Nicator Græ-

Viridorix.

Eutharicus.

Ildericus.

Alaricus.

Vdalricus.

Abericus.

Reginonis codex emendatus.

Segericus.

cis, à Zege/ id est, victoria: quid autem cum pluuia, quæ
Athalaricus. regen est, nomini isti commune fuerit? Athalarico Amalasuentæ filio, Theuderici Gothici nepoti, qui immaturæ ætatis lubrico, stupris libidinibusq. perditus interijt, parentes nomen videntur indidisse, velut nobilitate diuiti, ab Athal seu Adel/ hoc est, nobilitas: in quam formulam redigendum puto Athanaricum Marcellini, pro Athalarico.
Honoricus. Quem Procopius Honoricum vocat (qui Gizerici filius & Vandalorum Imperij hæres, tyrannicè atque immani sæuitia, per ignes aliaque supplicionum tormenta, pios ad Arrianam sectam compulisse legitur) alij Hunericum, nonnulli Heinricum, vel potiore scriptura Heimricum dicendum, appellant, quasi domicilijs diuitem, aut laris & sanguinis
Hunericus. paterni magna progenie clarum: alioqui Hunericus simpliciter gallinaceorum,
Gizericus. vt Gizericus anserum copijs affluentem significat: neque absurdè ad canum studium nomenclatura referatur fortasse, quòd venatu gaudens canibus
Henricus. abundaret. Qui vulgo Henricus scribitur, aut Heinricus origine est, aut certè per synizesin cõtractè, quasi Hauenricus, ab haue/ quasi peculij diues; à Procopio historico Ani-
Aniricus. ricus scribitur.
Ardaricus. Similiter Ardaricus, quo nomine fuit rex Gepidarum clarissimus, terrarum locupletem denotat, aut
Wenericus. opilionum numero diuitem. Wenericus, vel rectiùs Venericus, palustrium locorum diuitem, quæ Venen lingua Gothica dicuntur.
Ericus. Ericus, multorum Regum ac Principum nomen, honoratum & honoribus illustrem signat, quî cum
Arrigis. idem pollet Arrigis Langobardorum Regis nomen.
Hilpericus. Hilpericus, è Francorum regibus, auxilij potens, ab hilpe/ quod
Huldericus. est subsidium. Huldericus suffragiorum potens; est enim
Gundericus. hulden idem quod suffragio ornare. Gundericus, fauoris
Malorix. ac popularis studij potens. At Malorix, quem Frisiorum regem Tacitus appellat (regis autem nomine inter barbaros ducem seu militiæ ductorem designari scribit Procopius) eandem etymi rationem adfert secum, quam Malorichus ab Ammiano dictus, molarum diuitem notare videtur potius,

tiùs, quàm ſtultè diuitem, quod ex pneumaticarum molarum multitudine, cùm ditionis, tum redituum annuorum magnitudo æſtimetur: atque iſtud quidem annuorum è molis prouentuum genus ab antiquo tenere videntur & perpetuum feciſſe dynaſtæ vbique ferè, qui municipijs & pagis ſuis ſingulas pluresúe pro colonorum numero molas appoſuere, vnde non paruum conficitur peculium. Iam verò non exiguus eſt nominum numerus eorum quæ in *marus* aut *marius* deſinunt, cuius vocabuli prima origo in diſceptationem & controuerſiam vocatur: nam ſunt qui huius notionem referunt ad **mare** ſiue **maijre**/ quo præfectus & præcipuus ciuitatis magiſtratus ſignificatur: alij etymi fontes arceſſunt à **maren** ſeu **meren**/ quod eſt ampliare & augmentare: neque deſunt qui huc *marum* id eſt equum aduocant, quæ dictio parum ritè commutata eſt apud Pauſaniam in *marcam*, Britanni ad priſcam Cimbricæ originis vocem propiùs accedentes, **mare** etiamnum vocant. Prioris etymi ratio magis videtur conſentanea dignitati & officio perſonarum, principalis fortunæ ſpeciem ex nominis lege oſtendentium; nam Vadomarius (quem Valdomarium rectiùs ſcribendum iudico apud Marcellinum) rex Germanorum, quo nomine fuit & poſtremus Noruagiæ Sueciæq. rex, à principe ſyluarum præfectura appellationem ſortitus videtur, quaſi **Waldmayer**. neque aliter accipi poteſt Fraomarius, pro libero præfecto & Barone, velut **Freijmaijer**. & Britomarus apud Luc. Florum, pro pacis arbitro, quem penes regia poteſtas erat imperandi neceſſitatem deponendorum armorum, quem Viridomarum Cæſar nuncupat, quum iuſtiùs Fridomarus ſcribi debeat. Gilimer ſeu Gilimerus ſummum videtur ſignificare magiſtratum, quem penes commeatus publici poteſtas eſt, qui aditum permittere poteſt, diſceſſum annuere, viatores comitatu communitos aduerſus vim & iniuriam proſequi; id enim eſt **gileij** aut **geleij**/ pro cõmeatu publico. Hoc nomine fuit potentiſſimus Vandalorum rex in Africa per Beliſarium deuictus, de quo

Molæ reditariæ.

Nomina in marus vnde.

Valdomarius.

Fraomarius.

Britomarus.

Gilimerus.

Gelmer/ hodie.

memorabile illud refert Procopius Cæsarienſis, quòd arctiſſimè circumſeſſus tria popoſcerit, citharam ad deliniendum muſicis numeris (quorum erat peritiſſimus) animi mœrorem, ſpongiam pro ſiccandis lachrymis, & panem ad leuandam famem. Poteſt etiam dictus videri quaſi iucundus & hilaris præfectus, cuius nominis principium in Britannico idiomate ſeruatur ex Gothico reliquum, gilij ſeu gilliſ pro delectabili: certè ingenium nomini reſpondens in eo reluxit, quòd quum in hoſtis conſpectum veniſſet captus, non diſſimulanter in cachinnum effuſus eſt, quaſi qui mortalium vicem riſu proſequendam ac nullius penſi habendam putaret, alioqui Theudericum Gothum cognomento Valamirum nuncupatum legimus, quòd equa vala vteretur. Viſomarus, & apud Iornandum Wiſmarus, Vandalicæ gentis rex, qui Wiſmariæ oppido maritimo à ſe condito, coloniæ nouæ nomen dedit, quid aliud quàm prudentem præfectum ſignat? quamuis alij gnarum equorum & ductandi equeſtres copias exponant. Chonodomarius apud Ammianum, &, quę truncata voce eundem eſſe reor, Nodomarius, ferox præfectus & veluti neceſſarius periculoſis temporibus dictator, ſecundum alios audacę equorum ſeſſorem & in neceſſitate equitę notat. Vithimirus, ſiue Vithimarus cordatum præfectū ſonat, à with/ id eſt, prudens & ingenioſus; quā vocem retinent adhuc Britanni. Theudomarus, omni virtutum genere exornatus præfectus, aut ſingulari virtute præditus. Catumerus apud Tacitū princeps Cattorum, quaſi primas & reliquis inter Cattos anteſtans. In eandem claſſem veniunt & Veromirus Batauorum ſub Auguſti Cæſ. imperio regulus aut dux, qui filiam ſuā Rhamin nomine collocarat in matrimoniū filio Segimeri Cheruſcorū ductoris, vt Strabo refert, apud quem loco βαττῶν reponi emendariq́ue debet βατάβων: videtur autem ea voce ſignificari ſummus magiſtratus portorijs (quæ Zeren appellamus) præfectus: & Marcomirus Francorum primas, à *marca* & mairc conflatis vocibus dictus, velut limitaneus præfectus

Wiſmarus.

Nodomarius.

Vithimirus.

Theudomarus.

Catumerus.

Veromirus.

Strabonis locus emendatus.

Marcomirus.

præfectus & finium præses. Hic est qui iussus fuisse proditur scilicet monitis oraculisque deorum, nouam sedem capere atque considere, vbi Rhenus in mare sese exoneraret, ancipitem animi regem facilè impellente anu fatidica, quæ incognita deorum effata interpretari credebatur posse, Alruna, quæ (si dijs placet) dormienti visum obiecerat, quo triforme spectrum, trina aquilæ, leonis, & bufonis capita præferens, regem compellauerit, futurum asserens, vt eius posteritas obtritura fuerit atque adeò confectura quoque triplicia illa quæ videret capitum fastigia, Romanos designans per Aquilam, Gallos per Bufonem, & Belgas per Leonem. Libuit istud fabulamentũ Chimæræ triformi non absimile hoc loco interserere, vt lectionis fastidium atque satietas nonnihil leuaretur. Sunt & alia in *mundus* exeuntia, quibus aut oris species, aut eloquentia appellationis auctor extitit, è quibus pauca enumerabo, inter quæ primùm occurrit Segimundus apud Corn. Tacitum, Segestæ Cheruscorum ductoris filius, quem Strabonis codex corruptus perperam Semiguntum nominat, hoc pacto emendandus libro septimo, σεγιμοῦντος τε ὁ σεγέστου ὑὸς: de eodem enim vterque scriptor loquitur. sed Græcus Strabo expressiùs ad viuum vocis Germanicæ etymon reddit, quod est, **mund** / siue sonorè magis, **mont** / hoc est, os: significat autem victoriosum os, aut victrice facundia instructum, à **Sig** vel **Sige** / quæ dictio vtraque victoriæ significationem habet, vnde posteriora sæcula Sigismundum eundem vocarunt; ea siquidem scripturæ lege appellatur apud Iornandum rex Burgundionum, qui naturalem filiam Theuderici Gothorum Principis vxorem duxerat. Thrasimundus rex apud Fulgentium, insanum & furiosi impetus os sonat, quasi nimiũ præceps, **to rass** / tametsi præter morem maiorum suorum præmijs honoribusque præclaris auocamentis, non supplicijs, vt illi, Christianos ad fidem eiurandam deserendamque inuitasse eum scriptis prodiderit Procopius. Hunimundus ex Amala gente rex (quo nomine fuit & Sueuorum rex, quem Theu-

Nomina in mundus desinentia.

Segimundus.

Strabo emendatus.

Sigismundus.

Thrasimundus.

Hunimundus.

demirus Gothus cæso eius exercitu cepit, nec multo pòst libertati restitutum, ac loco filij adoptatum dimisit) à mellita oris eloquentia nomen traxit, quasi μελίγομον dicas, quomodo Sophoclem μέλιττα, id est, apim dictũ legimus à linguæ illecebrosa suauitate; est autem Hunt idem quod mel, apum labor. Varamundus, cuius vocis etymon adulterando obscurant Galli, quando Pharamundum scribunt, os verax sonat, vt communis habet opinio, aut dignum & maiestatis plenum: imò verò & continentem linguæ, vti ego existimo, à Waren quod est obseruare & in officio continere. quæ certè est summa planeq. regia virtus, posse coërcere procax illud linguæ plectrum atque ita cohibere, ne obstantia dentium claustra laxet. Alioqui principũ est cum Metello arcana silentio sic tegere, vt ne interior quidem tunica illorum sit conscia: quam ob caussam Minotaurus inter militaria signa circumlatus, monebat consilia ducum non minus occulta esse debere, quàm fuerit illius domicilium Labyrinthus: nec alio cõsilio prudentissimus Regum Numa cum nympha, quam Tacitam indigitarat, in solitudine secreta commercia agitasse Plutarchi testimonio creditur. Quem verisimile est eundem ferè esse cum eo quem Pharasmanum Dion Nicæus in Hadriano nominat, ducem exercitus Alanorum Mediam irrumpentis. Berimundus, & Berismundus, eademque significatione Beremuthus apud Iornandum Hunimundi nepos ab vrsino fortè rictu vocatus fuit; quòd ore esset laxiore & informi, vel ab iracundiæ argumento, quòd vrsi (qui ber Germanis dicitur) in morem implacabilis, quoties ira exæstuabat, frenderet. Cunimundus Gepidarum regis nomen, sonat animosi oris & ferocis hominem. Meminit Agilmundi subreguli Marcellinus, quem suspicari licet nomen adeptum ab incuruato in modum aquilæ oris rictu: potior tamen sententia sedet natum illud ab aureo eloquio, ab *a* articulo, & gildemund / planè cum Chrysostomo idem. Huc referenda est & Rosmunda Cunimundi Langobardorum

Varamundus.
Berimundus.
Cunimundus.
Agilmundus.
Rosmunda.

rum regis filia, Alboini vxor, à roseo purpureoque oris nitore appellata. Suggerunt se hic neq. memoriam sui iacere aut obliterari patiuntur, quæ in *bardus* & molliore dialecto in *bertus* finiunt, in quibus nomenclaturæ origo arcessenda venit à bard/ hoc est, barba, per hanc non modò virilem quo mentum vestitur honorem, sed ipsum quoque hominem totum accipiendo. hinc Langobardorum genti, à promissa barbæ sylua, qua horrorem hostibus & sui reuerentiam immittere studuere, nomen fuisse suprà docui, vbi errorem detexi eius, qui Hippocentauri cuiuspiam speciem absurdam conflare, aut Horatiani monstri ideam repræsentare conatus, Langonas & Bardos confudit. Idem vir propter eruditionem singularem magni faciendus, Albardum strennuum cantorem aut poëtam tradere nō dubitat, postquam semel inextricabili errore irretitus explicare pedem nequit, Dagobardum heroicum poëtam, Sigebardum victorem poëtam, Robardum rubeum poëtam; quæ ita frigida sunt nugamenta, vt vel Neronianas thermas refrigerare posse videantur: in quo vt omittam scripturæ rationem extortam, quam pro sua libidine effinxit, plæraque vetustis in codicibus in *bertus* desinentia, ipse in *bardus* conuertit, vt ad Bardos Gallos cuncta antiquitatis, quæ in nominibus est, ornamenta vindex reuocaret. At quis ita malè feriatam aurem habet tandem, qui non æquior aliquanto sit interpretationi eorum qui Albertum totum barbatum ac pilosum reddunt, quanquam illa mihi non satisfaciat, quippe qui genuinam Germanæ nationi vocem Adelbertum esse putem, quæ per crasin in Albertum confluxerit, qua nobilis & generosa barba denotetur. Sic Dagobertus is est qui barbam habet in mucronatum acumen pugionis instar desinentem, qualis Christo seruatori à Suida tribuitur, cuiusmodi virum σφηνοπώγωνα Græci vocant, à cuneiformi barba. Potest & Dagobertus à probitate aut strennuitate, si barbam vtpote viri formam, vt à D. Paulo dictum est, pro ipso viro accipias, nominatus videri, vt sit quasi Deganbertus, à

Nomina in bardus vel bertus exeuntia.

Langobardi.

Bodini error.

Albertus.

Adelbertus.

Dagobertus.

tus, à degan/ siue vt olim scribebât thegan/ vnde nobis degelick fluxit, quo vocabulo Franci in rhythmico carmine leguntur fuisse vsi, Zij waffane snelle/ So sint thie thegen alle/ hoc est, celeriter armis se induunt, atque ita se strennuos cuncti præbent. Sigebertus victricem barbam, ac proinde hominem victoriosum sylleptice designat. Rotbertus Reginonis testimonio dicendus est, non autem Robertus, à ruffa barba, vt Rubertus, ab hispida barba nomen sumpsit: & Gildebertus, aut, vt Annales nonnulli scribunt, Childebertus, à rutilo barbæ colore, velut ξανθοπώγων. Egbertus à mucronata barba, vel in angustum desinente: nam sunt qui, *n*, literam interserunt, vt sit Engbertus, ab eng/ vel, enge/ quod angustum sonat. Theudibertus apud Procopium, Theuderici Gothici filius, homo (vt Agathias de eo scribit) τολμητίας ἐς τὰ μάλιστα καὶ περὶ τὸ ἀναγκαίως τὸ φιλοκίνδυνον κεκτημένος, hoc est, proiectæ audaciæ & citra necessitatem periculorum amantior, appellationem à virtute meruit. nisi quis cum Iornando Thuidebertus legat, quòd barbam cincinnorum in morem implexam gereret. Fuit autem eodem nomine Francorum rex, qui Θεύδερτος à Suida malè nominatur, quum Θευδίβερτος illic scribendum sit. Est & Fulbertus à graui & plena barba, vt à lanuginosa & mollicella lanæ instar, quam wol vocamus, Volbertus, per simplex, V; quomodo veteribus Venedi scribebantur, quos nunc Wendos, illis Vandali, quos nunc Wandalos & scribimus & nominamus: nemo enim est qui nescit alienum Romanis fuisse geminati, W, vsum. Ab hoc ordine minimùm dissentiunt, quæ ab ingenio & indolis specimine industria vetustatis effinxit, quibus Germani amantes nimiũ anhelæ illius literæ notæúe, H, quam aspirantem appellant, plærunque adijciunt, ita vt in *hardus* extremitas desinere aurium iudicio videatur; quod imposuit nomenclatoribus nonnullis, qui robur & firmamentum quoddam illo significari crediderunt. Gottardus itaque non robur diuinum, sed bonam frugem & indolem ingenij denotat, à goet aert/ id est, proba indoles.

Sigebertus.
Rotbertus.
Rubertus.
Childebertus.
Egbertus.
Theudibertus.
Suida codex emendatus.
Fulbertus.
Volbertus.
Germani in pronunciando H amant.
Gottardus.

indoles. Erardus, indolem honestatis auidam. Gerardus, ingenium vulturinum & rapax, à geir/ quo vocabulo vulturius intelligitur. Leonardus leoninum animum: Bernardus vrsinum nomine tegit, vrsipotentem reddit Bodinus: Eberardus verrinum. At Ricardus est qui animum excelsum & spe diuitem, vt Gebhardus qui liberalem gerit & largiri paratum: & Reinardus qui integer est animi, doliq́ue nescius, pudico & incorrupto ingenio. Meinhardus, vel potiùs Manhardus virilis animi firmitatẽ denotat. Wolfardus lupinæ subdolæq́ue mentis significationem præ se fert, cum Lycophrone idem. quanquam & ad lætarum fortunarum significationem referri nomẽ istud potest, siquidem Wolfaeren est prospero fortunæ cursu efferri: nam qui Wolfardum corruptè dici pro Hulfrado annotauit, extra se positum, mentisq́ue vix semunciam habuisse, quum id scriberet, puto. Volcardus, populi sustentaculum & robur sonat, cum Demosthene idem. Rewardus quasi pœnitens animus, à rewen/ vel, vt nunc loquimur, rouwen/ quod pœnitentia duci significat. Obruenda non sunt obliuione quædam nomina, quæ à præsidij ope traxerunt appellationem apud maiores, in quibus est Achiulfus rex Ermanrici pater ex Amala familia, quem à præsidio bipennigerorũ quo stipatus incedebat dictus videtur, ab Ach̃e/ quod Gothica lingua bipennem aut securim notat, & h̃ulff/ id est, auxilium. Athaulfus siue Athaulphus, quem præsens ætas Adolphum vocat, quo nomine dictus fuit Gothorũ rex Alarici Romæ spoliatoris consanguineus, & cuius secutus exemplum, locustæ more depastus est Italiæ opes, qui Placidiã Theodosij Imp. filiam in vrbe captam, forma & castitate primariam fœminam matrimonio secum iunxit, & cũ Hispanijs Gallias recuperauit, qui Francos Galliam infestantes cum Burgundionibus, nominis sui terrore cohibuit, vt se finibus suis continerent, is inquam nominis originem videtur habere, ab ope & auxilio nobilitatis, vel quòd iurisiurandi stabilitor esset & auxiliator, ab ath̃ siue oh̃t quod iuramentum est,

Erardus.
Gerardus.
Leonardus.
Bernardus.
Eberardus.
Ricardus.
Gebhardus.
Reinardus.
Manhardus.
Wolfardus.
Volcardus.
Rewardus.
Achiulfus.
Athaulfus.

quòd sacramento dicta ac confirmata nullo modo solui pateretur, quin omni ope exequi illa satageret, summa iurisiurandi reuerentia. Est qui corruptum nomen autumat & exponit patrem auxiliarem, vt idem sit qui Iuppiter, quem Cicero grammaticorum filios secutus Iuuantem patrem etymi ratione exponit, ab ȝatto prisca & Cattorum pue-
Arnulphus. ritiæ adhuc recepta voce, qua patrem significat. Arnulphus Carolomanni filius Francorũ rex, ab aquilæ auxilio nomen habere putatur, ab arn/ id est aquila: alijs Arnulphus velut Ernhulfus dictus videtur, qui virtuti & honestis artibus
Astulphus. opem ferat easque promoueat. Astulphus, & quod nonnulli codices habẽt, Aistulphus, significat auxilij properum, qui bello acer, haud nectit moras aut tergiuersatur ad opi-
Agilulphus. tulandũ suis, quasi ȝaesthulff. Agilulphus, cum Astulpho idem fermè sonare creditur, velut eisthulff/ est autem celeri-
Vernulphus. tatis significatio in eisl. Vernulphus, nomẽ vnius ex comitatu Athaulfi (de quo antè memini, qui Honorij sororem Placidiam in vxorẽ duxerat) qui heri sui percussor fuit, traiectis illi gladio ilibus, ob ludibrium quo staturam huius humilẽ lædere Athaulfus consueuerat; vox autẽ sonat veteranum auxiliatorẽ: vernum enim obsoletũ dicunt Germani.
Radulphus. Radulphus, & iuxta posterius sæculum Rodulphus, à præsentanei cõsilij ope, quasi Rad-ȝulff/ aut qui consilio iuuat, velut Raedȝulff/ illud citum auxilium, hoc consilij opem
Leutholphus. Ludolphus. denotat. Leutholphus, Ludulphus, vel Ludolphus, idem qui Ἀλέξανδρος Græcis, ab ope mortalibus præstanda, voca-
Eadulphus. tur. Eadulphus Northumbrorum rex fuit, etymon iurisiurandi patronum, aut legitimi thori matrimonijq. tutorem significat, ab eijd/ id est, iuramentum, vel ab ehe, coniugium: quod si codicum impressorũ fidem sequamur, qui Eardulphum scribunt, Antæum quempiam Herculis antagonistam somniare licebit, & interpretari, qui à matre tellure opem senserit, aut actiuè, qui genitali solo (latè accipiendo eard/ hoc est, terram, pro patria) auxilium tulerit. Nomina in *brandus*, incensorem & impulsorem innuere videntur.

Hiltebrandus,

Hiltebrandus, quasi fortium virorum & animosorum iu- *Hiltebrandus.*
uenum incentiuum, κέντωρ ἢ μᾶλλον ἐμπρησὺς, ab held siue hilt/ quæ vox egregium factis & heroicum virum sonat, & brand quo incendiũ & incensor notatur. Non possum non refragari illius sententiæ, qui ex hac voce facit heroëm & caput Brennorum. Potest origo nominis referri ad galeam bellatoriam & cono siue apice cristisque instructam, quam ζυράλεια/ propriè nũcupat Homerus, Galli *morion*, prisca Cimbrorũ lingua **Brenn**/ vt sit galeatus heros: quam significationem etiam Ansbrandus præfert, ab **Anse**/de quo dictum est in Ansuarijs, quod Langobardorum regis nomen fuit, quem vitiosè Arisprandum Volaterranus scribit. Neq. diuersum sonat Luitbrandus, qui eiusdem gentis rex, ab Italicis scriptoribus Lintprandus perperam vocatur, velut galea & apex potiùs populi, qui vt auctoritate illis antestat, ita & armis eos in fidem receptos tutatur: malim tamen instigatorem incensoremque populi interpretari, cuius eloquentia verbis sonantibus & vberibus sentẽtijs redundans, boni oratoris officium præstare, populum ad resistendum iniuriæ cõcitare, furentem velut iniecto freno compescere possit. Isbrandum verò corrupta, quid dico, imò contracta potiùs nomenclatura scribi autumo, ab **eijsen brenn**/à ferreæ galeæ munimine, quasi ferreum suorum defensorem: nisi quis velit hoc vocabulo designari eum qui impossibilia aggredi tentet, cuiusmodi is faciat qui glaciem contendat accendere. Quia verò Brenni hîc fit mentio, operæ pretium fuerit eius quoque etymon recludi, qui Delphici fani thesauros sacrilegio pollutus diripuit, vt & alterius, qui Romam cum Semnonibus inuasit. Est igitur Brennus purè putesq. Germanica vox, Semnonum Germanorum ductoris, qui siue nomine, siue officio (habent enim castra talem) incendiarius fuerit dictus, parum id refert, dum fidẽ etymi approbem Strabonis testimonio: is disertè ait Brennum illum qui Delphos incursauit, Prausum πρασῶνον à nonnullis fuisse dictum; norunt autem omnes qui Italiam à limine

Anſbrandus.

Luitbrandus.

Isbrandus.

Brennus.

Brennus aliàs Prausus dictus.

salutarunt, *prusar* aut per primá consonantem *brusar*, aliud non esse, quàm incendere, & flammis concremare: non potest ergo dubium esse, quin Brennus, qui alio sed eiusdem significationis vocabulo Brusus appellatus fuit, à brennen/id est, ab incendendo nominis ortum traxerit. Huic cognominis memoratur apud Tacitum lib. xx. Brenno Caninefas, insigni natalium nobilitate clarus, & virtute (quam in hoste audaciam Romani, inuidiæ in exteris manifesti, vocabant) per quem castella Romanorum direpta & incendio corrupta fuere. Nomina etiam quædam in *Winus* desinunt, quæ à vino appellationem habuisse stolidè ingeniosus somniat Irenicus, quum à Winnen/ id est, vincendo omnia dicantur. Ortwinus enim à redigenda in suam potestatem ditione quapiam, quæ ort vocatur. Baldwinus, Comitis Flādrici nomē est, à cita victoria: sic eius vxor Erwina, ab honestatis & bonæ famæ acquisitione dicta. Volcwinus apud Vrspergensem, à vincendis populis, idem qui Nicolaus, & Nicodemus, & Democrates, non quòd vino oppleretur, vt ille ineptit. Lutwinus, regni Lotharij dux, idem est cum Volcwino. Nonnihil hinc discrepat Albuinus, quod nomen curiositatis significationem cum quadam inuidia continet, & in eum maximè conuenit, qui rerum omnium satagit, qui nil rectè fieri putat, nisi cui ipsemet præfuerit, manúmve admouerit; eiusmodi namque hominem non sine conuitij nota, Albewin vocitamus. Conradus, consultæ audaciæ virum notat, qualem Thrasybulon Græci appellant, in quo fortitudinis sensus est, haud temeritatis; aut etiam consilio pollentem. Folradus apud Reginonem, plenus consilij, bonus cōsultor, quem Eubulum illi dicunt. Radbodus consilij audacis ac præcipitis argumento nominatus videtur: suspitio tamē est nomen istud haud esse alienum, imò cognatum Maroboduo, quem Italiæ formidabilem Velleius & Tacitus memorant Sueuorū regem. Quem Cæsar Ariouistum appellat, videtur esse quem Ἀριόβισον Polybius, vterque praua scribendi ratione vsus, hodie vulgari inter

Brenno Caninefas.
Nomina in Winus.
Irenici error.
Ortwinus.
Baldwinus.
Erwina.
Volcwinus.
Lutwinus.
Albuinus.
Conradus.
Folradus.
Radbodus.
Arioniſtus.

inter Germanos nomine Ernestus à grauitate seria dicitur, aut Ereuestus, sic honestatis plenũ famæque integræ virum vocant fideique tenacem. Arminius ille Germaniæ liberator, & qui florentissimum Rom imperium lacessiuit, bello inuictus, manu fortis, natione magis quàm ratione barbarus, & vltra barbarum ingenio promptus, quibus laudibus à Tacito & Paterculo celebratur, ab heroico animo & exercitus rectore, id enim sonat Hereman / nominis auspicium traxit: ætas præsens Hermanni vocem vsurpat, vsu magistro receptiore. Theutobecus, quem Cimbrorum regem à Mario captũ & inter manubias insigni spectaculo ductum Orosius & Florus literis prodidere, nomen à iactantia eminente siue à proiecta oris audacia videtur habuisse; omissa litera, S. in capite vocis ab idiomatis ignaro, Steutobecus quasi iactabundi oris, vel Stautebecus, audax ore. Carolus & Carolomânus à caritate, vocabulo Gothico, quod Cimbris adhuc in ore frequens est, vbi quem officiosè salutant. Sunt qui ab Armenico fonte fluxisse autumãt, qua in gente *Carol* potens dicitur & robustus, vt sit idem quod Andreas: sunt qui à græca voce Charilaus deflexerunt, quæ gratificantem populo & gratiosum significat; sed illi peregrinæ linguæ opibus nimis ingeniosè ad deflorandam alterius gloriam abutuntur. Lotharius, seu, vt nonnusquam scriptum legisse memini, Leutharius, & apud Agathiam Leutharis, Francorum regis nomen existimatur populi dominum significare, velut leut heer: alioqui coniunctè Louther purum putumque sonat. Gotefridus, quo nomine rex Danorum fuit, Batauiæ occupator, pace bonum, aut diuinæ pacis munere inclytum significat. Mernerefridus Toringorum princeps, qui Amalafridæ filiam auspicato nominum coniugio, in matrimonio habuit, pacis auctorem denotat; id enim est, meerner des frides. Reginfridus, siue ad originem nominis proximiùs, Reinfridus (vt manuscriptus Reginonis chronicorum codex; quem Egmondana bibliotheca emendatissimum mihi vtendũ dedit, præfert) Francorum princeps,

Erneſtus. *Ereueſtus.* *Arminius.* *Hermannus.* *Theutobecus.* *Carolus.* *Carolamannus.* *Lotharius.* *Gotefridus.* *Mernerefridus.* *Reinfridus.* *Regin. codex emendatus.*

ceps, quem Carolus Tudites seu Martellus cognomento debellauit, quo iure quaúe iniuria, purum & integrum pacis amatorem sonat. Vitigis rex apud Procopium & Agathiam ab industria militari & prudentiæ opinione nominatus est, quasi Withy, id est, catus, quam vocem à Cimbris & Anglosaxonibus Britannia retinuit. Godelaibus Abotritorum dux à iucundæ vitæ blandimentis dictus videtur, nisi potiùs contendas à deside & otiosa vita, quod vulgari dicterio hominẽ vmbratili & delicatæ vitæ operatum, goet leuen nuncupemus. Gerbrechtus dicitur quasi hæreditario iure aliquid tenens, est enim geerbt recht/ ius hæreditate acquisitum: vt mihi explodenda videatur Altameri expositio, qui totum illustrem & celebrẽ designari annotat, à dictione bricht/ quæ in gemmis nitorem præcellentem & eximium notat: neque rursus placet eius opinio, qui voce ista auiditatẽ fastus aut belli pompam exprimi cõtendit. Leuuigildus Westgothorum rex, quem vitiose Lemugildum scribit Blondus, impressorum (vt suspicari licet) incuria, fortitudinis argumentum nomine prodit, dictus velut leonum contubernalis. Fredigernus, à contrahenda conciliandaque pace; Wortigernus, ab auctoritatis acquirendo splendore, dicti videntur. Arnoldus à tuendæ honestatis ac virtutis instituto, quasi eerenhold/ id est, honestatis conseruator. Theudibaldus Theudiberti illius, qui expeditione contra Iustinianum maximis opibus suscepta, casu arboris diffractæ vitam miserè finijt, filius, qui patri adhuc immaturus æui successit, teste Agathia, nominis sui natales refert ad properá virtutis demonstrationẽ, quam cum impositione illi ominati videntur, vt esset deuchdelic bald/ hoc est, properè (vt ita loquar) virtuosus. Cambaules dux primæ expeditionis Celtarum in Thraciam, Pausania referente, nomen videtur sortitus ab insigni, quod in cassidis cono gerebat, quod noctuæ caput fuisse autumo, velut noctuæ crista, cristam enim famb vocant, ain noctuam. Vergobretus apud Cæsarem summus magistratus & præses, quasi vergobret / siue oberst vergger/ id est,

Vitigis.
Godelaibus.
Gerbrechtus.
Leuuigildus.
Fredigernus.
Wortigernus.
Arnoldus.
Theudibaldus.
Cambaules.
Vergobretus.

id est, supremus executor, à vergen/quod est, exequi. Pipinus, mitum ni nomen & generis originem à Pipino, quem apud Thuscos regnasse fabulatur Manethon, traxerit: etymon verò inuestigare hactenus nequiui: si tamen fas est diuinare, & ex actionibus viri nominis omen in coniecturam vocatum æstimare ac metiri, auguror impositum illud ei qui priuatæ vtilitatis studio arderet, quiq. ad morē Aspendij citharistæ sibi intus caneret. Neque enim diuerso hinc ingenio præditi fuisse Pipini videntur: nam quum omnes prætorio præfecti (Maiores domus Francorū natio appellabat, vocabulo hactenus Italis & Hispanis iam inde vsitato) in regum Francorum aula essent, primus eo nomine Sigiberti regis tutor, ita res suas auxit ac stabiliuit, vt Grimoaldus filius herilem natū monasterij septis incluserit, suamq. ipsius prolem Austrasijs regem dederit: secundus quoque Ansegisi F. Neustriæ principatum occupauit, regnumque inuadens, Carolum Martellum hæredem principatus reliquit: Tertius quoque Hildericum regem herum suum, solio regali exuit, vno in facto & ingrati & perfidi hominis maculosum nomen promeritus, qui initis clandestinis cum improba & corruptelæ obnoxia procerum turba, quos pecunijs inescarat, consilijs deinde Pontificis (apud cuius aures nimium credulas herū vt vecordem, & monstro quàm homini propiorem ob Sybariticum luxum traduxerat) aura secunda innixus, & herum in monachi habitum attonsum, asceterij latebræ mancipauit, & ipse Regni auspicio inunctus, cuncta principalis fortunæ insignia assumpsit & Imperij habenas arripuit, ignarus tum sibi exemplo perfidiæ simili olim illusum iri, iustam vltricis Nemesis vindictam in posteris suis experturus, quando par illi gratia ab Hugone Capeto relata est. Itaque, vt ad rem reuertar à diuerticulo, Pipini nominis sui etymo adamussim responderunt, sibi intus canentes, iuxta prouerbium, id namque sonat, pijp in/ & ex herilibus incommodis, sua priuatim commoda compararunt. Radegaisus Gothorum rex immanissimus, innatæ feri- *Pipinus.* *Radegaisus.*

tæ feritatis portentum & oris ſpecie & nomine præ ſe ferens, rubrum caprum deſignat, in quo hiſpidum corpus & rubentium pilorum ſylua ingenitam ſæuitiam prodidere, & nominis occaſionem pepererunt. Huc vſque virilia Regum & primatum nomina etymis ſuis reddere ſtudui: nunc

Fœminea nomina.

fœminarũ aliquot primæ nobilitatis ſubijciam, ne ſexum illum offendere, & immerentem iniuria obliuionis prouocare vltro velle videar: itaque vt illîc à Theuderico norma principum atque regula initium duximus, ita & hîc ab eius

Amalaſuentha.

filia Amalaſuentha ſingulari exemplo & imagine reginarum ordiri placuit: haud enim pati poſſum eius virtutes obliterari ſilentio, quin eas Procopij verbis in Latinam linguam commutatis appendam: Hæc, inquit ille, iuſtitiæ non indiligens, animum maſculum & fortem præ ſe tulit, dumque vrbem rexit, Romanorum nemo ſanguine luit, aut pecunijs multatus eſt, neque paſſa fuit Gothos, proteruè ciuibus illudere paratos, quidquam attentare. Quin & filium Atalaricum conſimilem cum Romanorum primoribus victum vitæque genus ſequi, literarium ludum frequentare, delectos è natu maioribus tres, quorum explorata erat & perſpecta prudentia modeſtiaque, cum filio familiariter conuerſari voluit, tametſi ea res Gothis permoleſta acciderat, præoptantibus illum barbaro ritu in ſubditos imperium exercere, quod praua quædam libido vexandi miſeros homines illis inceſſerat. Hinc factum quòd lachrymantem

Procopij locus caſtigatus.

ob acceptum colaphum quẽ mater delinquenti infregerat in cubiculo (vitium eſt in Græcis κοινῷ pro κοινῶνι habentibus) Gothi indignantes, mulieri probra ingeſſerint, quaſi extinctum illa filium cuperet, quò ſic nupta alij, imperio potiretur. Eoque res proceſſit, vt coacto concilio criminati

Theatrũ vitæ circa Principum inſtitutionem.

fuerint, non ſatis ex dignitate cùm regia, tum gentis puerum inſtitui, ingens eſſe diſſidium inter literas & fortitudinem: deinde ſenum diſciplinam plærunque animos demittere atque infringere: adhæc oportere eum qui ad res gerendas audacia & geſtarum gloria ſit abundaturus, liberum à

metu

metu magistri, arma exercere. Addebant & illud, nunquam gladij hastæ ve gloriam animum subituram, quem semel ferulæ scuticæ ve timor incesserit: proinde velle se vt Regina missos faceret pædagogos, pueroq. æquales adiungeret, qui cum illo simul adolescerent ætate, & ad virtutem more barbarico contenderent. Illa vt haud assensa est concilio, ita insidias verita, illorum voluntati morem gessit: callida tamen mulier interceptos tres praui consilij auctores & administros clam tollendos curauit: imperium tamen in filium obtinere non potuit, quem & perditè viuentem, lenta confectum tabe, amisit. Porrò Amalasuentha rectiùs cum Iordano non indiligente rerum Gothicarum scriptore scribetur, quàm aut Amalasuntha cum Procopio, aut Amalasuinda cum Sigiberto: significat autem vox cælestem cælóve demissam puellam, siue quòd diuini ingenij faculam natales eius spoponderint, siue quòd eximium oris decus ab ipso ortu præferret: Gothicè namque amal cælum vocatur, quod nostrum idioma in emel & adiectione aspiratæ hemel conuertit: & Suentha virgo seu iuuencula, cuius vocis significatio in Suenthiboldo mansit, quo ferox iuuenis & animosus exprimitur; nam Cimbri hodierno die, swenth/iuuenem appellant. Hoc autem nomine rex obtinuit Lotharij regnum, cuius diploma legisse memini, quo donationes Regum maiorum suorum Traiectensi diœcesi obsignatas, voluit ratas haberi: qui impressis in codicibus Zundibaldus & Zundebolch ineptissimè nominatur. Repperi apud Suidæ interpretem etiam Amalsuida Græcè explicatum ἀρανοπλάτης, quod nostrate lingua sonaret, hemelswijde / qui ignoratione linguæ barbaræ lapsus, rectiùs substituisset ἀρανοπλάτις, quod vocabulum cælestem coniugem siue vxorem significat, viciniore ad priorem significationem etymo. Hæc filiam reliquit Mathasuentham, quæ Vitigi Gothorum Regi inuita ob diuersum, vt suspicor, religionis studium nupsit; quo extincto cum Germano Iustiniani ex sorore nepote, coniugij fœdere so-

Amalasuenthæ etymon.

Suentha quid?

Suenthiboldus.

Suidæ interpres lapsus.

Mathasuentha.

ciata fuit, virgunculam tenellam voce significante. Illius amita Amalafreda Theuderici Regis germana soror, cæle-
Amalafreda. stis pacis munus nomine præfert. Amalaberga eiusdem re-
Amalaberga. gis è sorore neptis, Hermenfrido Turingorum regi nupta, cælestem montem nomine signat, vel potiùs cæleste præsidium ac stationem: est enim bergen/ nauim iactatam & periclitantem in tutum locum & portum deducere. Porrò
Amalorum stirps. Balthorum prosapia. id obiter obseruandum est, Amalorum prosapiam nobilitatis principatum tenuisse inter Ostrogothos, vt Baltorum inter Westgothos; illo vocabulo generis cælestes, hoc feroces signabantur, vnde originem generis cum cognomento
Adelheidis. Alaricus Romæ occupator acceperat. Adelheidis, Ludouici Balbi, ab impeditiore eloquio cognominati, vxor, ipsum
Velleda. nobilitatis vocabulum nomine exprimit. Velleda fatidica virgo Bructeræ nationis, pro numine olim habita sub Vespasiano, nomen habuisse videtur ab infelici omine, quasi interpres fuerit fatalis vel auctor multarum suæ genti fœderatisque calamitatum, quando Germanum nomen cum Batauis ad infausti exitus coniuratum bellum consilijs suis concitauit; id namque sonat veel leed/ hoc est, plurima mala & calamitates, quas suis, vt dixi, peperit, & sibi quoque, à Cassandræ vatis infelicitate non multùm aliena, nisi quòd illa improuiso oppressa interijt, hæc captiua per triumphum ducta fuit; quod illo versu Papinius ostendit, *Captiuæque preces Veledæ*. Sunt qui ab heid/ id est, agro solitario, ac præsertim ericæ pleno, cuiusmodi à Transisalana mox occurrit, quod illius regnum fuit, deriuant, quòd agrorum di-
Werthrada. tionisque locuples esset. Werthrada regina, Caroli Magni cognomento mater, à dignitate & pondere consilij videtur appellationem traxisse, quamuis in scriptura variari video,
Bertrada. alijs Bertradam nominantibus, ab expediti præsentisque consilij, aut nudi minimeque dolosi præstantia: à quo non
Fasterada. multum abludit Fasterada, vt in Reginonis manuscripto codice legas, & contractè Fastrada (vitium enim est in Fastradana, quod Paragogen vocant Grammaticorum filij, ex-

cusis in

cusis in libris frequens) vxor Caroli eiusdem, auspicatum nomen, quod consultam, vel consilij certam ac constantem denotat. Erelieua, quasi honoris sui & castitatis amans dicta, genitrix fuit magni illius Theuderici, cui Zenon Imperator Italiæ possessionem annuit, qui Odoacrum tyrannum peremit, Gallias occupauit, orbis amor, omnibus iuxtà charus. Gertrudis totam fidelem fideique tenacem sonat potiùs, quàm prorsus amabilem, vti Altamero visum fuit. Hæc habui quæ de etymis tum gentium, tum propriorum nominum, quæ passim apud vtriusque linguæ scriptores clariora ac memorabiliora occurrũt, dictarem; primùm ratus me non ingratam operam linguæ peregrinæ ignaris collocaturum; deinde adiumenti nonnihil lectoribus allaturum confidens ad castigationem vocum vbique in auctorum codicibus corruptarum; postremò cùm nostras, tum veterum historias lucis aliquantum hinc accepturas, sperans: vtcunque res acciderit, voluntatem certè, quæ temeraria non est, quaque demereri studiosos, proferendo beneficium, sategi, introspicient bonique omnes ex æquo consulent.

Erelieua.

Gertrudis.

FINIS.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-193341115-12/fragment/page=0440

ALVENSLEBEN
JI
195

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015e151222-193341115-12/fragment/page=0441



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-19334111S-12/fragment/page=0442


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015e151222-193341115-12/fragment/page=0443



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-193341115-12/fragment/page=0444

HADRIANI IVNII

Je 195

HORNANI, MEDICI,

BATAVIA.

In qua præter gentis & insulæ antiquitatem, originem, decora, mores, aliaque ad eam historiam pertinentia, declaratur quæ fuerit vetus Batauia, quæ Plinio, Tacito, & Ptolemæo cognita: quæ item
onis fuerit sedes.



TINIANA
engium.
II.

LEHNS-BÜCHEREI IN ERKLEBEN

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-193341115-12/fragment/page=0445